Class A
Section 2
Book No.
Accession No.

Class A
Section 2
Book No.
Accession No.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/commentariusinps0000vari_l7y6

CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. PIUS X

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

COMMENTARIORUM IN VET. TEST. PARS II

IN

LIBROS DIDACTICOS

II

LIBER PSALMORUM

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

IO, VIA DICTA « CASSETTE », IO

COMMENTARIUS

IN

PSALMOS

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.
220.6
C977c
v.20

PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA DICTA « CASSETTE », 10
1912

Omnia iura vindicabuntur

MACON, PROTAT FRÈRES, IMPRIMEURS.


The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

320
C977c
v.21

PIO · X · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

KNABENBAUER I. S. J., *Commentarius in Psalmos.*

IMPRIMI POTEST

Exaten, die 15 Nov. 1910.

Ern. THILL, S. J.

Praep. Prov. Germ.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 29 Nov. 1910.

H. ODELIN,

Vic. gen.

PRAENOTANTUR QUAEDAM

David esse auctorem omnium psalmorum, « haec sententia multos habet praecipuosque patronos et graecos et latinos » ita recte scribit Agellius (prooemium ad Commentarium in Psalmos). Qui praeter David nominantur in inscriptionibus et saepe eodem modo sicut David ut auctores psalmorum designari videntur (hebr ל, τῷ Δαυίδ, τῷ Ἀσάφ, τοῖς υἱοῖς Κορέ, etc.), uti Asaph, Idithun, etc. considerabantur vel ut cantores, quibus tradebantur psalmi canendi et musicis instrumentis celebrandi, vel ut duces chororum : « chorus Asaph, chorus Idithun, chorus Core », imo etiam « chorus Moysis » (Ps. 89, προσευχὴ τῷ Μωυσῆ), qui chori erant ordines cantorum et musicorum iis nominibus insigniti. Ita saepius declarat eiusmodi inscriptiones Theodoretus in interpretatione psalmorum ; idque etiam legitur in prooemio ad psalmos (spurio quidem) inter opera S. Chrysostomi (M. 55, 534). Ceterum inter veteres quoque erant qui distincte monerent non omnes psalmos Davidi esse attribuendos ; ita iam Hippolytus in scholio ad psalmos contra eos loquitur, qui omnes psalmos uni David adscribunt (cf. Pitra, Analecta sacra IV, p. 51. 320. Hippolytus Werke, ed. Bonwetsch, Achelis I, 2, p. 127 ; Leipzig 1897).

Verum ipsi illi qui David auctorem habebant omnium psalmorum, simul statuerunt Davidem prophetam plura edidisse vaticinia clara et distincta de eventibus futuris, de tempore Ezechiae regis, de eius angustiis, precibus ac fide in Deum, de clade Sennacherib, de Iosia rege, de sorte captivorum in Babylonia, de eorum desideriis et precibus, de tempore post exsilium, de tempore et victoriis Machabaeorum. Veteres, quippe qui psalmos propheticos passim supponebant, proniores fuerunt ad explicationem de eventibus futuris et plus aequo id fecerunt etiam ob rationes leviores. Talia passim inveniuntur non solum in fragmentis Theodori mopsuesteni, qui Davidem etiam auctorem omnium psalmorum habet (Corderius, Catena II, 692. 484), sed quam maxime historicam explanationem consequitur, sed ita ut simul moneat, Davidem omnia ad omnium utilitatem referre, et si sensus et affectus populi in Babylonia describat, cum tamen ab iis omnes docere

(Corderius II 497 et I 574). Pariter talia reperiuntur apud Theodoretum, apud Anonymum (in argumentis psalmorum in Catena Corderii), quandoque etiam apud S. Chrysostomum et S. Athanasium, et multo frequentius apud Euthymium et in dubio opere de psalmis apud Bedam. Theodori mops. fragmenta et sententias collegit et exposuit Baethgen partim ex manuscripto syro quod explicationes Theodori exhibet, partim ex Catena Corderii et ex scholiis Barhebraei (cf. Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft 1885 p. 53-99 ; 1886 p. 261-288 ; 1887 p. 1-60).

Hisce de veterum opinionibus obiter indicatis, iam videamus quid ipsis s. litteris doceamur. In titulis seu inscriptionibus psalmorum magna quaedam nobis offertur varietas. Plerique enim psalmi suam quisque habent inscriptionem, qua aut auctor psalmi exprimitur, aut historica psalmi occasio, aut carminis genus designatur aut modus canendi indicari videtur et usus liturgicus. Eiusmodi inscriptiones esse antiquissimas iam ex eo elucet, quia interpretes graeci varias inscriptionum partes iam non intellexerunt, sed nihilominus textum traditum religiose servarunt. In earum antiquitate, quae concordi testimonio textus hebraei et versionum vetustarum constat, habetur simul certum argumentum de earum authentia seu genuinitate. Sicut enim de authentia seu genuinitate textus hebraei singulorum psalmorum non est locus dubitandi, cum apertissime idem textus ex hebraeo et versionibus nobis offeratur, ita idem valet de textu tradito inscriptionum et debet valere pari ratione ; uterque enim textus et psalmi cuiusque et inscriptionum ex uno eodemque fonte ad nos pervenit. Praeterea in ipsa conditione inscriptionum haud exiguum prostat authentiae argumentum. Magna quippe deprehenditur earum varietas. Paucis psalmis additur occasio historica ; multis psalmis non adscribitur auctor ; aliis psalmis alius attribuitur auctor ; aliis solum carminis genus, aliis instrumentum musicum, aliis iterum nihil eiusmodi adscriptum deprehendimus. Haec ipsa varietas testis est veritatis. Tradiderunt ergo psalmorum collectores *ea quæ invenerunt ; non ipsi finxerunt ;* nam si fingere maluissent, cur non omnibus psalmis easdem inscriptiones addidissent, cur multos plane vacuos reliquissent? Iam vero si collectores psalmorum non ipsi inscriptiones ex suis rationibus condiderunt, supplerunt, auxerunt, adiecerunt, earum multo maior antiquitas probata est. Porro ex earum antiquitate et authentia magna iam acquiritur praesumptio minime licere eas negligere, verum potius ex earum consideratione nobis fontem cognitionis aperiri.

Titulorum auctoritate stabilita iam etiam quaestio soluta est de Davide, praecipuo carminum psalterii auctore, ea scil. textus lectione suppo-

sita quam codices, versiones et allegationes Patrum communi consensu tuentur. Ex textu hebraeo forma illa לדוד Davidi adscribuntur psalmi 73. Et David quidem in arte psallendi seu fidibus canendi iam adolescens eminebat. Cum enim Saul rex posceret sibi adduci bene psallentem, ei respondetur : ecce vidi filium Isai scientem psallere (1 Reg. 16, 17. 18). Pariter excellebat in carminibus componendis ; ita egregio planctu prosecutus est mortem Saulis regis et Ionathan (2 Reg. 1, 17), lamentatione funebri planxit Abner (2 Reg. 3, 33. 34) et locutus est David Domino verba carminis huius (2 Reg. 22, 1) et ipse David vocatur egregius, iucundus psaltes Israel, cuius carmen praeclarum statim subditur (2 Reg. 23, 1 sqq.). Curam quoque gessit pro sollemnitate cultus et digna administratione rerum sacrarum (1 Par. 23-26). In dedicatione templi Salomonis canebantur hymni David (2 Par. 7, 6). Mentio psalmorum David et Asaph fit sub Ezechia rege (2 Par. 29, 30) et Esdr. 3, 10 : fundato templo Domini steterunt sacerdotes et levitae, ut laudarent Deum per manus David regis Israel. Instrumenta quoque musica ad auctorem David referuntur 1 Par. 23, 5 : canentes Domino in organis quae fecerat (David) ad canendum ; ad ea fit allusio Am. 6, 5 (sicut David putaverunt se habere vasa cantici) et Neh. 12, 35 in vasis cantici David viri Dei. In libris quoque novi testamenti sermo fit de Davide auctore psalmorum aliquorum. Id asseritur repetito de Ps. 109 ; cf. Matth. 22, 43 ; Marc. 12, 36 ; Luc. 20, 42 ; Act. 2, 34 ; id affirmatur de Ps. 2 Act. 4, 25 ; de Ps. 15 Act. 2, 31 ; de Ps. 68 Rom. 11, 9 ; de Ps. 108 Act. 1, 16 ; de Ps. 31 Rom. 4, 6.

Hisce omnibus valida accedit confirmatio illis titulis quibus ex veterum consensu psalmi multi Davidi attribuuntur. Praeterea eiusmodi titulos non esse pro arbitrio selectos neque pro libitu psalmis appictos, exemplum sat conspicuum habes in psalmis duobus qui Salomoni inscribuntur Ps. 71 et 126 (hebr 72, 127). Duo itaque carmina Salomonis nobis offeruntur ; et tamen legitur : « locutus est Salomon tria millia parabolas et fuerunt carmina eius quinque et mille » (3 Reg. 4, 32 ; hebr 1 Reg. 5, 12). En, qualis occasio hic fuisset apponendi nomen Salomonis multis illis psalmis anonymis ? et occasio ab ipsa narratione sacra oblata ? nemo tamen veterum collectorum sibi eiusmodi licere praesumpsit, sed maxima sobrietate rem traditam nobis servarunt, duo solum carmina Salomoni inscribentes. Et tale exemplum sobrietatis merito iis est expendendum ex recentioribus qui nimis prompti sunt et parati ad fidem titulis illis psalmorum denegandam.

De titulis psalmorum in versione syriaca sufficiat pauca adnotare. Inveniuntur tituli iam in codice Ambrosiano saeculi fere 6., sed etiam

psalmi anonymi titulum syriacum habent et omnes Davidi adscribuntur et in iis psalmis, qui historicam inscriptionem habent, textus syriacus inscriptionis differt. Primo psalmo v. g. praescriptum est : « Psalmus primus dictus a Davide de Saul rege, qui ibat in via Endor ad excitandum Samuelem per incantationem et sedit in consessu mulieris incantatricis »; — « Ps. 54 (53) dictus a Davide cum misisset Ioab et exercitum, ut bellum gererent cum Absalom » (hebr, LXX, vulg « in carminibus intellectus David, cum venissent Ziphaei et dixissent ad Saul : Nonne David absconditus est apud nos » ?). Inscriptiones nullae inveniuntur in quibusdam codicibus antiquis (v. g. apud Wright in codice ex anno 927, in alio ex saeculo 10. etc.). Variae autem inscriptiones reperiuntur in codicibus iunioribus, quae inter se minime conveniunt, sed aliae sunt in aliis codicibus. Quae habentur in polyglottis, in editione a Lee curata, ex recentioribus codicibus desumptae sunt (vide Baethgen, Untersuchungen über die Psalmen nach der Peschita 1878 p. 10 seq. Iacob Ecker, Porta Sion, 1903 p. 33*).

Cum supra vindicata sit auctoritas titulorum, quatenus ex concordantia textus hebraei cum aliis antiquitatis testibus constat, iam pleraeque quaestiones de auctoribus psalmorum, de tempore et occasione ex ipsis titulis accipiunt responsum. Quare minime opus est in recentiorum varias opinationes de iisdem quaestionibus inquirere. Recentiorum sententias magno studio collegit, exposuit, diiudicavit Ecker in opere laudato, Porta Sion p. 35*-76*. Ex qua opinionum silva etiam intelligitur, ad quid tandem perveniatur, si certa testimonia antiquitatis plane negligantur et seponantur : nam ne unus quidem psalmus assignari potest, de cuius tempore et occasione inter acatholicos conveniat.

De inscriptionibus musicalibus psalmorum novam theoriam nuper proposuit *James William Thirtle* (The Titles of the Psalms, their nature and meaning explained, London etc. second edition 1905). Eam paucis exponere non erit abs re. Progreditur ex inscriptione et subscriptione quae habetur in psalmo illo Habacuc 3 ; in inscriptione poni genus psalmi, auctorem, specialem indolem orationis ; in subscriptione addi : לכונצח בנגינותי magistro cantorum in fidibus. Unde concludit hanc olim fuisse normam generalem ; at infeliciter factum esse ut haec subscriptio psalmi praecedentis tanquam inscriptio psalmi subsequentis esset posita. Unde has inscriptiones de magistro cantorum et de musica omnes ad finem psalmi antecedentis esse referendas docet atque eo modo viam parari ad rectam intelligentiam. En exempla : pone inscriptionem ps. 69 (hebr) tanquam subscriptionem ps. 68 : magistro cantorum, pro liliis, et ps. 68 designatur in paschali festivi-

tate canendus ; liliis seu floribus signatur festivitas verno tempore peragenda ; id quod *Thirtle* latius prosequitur. Eodem modo translata designatione : pro lilio testimonii ad ps. 59, 79, psalmi isti ad festum hebdomadum accommodantur ; et translata designatione : pro torcularibus ad ps. 7, 80, 83 (hebr), psalmos habes aptos pro festo tabernaculorum. Tali translatione facta ps. 45 (hebr) a choro virginum עלמות cani debere declaratur, et ps. 5, 11 choro virorum assignantur, et ad ps. 4 congruit inscriptio ps. 5 pro hereditate. Pariter « ne perdas » congruit ad ps. 56, 57, 58, 74 ; etiam « cerva aurorae » faciliorem habet explicationem, si refertur ad subscriptionem ps. 21 (hebr). Instrumenta musica *Thirtle* non agnoscit nisi solum neginoth in ps. 3, 5, 53, 54, 60, 66, 75 (translatione facta). In aliquibus talis translatio videtur suaderi ; sed num ubique ?

Opportune quoque monet, ps. 108, 1-5 etiam legi 57, 7-11 ; psalmum illum inscribi : canticum, psalmus ; hunc mictam ; unde concludendum esse istis vocibus non specialem indolem seu theoriam generis dicendi vel artis poeticae designari ; simili modo ps. 14 inscribitur Davidi ; idem psalmus recurrit 53 maskil David. Pariter repudiat explanationem communiter propositam schiggaion modum dithyrambicum designare, sufficere vehementiam et fervorem, seu clamorem orationis. — Ceterum variae opiniones de istis inscriptionibus quae propositae sunt iam satis luculenter digestae sunt in priore huius Cursus parte a P. Cornely (Introd. 2. ed. II 2 p. 89 sqq.) ; quare eas hic repetere non opus erit.

Recentiores interpretes singulis psalmis adscribere solent *metrum* quo psalmum compositum censent ; varia quoque systemata de re metrica Hebraeorum iam excogitata sunt. Cf. imprimis *G. Gietmann*, De re metrica Hebraeorum, 1880 ; *G. Bickell*, Metrices bibl. regulae, 1879 ; *idem*, Carmina Vet Test. metrice, 1882 ; *idem*, Dichtungen der Hebr. nach dem Versmass des Urtextes, III. Der Psalter, 1884 ; *N. Schlögl*, De re metrica veterum Hebr. 1899 ; *J. Doeller*, Rythmik, Metrik und Strophik, 1899 ; *H. Grimme*, Psalmenprobleme, 1902 ; *E. Sievers*, Metrische Studien, 1902 ; *V. Zapletal*, De poesi Hebr. in Vet. Test. conservata, 1909 ; *Fr. Zorell*, De arte rhythmica Hebraeorum, Appendix ad meum Commentarium in Prov. 1910. — Iam pauca quaedam animadvertenda sunt de iis auctoribus, qui metrum ex numero ictuum, seu ex arsibus (Hebungen) determinant, Duhm (1889), Schlögl (1899), Grimme (1902), Baethgen (1904). Consentio quidem systema hoc quod arsibus innititur videri satis probabile multoque aptius esse illo quod syllabas numerandas esse docet ; at cum varios illorum conatus perquirerem, quibus psalmos ad certa metra adducere tentabant,

plura etiamnum esse incerta, multa satis dubia deprehendi ; quare tutius iudicavi nihil de metro singulis psalmis adscribere.

Vidi enim in numerandis ictibus viros illos doctos haud raro inter se dissidere. Nam iisdem verbis hebraeis : quia ipse liberabit te de laqueo venantis, assignavit Grimme semel *quinque* arses (ZDMG 1896, p. 562), postea *tres* (Psalmenprobleme, p. 90) et pariter verbis : cadent a latere tuo mille et decem millia, attribuit antea arses *quattuor*, postea *tres* (l. c.). Eadem ratione mutavit metrum psalmorum ; priore loco descripserat ps. 1 et 7 habentes arses *quinque*, postea habentes arses *quattuor* ; ps. 8 prius erat habens arses *tres*, postea *quattuor* ; pariter ps. 21, 25, 37 ex psalmis cum *quattuor* ictibus facti sunt psalmi cum *tribus*, dum e contra ps. 38 ex arsibus *tribus* promotus est ad *quattuor* (ZDMG 1897, p. 685 ; Psalmenprobleme). Verba : qui confident in Domino, sicut mons Sion, habent apud Schlögl quinque arses ; Grimme addit ad ea : non commovebitur, et assignat pariter quinque arses. Ps. 79 habuit antea arses *quinque*, postea quattuor ; ps. 20 antea mixtus nominabatur et *quinque* habens quandoque arses, postea ei assignantur *tres* (ZDMG 1896, p. 559 et 1897, p. 685 et Psalmenprobleme) ; ps. 93 antea *tribus* arsibus constans, postea *quinque* accepit. Et ps. 132 describit Schlögl cum arsibus *sex*, Grimme cum *quinque*.

Etiam maius deprehenditur discrimen, si inter se comparantur, quae Grimme, Duhm, Baethgen de iisdem psalmis metrice statuunt. Aliqua exempla ex sat multis afferre non erit inutile ; ps. 11 Grimme quinque arses (fünfhebig), Duhm zweihebige Vierzeiler, Baethgen : v. 1. 2. 7 Siebener (4 + 3), 4. 5 Doppeldreier, 6 Dreier und Sechser, 2 c. 3 Vierer. Ps. 21 Grimme dreihebig, Duhm vierhebig, Baethgen 2-5 Doppelvierer ; 6-9 Siebener, 10-14 Doppeldreier. Ps. 23 Grimme fünfhebig ; Baethgen v. 1 Dreier, v. 2 Doppeldreier, 3. 4 drei Sechser, 5. 6 vier Fünfer. Etiam ps. 127. 131. 132. 134 Grimme nominat fünfhebig, Baethgen vero Doppeldreier, et 134 Sechser und Doppeldreier. Ps. 16 Grimme vierhebig ; Baethgen v. 2-9 Siebener, 10 Doppelvierer, 1 und 4 c Vierer, 11 Dreier und Doppeldreier ; ps. 28 Grimme fünfhebig ; Baethgen Doppeldreier mit Sechsern und einfachen Dreiern ; Duhm dreihebige Vierzeiler ; Grimme statuit pro 22, 23-32 quinque ictuum versus, fünfhebig, Baethgen Dreier, Sechser, und Doppelvierer ; Duhm dreihebige Fünfzeiler etc. etc. Vestigia terrent.

Si metrum statuitur, quaestio maioris momenti est, debeatne per totum carmen idem servari metrum, an liceat quoque variatio quaedam. Et Grimme quidem olim variationem sine ulla difficultate admisit ; nam descripsit Ps. 2 ita ut exhiberet versus 3 + 3, 5 + 5, 5 + 3,

5 + 3 + 3; item Ps. 91 : 3 + 5; 5 + 2, 3 + 3; item Ps. 11 : 5 + 3, 5 + 5, 3 + 3 + 5, 2 + 5; et carmen Deborae : 3 + 4, 4 + 4 + 4, 3 + 3 + 4 + 3, 4 + 4; cf. ZDMG 1896, p. 561 seq. Pari modo Schlögl Ps. 68 : 4 + 3, 4 + 3 + 4, 2 + 2 + 2, 3 + 2; et Ps. 89 : 4 + 4, 3 + 3; ibique in stropha II 4 + 4, sed in antistropha II 3 + 3. Et in hanc sententiam etiam Koenig non ubique esse eundem numerum ictuum advertit (Stilistik, Rhetorik, Poetik, p. 334. 336. 343).

Postea vero talem variationem iam non admittens Grimme statuit in ea deprehendi indicium, ubicumque occurrat, psalmum ex partibus heterogeneis esse compositum, quibus alia et alia illarum partium origo designetur. Ea ratione seriem satis longam nobis exhibet psalmorum, qui ex diversis partibus variae originis sint compositi (aus Theilstücken verschiedener Herkunft bestehende Psalmen) : Ps. 7. 19. 21. 22. 31. 39. 51. 66. 69. 85. 89. 102. 107. 108. 118. 142. 144 (cf. Psalmenprobleme, p. 135, 144).

Qua ratione scinduntur psalmi; quae separatio et origo partium alia et alia si recte statuitur, adverti debet quid pro ipsa consequatur interpretatione. Nam si Ps. 22, 23-32 pars est aliunde assumpta et alterius originis ac v. 1-21, iam frustra, imo falso asseritur ibi exhiberi fructus perpessionum Domini; insuper validum destruitur argumentum etiam pro priore parte et eius explicatione messiana. Porro esset concedendum antiquitus pro arbitrio carmina esse ex variis partibus composita et multiplici interpolatione mutata. Nam, uti Grimme asserit, fere tertia pars psalmorum exhibet mixtionem illam metricam, quae ex eius sententia solum ex variis retractationibus posterioribus explicari possit (l. c. p. 143). Eousque interpretes rectum quendam sententiarum ordinem ac nexum in psalmis quaerere solebant eumque in longe plerisque haud infeliciter statuerunt. Sed si multis in psalmis non adsunt, nisi disiecta quaedam carminum membra seu perperam inter se coniuncta, frustra ordo quaeritur et connexio et qui invenisse sibi videbantur, egregie decepti sunt.

Verum quominus talia concedamus, tamen rationibus sat gravibus impedimur. Estne doctrina de metro, de numerandi ratione ictuum adeo certa et inconcussa ? unde certo probatur, nunquam in eodem carmine metrum posse mutari? Quid cernimus in choris graecis [1],

1. Quantopere mutatio metri in eodem cantico conferat ad varios animi affectus exprimendos et quantopere eiusmodi metri mutatio invaluerit, exponitur in libro : Die Eurhythmie in den Chorgesängen der Griechen, Dr I. H. Schmidt, Leipzig, 1868, p. 113 seq. et p. 118 : Pindar hat in seinen äolischen Strophen die grösste Mannigfaltigkeit im metrischen Bau der Kola erstrebt. Alia vide apud Gleditsch, Metrik der Griechen p. 178 seq. (Iwan von Müller, II, 3), et apud Koenig (Stilistik, Rhetorik, Poetik in Bezug auf bibl. Literatur, p. 334-343).

quid in poesi quoque germanica? Quid de aliis carminibus sacris? De cantico Ex. 15 adnotat Lagrange : quant à la mesure de chaque vers, elle est d'autant plus difficile à déterminer que les vers ne paraissent pas égaux (Revue bibl. 1899, p. 534) ; et de elegia Davidis in mortem Saul et Ionathan similiter monet Dhorme : autant nous devons insister sur le rythme des idées, autant nous devons nous méfier des lois trop rigoureuses du mètre (l. c. 1908, p. 63). Et quid cernimus in ipso Psalmo 119 (vulg 118)? num servatur in eo unitas metri? De eo ita iudicat Baethgen : versus 121 constare quinque arsibus, 40 bis tribus, 15 sex arsibus. Contendit quidem Grimme totum psalmum esse compositum schemate quinque ictuum ; verum hanc uniformitatem ipse effecit mutatione textus, dum omittit verba, vel etiam inserit, ut hac ratione habeatur metrum. Ita in v. 21 delet *maledicti* ; in 23 *loquebantur* omittit et pro *servus tuus* scribit *ego* ; et in v. 48 pro *mandata tua quae dilexi* scribit *ad te* ; in v. 69 delet *in toto corde* ; in v. 78 omittit *inique* ; in v. 87 *paulo minus* ; in v. 116 *et vivam* ; in v. 121 *et iustitiam* ; in v. 168 delet *et testimonia tua* ; in v. 170 *ante te* ; in v. 176 omittit *sicut ovis errans*, *quia* ; en tali modo efficitur unum idemque metrum. Nonne ipsis hisce aliisque mutationibus, quae fiunt contra testimonia veterum versionum (quas secundum versionem syriacam fecit, non commemoravi) potius ostenditur veteres de stricta versuum uniformitate non fuisse sollicitos? Id ex aliis quoque psalmis comprobatur, in quibus varia emendare debet Grimme, ut ad unum reducantur metrum (Psalmenprobleme p. 20 seq.).

Nonne potius unitas carminis ex nexu et serie apta sententiarum diiudicanda est, cui si accedat concinnitas stropharum, quis iure negabit unum exhiberi carmen ? Iam vero utrumque hoc praestare conati sunt *Zenner* et *Wiesmann* in opere : Die Psalmen nach dem Urtext von *J. K. Zenner*, ergänzt und herausgegeben von *H. Wiesmann* (I. Uebersetzung und Erklärung. II. Sprachlicher Kommentar), Münster 1906-1907 (*Wies.*). Sed de his quoque conatibus animadvertendum est structuram strophicam saepius non obtineri nisi variis ipsius textus emendationibus ac transpositionibus, de quibus singulis iudicium ferre non est huius loci.

Ceterum aliquos psalmos ex diversis partibus esse compositos utique certum est et facile deprehenditur. Ita 108, 1-7 = 57, 8-12 ; et 108, 8-14 = 60, 8-14. Et Ps. 70 idem est ac 40, 14-18 ; Ps. 53 idem est ac Ps. 14 ; separati exhibentur Ps. 42 et 43 (vulg. 41. 42), quamvis ipso versu intercalari (quare tristis es anima mea, etc., 41, 12 et 43, 5) unum constitui psalmum fiat manifestum. Aliquibus etiam Ps. 127 (vulg. 126) in duos separare placuit : v. 1. 2 (ne nimium sis sollicitus)

et v. 3-5 (benedictio Dei in filiis). Ps. 9 et 10 apud LXX vulg unum psalmum 9 constituunt; item 114. 115 LXX vulg unum psalmum 113; at LXX vulg 114. 115 efficiunt unum hebr 116, item vulg LXX 146. 147 unum hebr 147.

In duos psalmos dividit Wiesmann Ps. 36 (LXX 35) v. 2-5 et v. 6-13 (p. 56-57) et similiter Ps. 69 v. 1-29 et v. 30-37 (p. 346-350). Alias ob argumenti similitudinem et concinnitatem stropharum in eo opere duo psalmi in unum coniunguntur carmen choricum. Ita iunguntur 3 et 4; 6. 12 (LXX 6. 13); 11. 12 (LXX 10. 11); 26. 28 (LXX 25. 27); 24. 15 (LXX 23. 14); 32. 33 (LXX 31. 32); 46. 47 (LXX 45.46); 60. 61 (LXX 59.60); 62. 63 (LXX 61. 62); 52-54 (LXX 51-53); 56.57 (LXX 55.56); 66.67 (LXX 65.66); 14.70 (LXX 13.69); 75.76 (LXX 74.75); 116.117 (LXX 114.115.116.); 113.114. 115 (LXX 112.113) et 148-150 (LXX 148-150).

Normam habes itaque satis diversam iudicandi de psalmis — unam si postulas eundem numerum ictuum; alteram si metro certo relicto ipsas spectas sententias, affectus et eorum concinnitatem seu nexum ac responsionem. Quid iam ab interprete postulabis? Mihi quidem videtur eius partes esse, ut neutri normae caece adhaereat, sed singulos psalmos ex ordine tradito expendat, luce et utilitate undequaque capta. In qua sententia eo quoque confirmor quod in poesi quoque babylonica, cuius similitudo cum hebraea a viris doctis est exposita (cf. H. D. Müller, Die Propheten in ihrer ursprünglichen Form), animadversum est non semper in textibus poeticis eundem numerum ictuum servari; in carmine de creatione quidem generatim exhiberi dicunt versus quattuor ictuum $2+2$, at in aliis textibus, uti v. g. in tabulis surpu, magna cernitur varietas inter versuum formas $2+2$, $2+3$, $3+2$, $3+3$, $2+2+2$ (vide quae exponit H. Zimmern, Zeitschrift für Assyriologie 1897, p. 382; et alia exempla p. 391.392).

Ad hoc exemplum et hanc normam eo magis etiam pro poesi hebraea provocare licet, quia alias quoque *forma externa* poematum babylonicorum (carminum, threnorum etc.) ita est disposita, ut passim iam designatio psalmorum poenitentialium babyloniorum adoptetur usu recepta (cf. Babylonische Busspsalmen, Dr H. Zimmern, Leipzig 1885; Études, 93, p. 759; Die Religion Babyloniens und Assyriens, Morris Jastrow; Theologische Quartalschrift 1909, p. 1 seq.). Aliqua eius rei specimina ex opere illo a Zimmern edito adscribere non erit inutile.

Ita p. 9: ego servus tuus, ingemiscens te invoco, | qui in peccatis est, supplicationem eius admittis; | si benigne respicis hominem, hic homo vivit; | dominatrix omnium, domina hominum, | misericors, quam invocare bonum est, quae suscipit gemitum. | Ingemisco sicut columba, gemitibus satior.

P. 34 : dominatrix mea, ex pueritia mea valde afflictus sum, | cibum non comedi, fletus mea erat refectio, | aquam non bibi, lacrimae potus meus ; | cor meum nunquam laetum, animus meus nunquam iucundus, | peccata mea sunt multa, mens mea dolore plena, | hera mea, fac me cognoscere quid faciam ; | purga peccatum meum, erige faciem meam.

P. 65 : peccata mea septies septena sunt, ignosce peccata mea ; | deus meus, peccata mea septies septena sunt, ignosce peccata mea ; | dea mea, peccata mea septies septena sunt, ignosce peccata mea etc.

P. 73 : o dominatrix mea, nimium affixus sum calamitati, | hera mea, tu me circumdedisti, doloribus immersisti ; | hostis potens sicut calamum me contrivit ; | quid agam nescio, destitutus sum consilio ; | sicut desertum lugeo diu noctuque ; | ego servus tuus, coram te me prosterno. — Saepius quando poenitens peccata confessus veniam precatus est, sacerdos pro ipso numen implorat ; alia exempla vide l. c.

Formam externam haud esse absimilem liquet ; at si spectas veram animi pietatem, dolorem de peccatis sincerum, mentem admiratione et laudibus Dei et genuina dilectione Dei perfusam, eiusque studium probitatis ac iustitiae etc., fateberis psalmos nostros longissime eminere prae illis neque iis in rebus admitti posse comparationem.

Textum hebraeum in compluribus locis satis corruptum ad nos pervenisse inter omnes constat ; saepius plane nequit intelligi (cf. 35,16 ; 37,35 ; 40,13 ; 49,6.7.15 d ; 76,11 ; 133,3 ; 139,20 ; 140,10 etc.). Ad eius emendationem a criticis praesertim recentioribus ope versionum veterum et magis etiam coniecturis strenue laboratum est. Aliqui quidem audacius in mutationem textus incubuerunt, uti v. g. H. Graetz (Kritischer Commentar zu den Psalmen, 1882-1883) et omnium longe audacissimus T. K. Cheyne (The Book of Psalms 1904). Ex criticis varia collegit et suas quoque emendationes adiunxit H. Wiesmann (Die Psalmen nach dem Urtext, zweiter Teil, Sprachlicher Kommentar, 1907). De multis « emendationibus » crisin exercet Ecker (Porta Sion, p. 92*-118*).

Quomodo se habeat versio graeca ad textum hebraeum traditum, cura ac diligentia prorsus stupenda de singulis locis inquisivit ac descripsit Jacob Ecker (Psalterium iuxta Hebraeos Hieronymi in seinem Verhältnis zu Masora, Septuaginta, Vulgata mit Berücksichtigung der übrigen alten Versionen untersucht, 1906). Ostendit scil. in hoc opere (p. 10-27) et enumerat varias causas : consonantes inter se esse mutatas, transpositas, aliquas vel omissas vel additas, vocabula aliter separata vel iuncta vel aliter posita, verborum formas alias et alias

lectas, vel inter se commutatas, quae omnia exemplis cunctis allatis exhibentur. Idem in opere priore, Porta Sion, 1903, iam plurima proposuerat : Zur Kritik des Psalmentextes, p. 92*-118* et insuper collegit et spectanda proposuit discrimina inter textum hebraeum et Septuaginta, p. 184*-214*.

In hebraeo Deus saepe vocatur petra, saxum, סלע, צור, apud LXX et consequenter vulg alia ponuntur nomina v. g. 17,3 στερέωμα, refugium ; 17,32 et 27,1 θεός, Deus ; idem 17,47 ; 27,1 ; 18,15 βοηθός, adiutor; 30,4 κραταίωσις, fortitudo ; 41,10 ἀντιλήπτωρ, susceptor meus ; et similiter apud LXX 88,27 ; 61,7 σωτήρ, salvator ; 77,35 βοηθός adiutor, etc. etc. In hebr Deus appellatur משגב, arx ; LXX 9,10 καταφυγή, refugium ; 93,22 item ; sed 45,12 ἀντιλήπτωρ, susceptor, item 58,10 17.18 et 61,3 et 61,7 (vulg adiutor) etc. Vocatur Deus מגן scutum, LXX 17,3 ὑπερασπιστής, protector ; item 17,31 et 27,7 et 32,20 et 83,10 ; at 118, 114 ἀντιλήπτωρ, susceptor etc. Deus auxiliator in hebraeo etiam vocatur צל umbra, LXX 120,5 σκέπη, protectio ; et saepe appellatur ישע salus ; LXX 26,1 σωτήρ, salus ; 61,3 σωτήρ, salutaris ; item 61,7. Similiter vocatur מעוז munimentum, LXX 26,1 ὑπερασπιστής, protector ; item 27,8 et 31,5 et 36,39 ; sed 42,2 κραταίωμα, fortitudo et 51,9 βοηθός, adiutor. Atque similia advertes LXX 70,3. 7 ; 80,1 ; 83,10 ; 84,10 ; 90,2 ; 93,22 ; 113 b, 9-11 etc.

Haud raro ex versione LXX textus hebraeus emendari poterit, vel versione graeca melior praebetur sensus ; ita 4,3 ; 10,3 ἐπαινεῖται etc ; 10,1 transmigra ; 19,8 μεγαλυνθησόμεθα, item 19,10 ; 21,17 ὤρυξαν, 21,31 anima mea, semen meum ; 22,6 ut inhabitem ; 26,8 exquisivit te facies mea ; 27,7 c ; 30,7 odisti ; 31,7 exsultatio mea, crue me a circumdantibus me ; 31,8 firmabo ; 32,7 in utre ; 33,6 (imperativus, facies vestrae) ; 34,16 ; 35,2 ἐν ἑαυτῷ, 36,35 elevatum sicut cedrum ; 36,37 innocentiam, aequitatem ; 44,18 memores erunt ; 45,5 sanctificavit tabernaculum suum ; 48,12 sepulcra eorum ; 49,21 ἀνομίαν, 49,18 currebas cum eo ; 58,16 γογγύσουσιν, 62,9 omnis congregatio populi ; 68,21 ὑπέμεινα συλλυπούμενον, 68,21 addiderunt ; 70,3 in locum munitum (uti 31,3 hebr) ; 71,5 et permanebit ; 71,1 iustitia ; 74,2 invocabimus ; 74,6 κατὰ τοῦ Θεοῦ (unde hebr בצור) ; 75,5 a montibus aeternis ; 78,7 κατέφαγον (Ier. 10,25) ; 84,9 ἐπὶ τοὺς ἐπιστρέφοντας πρὸς αὐτὸν καρδίαν, 87,8 induxisti super me ; 88,20 sanctis tuis ; 93,6 χήραν καὶ ὀρφανόν, καὶ προσήλυτον ; 96,11 ἀνέτειλεν (orta est lux) ; 97,3 τοῦ ἐλέους αὐτοῦ τῷ Ἰακώβ, 104,27 posuit ; 104,28 ὅτι παρεπίκραναν, 104,40 petierunt ; 108,10 ἐκβληθήτωσαν, 117,12 sicut apes ceram, exarserunt sicut ignis in spinis ; 118,119 ἐλογισάμην, 118,128 ad omnia mandata tua ; 125,1 παρακεκλημένοι (?) ; 138,14 ἐθαυμαστώθης te admirabilem ostendisti ; 144,5 loquen-

tur; 144,12 potentiam tuam, regni tui, et 144,13 suppletur in LXX versus literae *nun* qui in hebraeo mendose excidit; etc.

In versione LXX complura addita sunt. Frequenter leguntur addita pronomina possessiva, et pronomina cum praepositionibus; adduntur voces, v. g. πάντες, πάντα, Κύριος, Θεός; de aliis et similibus collige ex hisce exemplis: 1,4 a facie terrae; 2,12 de via *iusta*; 4,8 et olei; 6,11 εἰς τὰ ὀπίσω, σφόδρα, 7,12 patiens (μακρόθυμος), numquid; 10,4 in pauperem; 12,6 et psallam nomini Domini altissimi; 13,1 non est usque ad unum; 13,3 plures versus adduntur ex aliis locis collecti (cf. Rom. 3, 13 sq); 15,2 Deus meus es tu, *quoniam*; 17,7 de templo *sancto* suo; 17,36 et disciplina tua ipsa me docebit; 21,1 respice in me; 23,4 proximo suo; 27,3 ne perdas me; 28,1 afferte Domino filios arietum (duplex versio, uti 17,36 quoque); 33,18 clamaverunt *iusti*; 36,26 cito; 36,28 ἄνομοι δὲ ἐκδιωχθήσονται; 37,20 confirmati sunt *super me*; 38,8 *nonne* Dominus? 40,2 et pauperem; 44,10 περιβεβλημένη πεποικιλμένη, circumdata varietate; 49,18 ponebas; 50,3 secundum *magnam* misericordiam tuam; 51,8 et dicent; 56,5 et eripuit; 64,1 in Ierusalem; 67,5 turbabuntur a facie eius (altera versio); 72,28 ut annuntiem omnes praedicationes tuas in portis filiae Sion; 103,10 aquae; 107,2 paratum cor meum (altero loco); 113b, 18 οἱ ζῶντες, 117,6 adiutor; 117,28 confitebor tibi quoniam exaudisti me et factus es mihi in salutem (repetitur ex v. 21); 131,4 requiem temporibus meis (altera versio, ex Theodotione); 133,1 in atriis domus Dei nostri; 137,1 quoniam audisti verba oris mei; 146,9 pullis corvorum invocantibus *eum* (Deum, hebr qui clamant); 146,8 et herbam servituti hominum; 148,5 ipse dixit et facta sunt; etc.

Textus psalmorum qui in Vulgata legitur est antiqua illa ex LXX versio quam S. Hieronymus curis secundis secundum textum hexaplarem emendavit, quod psalterium vocari solet Gallicanum, cum primo in Gallia fuisset receptum. Primam curam huic veteri psalmorum versioni impenderat Romae anno 383; novem post annos anno 392, cum in bibliotheca Caesariensi textum reperisset hexaplarem, hanc veterem versionem denuo retractavit. Huius sui operis ipse rationem modumque describit: « Psalterium Romae dudum positus emandaram et iuxta septuaginta interpretes, licet cursim magna tamen ex parte correxeram. Quod quia rursum videtis, o Paula et Eustochium, scriptorum vitio depravatum, plusque antiquum errorem quam novam emendationem valere, me cogitis, ut veluti quodam novali scissum iam arvum exerceam, et obliquis sulcis renascentes spinas eradicem; aequum esse dicentes, ut quod crebro male pullulat, crebrius succidatur. Unde consueta praefatione commoneo tam vos, quibus forte

labor iste desudat, quam eos qui exemplaria istius modi habere voluerint, ut quae diligenter emendavi, cum cura et diligentia transcribantur. Notet sibi unusquisque vel iacentem lineam vel signa radiantia, id est, obelos vel asteriscos. Et ubicumque viderit virgulam praecedentem, ab ea usque ad duo puncta quae impressimus, sciat in septuaginta translatoribus plus haberi. Ubi autem stellulae similitudinem perspexerit, de hebraeis voluminibus additum noverit aeque usque ad duo puncta, iuxta Theodotionis dumtaxat editionem, qui simplicitate sermonis a septuaginta interpretibus non discordat ».

In editione operum S. Hieronymi studio et labore Vallarsii et Maffaei facta exhibetur : « liber Psalmorum semel et iterum ab Hieronymo emendatus et obelis et asteriscis illustratus » (Migne, Patr. lat. t. 29, 119 sq.). Haec signa (obelus — asteriscus*), prout in illa editione prostant, etiam textui in Commentario addita sunt. Longe pleraque ex illa editione assumpsi ; pauca quaedam omisi v. g. exquirere non signavi — ex : quirere (דרש), neque ubique — ex : surgere (קום) etc. Menda aperta correxi, v. g. 31,5 ubi *tibi* non cum obelo sed cum asterisco signari debet ; alia vide in textu psalmorum 21,31 ; 32,12 ; 33,7 ; 39,3 ; 67,14 ; 88,3.19 ; 105,7 ; 117,23 etc. Neque putavi תבל exprimi debere orbis — terrae : sed addi posse terrae vel terrarum sine obelo.

Fortasse mirabitur nonnemo particulas et, autem, et formas verbi es, est adeo frequenter et diligenter obelo signari, quasi nimia et fere ridicula diligentia ; at si quis legerit textum sine illis particulis formisque, deprehendet sensum efferri maiore vi, gravitate, brevitate. Quare haec minime erant negligenda, praesertim quia tam accurate talia a S. Hieronymo erant notata. Utinam exstaret opus eius signis criticis distinctum, uti ex eius manibus prodiit !

De Commentariis in Psalmos pauca hic adscribam, cum de iis satis fuse iam actum sit in Introductione (II, 2) a P. Cornely edita. Amplissimam enumerationem operum ad Psalmos spectantium (Psalmenliteratur) praebet I. Ecker, Porta Sion (Trier, 1903), p. 217*-234*. In Commentario varias addidi lectiones, versiones ex fragmentis hexaplaribus collectas, Aquilae (Aq), Symmachi (Sym), Theodotionis (Theod), versionis quintae, sextae (cf. Fr. Field, Origenis Hexaplorum quae supersunt, sive veterum interpretum graecorum in totum V. T. fragmenta, Oxonii 1875 — Psalmi tomo II, p. 83-305). Adieci, ubi opportunum videbatur, versionem S. Hieronymi ex hebraeo factam, et quidem secundum « Psalterium iuxta Hebraeos Hieronymi » e recognitione Pauli de Lagarde, Lipsiae 1874. Explicationes ac sententias deprompsi ex Theodoreto (*Theod.*), Eusebio, Chrysostomo, Augustino, ex Com-

mentariolis S. Hieronymi, quos edidit D. Germanus Morin (Anecdota Maredsolana vol. III, p. 1), ex Agellio (Commentarii in Psalmos), Genebrardo (in Cursu S. Scripturae a Migne edito), Bellarmino (Explanatio in Psalmos), ex catena Corderii (Expositio Patrum graecorum in Psalmos, 3 voll.), ex Calmet (Commentarius literalis). Ex recentioribus praesertim nominandi sunt praeter auctores iam citatos interpretes catholici haud pauci in Italia : *F. Xav. Patrizi* (Cento Salmi tradotti letteralmente dal testo ebraico e commentati, Roma 1875), *A. Padovani* (I Salmi secondo l'ebraico e la volgata interpretati, Cremona 1905), Collezione Pietro Marietti (Psalterium Davidis cum brevi et succincta paraphrasi ex Bellarmini Commentario deprompta. Nova editio, Taurini 1910) ; — in Hispania : *I. Vigier y Diaz* (Commentarios a los Salmos, Madrid 1901) ; — in Gallia : *A. Le Hir* (Le livre des Psaumes, Paris 1876), *I. M. Péronne* (Chaîne d'or sur les Psaumes etc. Paris 1879), *H. Lesêtre* (Le livre des Psaumes, Paris 1883), *A. Crampon* (Les Psaumes etc. Lille 1902), *M. B. d'Eyragues* (Les Psaumes traduits de l'hébreu, Paris 1904), *E. Pannier* (Psalterium iuxta hebraicam veritatem : Les Psaumes d'après l'hébreu en double traduction, Lille 1908) ; — in Belgio : *I. Th. Beelen* (Het book der Psalmen, Leuwen 1878), *I. A. van Steenkiste* (Comm. in. l. Psalm. Brugis 1886), *F. L. Ceulemans* (Introd. et Comm. in Psalmos, Mechliniae 1900), *P. François* (Liber Psalmorum hebraicae veritati restitutus, Liège 1903) ; — in Germania et Austria : *P. Schegg* (Die Psalmen übers. u. erkl. ed. 2. München 1857), *Val. Thalhofer* (Erkl. d. Psalmen. Regensburg 1856, ed. 7. von *P. Schmalzl* 1904), *Maur. Wolter* (Psallite sapienter, Erkl. d. Psalmen. Freiburg 1869, 3 voll. ed. 3. 1906), *A. Rohling* (Die Psalmen übers. u erkl. Münster 1871), *W. K. Reischl* (Das B. d. Psalmen, Regensburg 1873, 2 voll.), *Melch. Mlcoch* (Psalterium iuxta Vulg. et versionem text. hebr. etc. Olomutii 1890), *G. Hoberg* (Die Psalmen der Vulg. übers. u. erkl. Freiburg 1892), *F. Raffl* (Die Psalmen nach dem Urtext. Freiburg 1892), *I. Sedlácek* (Vyklad posvátnych zalmu. Pragae 1900-1901), *I. Niglutsch* (Brevis Explicatio Psalm. ed. 4. Tridenti 1910). — Psalmos messianicos interpretati sunt *L. Reinke* (Die mess. Psalmen, Giessen, 1857, 2 voll.), *I. Bade* (Christologie II. Münster 1851), *Fr. Sal. Tiefenthal* (Novum Comm. in Ps. mere messianicos, Paris 1912). Praeterea cf. *L. Reinke* (Zusammenstellg der Abweichgen vom hebr. Texte der Psalm. in der LXX u. Vulg. Giessen 1858), *I. Koenig* (Theologie der Psalmen, Freiburg 1857), *I. I. Klem. Waldis* (Hieronymi graeca in Psalmos fragmenta, Münster 1908). — Ex auctoribus acatholicis commemorandi et cautione adhibita consulendi sunt *E. Perles* (Analekten zur Text-

kritik des Alten Test. 1895), *J. Wellhausen* (The Book of Psalms in Hebrew, 1895 ; The Book of Psalms with explanatory Notes, 1898), *B. Duhm* (Die Psalmen erklärt, 1899), *Fr. Baethgen* (Die Psalmen übersetzt u. erklärt, 1904), *J. Halévy* (Notes sur l'interprétation des Psaumes in Revue Sém. 1893-1898 ; separatim : Recherches bibl., 1905.

Ex multis inquisitionibus particularibus pauca quaedam referre placet : Smend, Ueber das Ich in den Psalmen (Zeitschrift f. d. alttest. Wissenschaft 1888 p. 49 sq. ; G. Beer, Individual- und Gemeindepsalmen, 1894 ; Engert, Der betende Gerechte der Psalmen, 1902 ; Rahlfs עני und ענו in den Psalmen, 1892; Giesebrecht, Ueber die Abfassungszeit der Psalmen (Zeitschrift f. alttest. W. 1881 p. 276 sq.) ; in eodem periodico 1899 p. 96 Büchler, Zur Geschichte der Tempelmusik und der Tempelpsalmen ; Wiesmann, Kehrverspsalmen (Mélanges de la Faculté orientale de l'Université Saint-Joseph, Beyrouth III, Fasc. I (1908), p. 337.

Psalmi merito considerantur tamquam voces reciprocae et responsiones piorum Dei servorum, quas dant doctrinis, promissionibus, comminationibus legis et prophetarum et quibus simul omnes docent, qualibus animorum sensibus, affectibus, precibus, encomiis, gratiarum actionibus oporteat Deum colere eiusque maiestatem ac beneficia celebrare atque in omnibus vitae conditionibus, in necessitatibus et privatis et publicis ad eum maxima cum fiducia confugere.

Commentario fere conscripto prodiit decretum Commissionis Pontificiae de re biblica die 1. Maii 1910 approbatum, quo de auctoribus, de tempore compositionis, de argumentis Psalmorum haec statuuntur :

I. Utrum appellationes *Psalmi David*, *Hymni David*, *Liber psalmorum David*, *Psalterium Davidicum*, in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatae ad designandum Veteris Testamenti Librum CL psalmorum; sicut etiam plurium Patrum et Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor David haberi debeat? — *Resp.* Negative.

II. Utrum ex concordantia textus hebraici cum graeco textu alexandrino aliisque vetustis versionibus argui iure possit titulos psalmorum hebraico textui praefixos antiquiores esse versione sic dicta LXX virorum : ac proinde si non directe ab auctoribus ipsis psalmorum, a vetusta saltem iudaica traditione derivasse? — *Resp.* Affirmative.

III. Utrum praedicti psalmorum tituli, iudaicae traditionis testes, quando nulla ratio gravis est contra eorum genuinitatem, prudenter possint in dubium revocari? — *Resp.* Negative.

IV. Utrum, si considerentur Sacrae Scripturae haud infrequentia testi-

monia circa naturalem Davidis peritiam, Spiritus Sancti charismate illustratam in componendis carminibus religiosis, institutiones ab ipso conditae de cantu psalmorum liturgico, attributiones psalmorum ipsi factae tum in Veteri Testamento, tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quae psalmis ab antiquo praefixae sunt, insuper consensus Iudaeorum, Patrum et Doctorum Ecclesiae, prudenter denegari possit praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem, vel contra affirmari pauca dumtaxat eidem regio Psalti carmina esse tribuenda? — *Resp.* Negative ad utramque partem.

V. Utrum in specie denegari possit davidica origo eorum psalmorum, qui in Veteri vel Novo Testamento diserte sub Davidis nomine citantur, inter quos prae ceteris recensendi veniunt psalmus II *Quare fremuerunt gentes*; ps. XV *Conserva me, Domine*; ps. XVII *Diligam te, Domine, fortitudo mea*; ps. XXXI *Beati quorum remissae sunt iniquitates;* ps. LXVIII *Salvum me fac, Deus;* ps. CIX *Dixit Dominus Domino meo?* — *Resp.* Negative.

VI. Utrum sententia eorum admitti possit qui tenent, inter psalterii psalmos nonnullos esse sive Davidis sive aliorum auctorum, qui propter rationes liturgicas et musicales, oscitantiam amanuensium aliasve incompertas causas in plures fuerint divisi vel in unum coniuncti: itemque alios esse psalmos, uti *Miserere mei Deus*, qui ut melius aptarentur circumstantiis historicis vel solemnitatibus populi iudaici, leviter fuerint retractati vel modificati, subtractione aut additione unius alteriusve versiculi, salva tamen totius textus sacri inspiratione? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

VII. Utrum sententia eorum inter recentiores scriptorum, qui indiciis dumtaxat internis innixi vel minus recta sacri textus interpretatione demonstrare conati sunt non paucos esse psalmos post tempora Esdrae et Nehemiae, quinimo aevo Machabaeorum, compositos, probabiliter sustineri possit? — *Resp.* Negative.

VIII. Utrum ex multiplici sacrorum Librorum Novi Testamenti testimonio et unanimi Patrum consensu, fatentibus etiam iudaicae gentis scriptoribus, plures agnoscendi sint psalmi prophetici et messianici, qui futuri Liberatoris adventum, regnum, sacerdotium, passionem, mortem et resurrectionem vaticinati sunt; ac proinde reiicienda prorsus eorum sententia sit, qui indolem psalmorum propheticam ac messianicam pervertentes, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi electi praenuntiandam coarctant? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

Die autem 1. Maii 1910, in audientia utrique Rmo Consultori ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, 1. Maii 1910.

Fulcranus Vigouroux, P. S. S.
Laurentius Janssens, O. S. B.
Consultores ab actis.

COMMENTARIUS

Ps. 1.

1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum* | *et in via peccatorum non stetit,* | *et in cathedra pestilentiae non sedit;* | 2. *Sed in lege Domini voluntas eius,* | *et in lege eius meditabitur die ac nocte.* | 3. *Et erit tamquam lignum — quod : plantatum — est : secus decursus aquarum,* | *quod fructum suum dabit in tempore suo* | *et folium eius non defluet;* | *et omnia quaecumque faciet prosperabuntur.*

4. *Non sic impii, — non sic : sed tamquam pulvis* | *quem proiicit ventus — a facie terrae :* | 5. *Ideo non resurgent impii in iudicio,* | *neque peccatores in concilio iustorum;* | *quoniam novit Dominus viam iustorum,* | *et iter impiorum peribit.*

Haud immerito nominat S. Basilius hunc psalmum breve prooemium, τὸ βραχὺ τοῦτο προοίμιον : « quomodo ad domum se habet fundamentum et ad navim carina et ad animalis corpus cor, eodem ad psalmorum generale argumentum se habet etiam breve hoc prooemium. Nam cum David ad multa eaque ardua et innumeris sudoribus referta in serie orationis esset exhortaturus, in antecessum finem beatum pietatis propugnatoribus commonstravit, ut bonorum nobis repositorum spe molestias vitae animo aequo perferamus. Sic etiam iter facientibus asperum ac difficillimum levamento est ad sustinendos labores commodum speratumque diversorium ; atque mercatoribus ad peragrandum mare animos facit parandarum mercium desiderium ; quin et agricolis laborum sensum quodammodo spes messis adimit. Quamobrem et communis vitae emendator, doctor magnus, spiritus veritatis, sapienter ac scite statim ab initio mercedem proposuit, ut supra praesentes labores evecti ad aeternorum bonorum gaudia properemus » (*M.* 29, 215). A beatitudine annuntianda Christus quoque sermonem montanum orsus est.

Qualis sit vita et felicitas iusti, describitur v. 1-3 ; qualis vero sors impii — utrumque autem ex Deo v. 4, 5. Ita in duas partes easque inaequales psalmus dividitur. Iusti vita moresque prius negative v. 1, dein positive describuntur. Initium fit a praedicatione et affirmatione beatitudinis : beatitudines viri (hebr.) ; hae autem beatitudines eius sunt qui declinavit a malo et bonum facit ; prius delineatur tribus :

non ambulavit in consilio impiorum, vitam non instituit secundum consilia et monita improborum ; neque in via i. e. in cogitandi agendique ratione peccatorum mente et animo versatus est, neque in consessu derisorum (hebr.) sedem suam fixit ; cum contemptoribus et irrisoribus pietatis et bonorum morum nullum iniit commercium, longe aberat ab eorum consuetudine. Cum eiusmodi conversari bene dicitur in vulg *in cathedra pestilentiae* sedere, LXX ἐπὶ καθέδρᾳ λοιμῶν i. e. hominum pestilentium sceleratorumque, utpote talium doctrinam, axiomata quasi cum auctoritate promulgare. Illis tribus : ambulare, stare, sedere exprimitur omne tempus omnisque actio humana, et docetur, nullo unquam tempore nullaque in re hominum improborum exempla esse imitanda (*Ag.*). Similiter enim legimus solere corporis collocationibus ac positionibus perpetuitatem quandam temporis et actionis designari Deut. 6, 7 : meditaberis in lege sedens in domo tua, et ambulans in itinere, cubans atque consurgens (item 11, 19) et Ps. 138, 2.

Ad quid positive eius dirigatur studium, explicatur v. 2 *sed in lege Domini voluntas eius* ; propensio et affectus animi declaratur et quaedam delectatio qua fertur in Dei legem ; quae notio sane verbo hebr חפץ convenit ; at alia quoque ei omnino inest, cura scil. ac sollicitudo, negotium. Cum in altero quoque membro legis mentio fiat, neque probabile sit bis usum esse psalmistam plane eadem voce, omnino placet coniectura ab aliis proposita, in hoc membro legi oportere : et in timore Domini (i. e. in cultu et observantia eius) reponitur cura et sollicitudo eius ; hoc est eius quasi negotium. Atque in hac notione praeplacet vocem hebr hoc loco accipere. Ad eam autem curam stimulatur studio diligenti legis : *et in lege eius meditabitur die ac nocte*, explica imp. hebr de actione praesenti continua ; in v. 1 dicitur id quod nunquam fecit, nunc quid faciat continuo seu diligenter, id quod *die ac nocte* (i. e. semper) exprimitur. Si enim assiduitatem lectionis in aliquo laudare volumus, eum semper legere dicimus ; הגה meditari, sedulo de aliqua re cogitare ; cf. Ios. 1, 8 non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quae scripta sunt in eo.

Hoc autem pietatis ac probitatis studium ex norma veteris legis consequitur felicitas ac prosperitas, quae delineatur in v. 3 metaphora arboris plantatae secus aquarum rivulos, quae metaphora satis frequenter adhibetur ; cf. Ps. 51, 10 ; 91, 13 iustus ut palma florebit ; 127, 3 et quam etiam pluribus prosecutus est Ieremias 17, 8. Arbor in loco irriguo plantata dat fructum suum, eumque praebet *in tempore suo* ; nec praecoces fructus nec nimis seros exhibet (*Calm.*), spem nunquam fallit. Viridem insuper et laetum praebet aspectum ; nunquam expan-

dit aridos ramos ; nam folium eius non marcescit ; semper apparet arbor foliosa et frondosa. Ita imaginem prae se fert felicitatis non interruptae et benedictionis Dei viro probo in cunctis negotiis praesentis. Quod sequitur *et omnia quaecumque faciet prosperabuntur*, erit glossa adscripta qua imago arboris declaretur. Hebr verte : et quodcumque aggressus fuerit, prospere exsequitur (cf. Ios. 1, 8 tunc viam tuam facies prosperam, hebr).

Plane diversa est sors impiorum. Breviter simulque cum emphasi fit exclamatio : v. 4 *non sic impii*, LXX repetitur οὐχ οὕτως, quare in vulg quoque [1]. Idque statim explicatur : arbori firmiter plantatae et florenti opponitur minuta illa ex trituratione palea (*Ag.*) quae ex area vento aufertur et dissipatur et evanescit. Alluditur ad morem veterum purgandi triticum a quisquiliis et glumis ; triticum in area sublatum ita vento perflatur, ut triticum pondere suo in aream decidat, stipula et gluma rapiatur a vento (*Calm.*) ; cf. Iob 21, 18 erunt (impii) sicut paleae ante faciem venti et sicut favilla quam turbo dispergit ; Is. 17, 13 ; 29, 5 ; Os. 13, 3 ; quae comminatio a praecursore de Christo praenuntiatur : cuius ventilabrum in manu eius et permundabit aream suam (Matth. 3, 12).

Quia itaque norma divina statutus est impiorum interitus, v. 5 *ideo non resurgent impii in iudicio*, simul ac iudicium Dei ingruit, impii non consistent, non stabunt, verum tollentur, interibunt ; *neque* consistent *peccatores in concilio iustorum*, ex coetu populi Dei auferentur adeoque bonis populo Dei propriis privabuntur. Sortis utriusque adeo diversae ratio assignatur v. 6 *quoniam novit*, *viam* i. e. genus vitae et opera *iustorum* approbat Deus, eorum gerit curam magna cum clementia. Ita quippe nosse in sacris litteris adhibetur ; cf. Ps. 36, 18. Prov. 12, 10 ; 27, 23. Quare iustis mercedem largitur, prosperitatem et benedictionem eis concedit ; verum *iter*, seu via *impiorum peribit*, hoc est illud in v. 5 denuntiatum iudicium. Via iustorum est felicitas correspondens generi vitae seu viae in qua ingrediuntur, via impiorum est perditio pariter congrua viae quam terunt. Dicitur nempe via et modus agendi et modus sese habendi, qui ex illo consequitur.

Ps. 2.

1. *Quare fremuerunt gentes* | *et populi meditati sunt inania ?* |
2. *Astiterunt reges terrae* | *et principes convenerunt in unum* | *adversus Domi-*

1. Notat Origenes : οὔτε τὸ Ἑβραϊκὸν ἀνεδίπλωσε τὴν λέξιν, οὔτε τῶν ἑρμηνευτῶν οὐδείς.

num et adversus Christum eius | 3. *Dirumpamus vincula eorum,* | *et proiiciamus a nobis iugum ipsorum!*

4. — *Qui : habitat in coelis irridebit — eos,* | *et : Dominus subsannabit eos ;* | 5. *tunc loquetur ad eos in ira sua* | *et in furore suo conturbabit eos.* | 6. *Ego autem constitutus sum rex — ab eo :* | *super Sion, montem sanctum eius.*

7. *Praedicans praeceptum eius : Dominus dixit ad me :* | *Filius meus es tu, ego hodie genui te ;* | 8. *postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam,* | *et possessionem tuam terminos terrae ;* | 9. *reges eos in virga ferrea,* | — *et : tamquam vas figuli confringes eos.*

10. *Et nunc reges intelligite,* | *erudimini qui iudicatis terram!* | 11. *servite Domino in timore* | *et exsultate — ei : cum tremore ;* | 12. *apprehendite disciplinam, ne quando irascatur — Dominus :* | *et pereatis de via — iusta :* | *cum exarserit in brevi ira eius,* | *beati omnes qui confidunt in eo.*

Ad hunc psalmum notat Origenes : « cum in exemplaria duo hebraica incidissemus, in uno quidem secundi psalmi principium invenimus haec esse, in altero vero cum priore coniuncta erant. Et in Actibus Ap. illud : Filius meus es tu, ego hodie genui te e primo psalmo laudatur ; sicut scriptum est, inquit, in primo psalmo : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Verum exemplaria graeca hunc secundum esse indicant. Illud autem non ignorandum est in hebraicis exemplaribus nulli psalmo numerum apponi » (*M.* 12, 1099). S. Hilarius quoque scribit ad hunc psalmum : « plures nostrum ambiguos facit apostolica auctoritas, utrum psalmum hunc cohaerentem primo et veluti primi extimum (extremum) putent esse, an vero subiacentem et secundum potius nominent. Namque in Actibus Ap. primum hunc haberi atque esse sub oratione b. Pauli ita docemur : sicut in psalmo primo scriptum est : Filius meus es tu. Ob hanc ergo apostolicam auctoritatem errore scribentium fieri creditur, ut in ordine secundus psalmus iste numeretur, cum primum esse ipso doctore gentium testante noscatur » (*M.* 9, 262). Iam ex Iustino discimus psalmum primum et secundum in unum antiquis temporibus contractos esse ; affert enim in Apologia 1, 40 uno tenore utrumque psalmum. Pariter ait Eusebius apud Hebraeos duos psalmos esse coniunctos (Ps. 18) ; idem asserit Hieronymus (Commentarioli in Ps., Anecdota Maredsolana, III, p. 3) ; item Apollinarius interpres psalmorum indicat (cf. Tischendorf, Novum Testamentum, editio octava critica maior, ad Act. 13, 33). Etiam apud Tertullianum ex optimis codicibus editur : in primo psalmo : Filius meus es tu (c. Marc. 4, 22) ita apud Tischendorf ; verum in recentissima editione, Vindobonae 1906, editur l. c. ad quem in secundo psalmo (et in nota : in secundo *Pam* : in primo *M R*). Et Agellio teste in manuscriptis antiquis libris Cypriani (in libro adversus Iudaeos primo, testim. 1, 13 scilicet) legitur item in primo psalmo, in impressis autem corrupte. Et ait Agellius eam sententiam de primo psalmo etiam Iudaeis

Vertit hebr Ilier : non sic impii, sed tamquam pulvis quem proicit ventus. Illud *a facie terrae* additur ex LXX ; legitur quippe saepius hebr et LXX, cf. Gen. 4, 14 ; 8, 8, 3 Reg. 9, 7 ; 13, 34. Ier. 28, 16. Am 9, 8. Soph. 1, 2, 3.

veteribus probari et ab eis confirmari ex eo, quia similem initio finem habeat; coepit a beati viri praedicatione et desiit eum beatum dicendo qui confidit in Domino.

Tischendorf Act. 13, 33 edidit ἐν τῷ πρώτῳ ψαλμῷ γέγραπται, secu'us D (codicem cantabrigensem), Origenem, Hilarium l. c. Bedam : quidam codices habent : sicut in primo psalmo scriptum est : quod ita exponitur, primum et secundum compositos, qui et a beatitudine incipiat et in beatitudinem desinat. — Plerique tamen codices et versiones praebent ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ. — Neque inepte dixeris (cum S. Basilio fere) primum psalmum tamquam breve prooemium toti praemitti psalterio, ideoque non insigniri ullo numero, sed haberi loco praefationis cuiusdam. Plura de hac re invenies apud *de Lagarde*, Novae Psalterii graeci editionis Specimen p. 16-18.

Psalmista in medias res nos statim rapit dramatis instar argumentum exponens. Miratur exsurgere rebelles, quorum furorem ac tesseram oculis subiicit. Verum conatus illorum impotes irridet Dominus, demonstrans regem a se constitutum, Filium suum, cui omnia subdantur oporteat. Quare ad sapientiora consilia redeant rebelles, ne pereant.

De quonam in psalmo sermo sit, multum controvertitur. Erant qui ad Davidem, vel Salomonem, vel Iosaphat (2 Par. 20) psalmi argumentum applicari putarent. At huius psalmi scena maior est ac magnificentior quam ut ulli regum congruat. Nam quae de rebellione, de amplitudine regni a Deo concessa, de hostium interitu exponuntur, longe superant quaecumque de regibus Iuda litteris consignata sunt. Haec autem amplitudo regni ac victoriae plene intelligitur, si psalmista conceptum illum postea a prophetis excultum de futura in omnes gentes dominatione Dei, de universali regno Dei, ob oculos habens huius futuri regni institutionem, oppugnationem, triumphum carmine suo celebrat. Tale autem argumentum a prophetis praeberi certum est (cf. Is. 9, 7 ; 11, 10-16 ; 19, 24 ; 63, 1-5. Ier. 23, 5 ; 33, 20 sq. Ez. 38, 39. Dan. 7, 14. Am. 9, 11, 12) atque in ipsis psalmis non raro tangitur (18, 5 ; 21, 28. 29 ; 32, 8 sq. 44, 7. 17 ; 67, 32 ; 71, 8 sq. 95, 3 sq. 144, 13 regnum tuum regnum omnium saeculorum et dominatio tua in omni generatione et generationem). Ab ipsa porro regis theocratici institutione et indole pronum erat ita regnum Dei universale concipere, ut rex a Deo constitutus eidem regno praeesset. Id quod pariter continetur in promissione de throno David aeterno (2 Reg. 7, 15. Ps. 88, 38. Ier. 23, 5 ; 33, 21 sq. etc.). Rex autem theocraticus dicitur filius Dei : ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium (2 Reg. 7, 14 ; 1 Par. 22, 10), sicuti de David quoque dicitur : et ego primogenitum ponam illum (Ps. 88, 28) ; est autem rex theocraticus eo quoque, quia sedet super solium Iahve (1 Par. 29, 23). Ex quibus facile consequitur

eum fieri filium Iahve eo quod rex instituitur et solium Iahve ascendit; unde in ipsa hac institutione gignitur a Domino. Agit itaque psalmus non de uno aliquo rege theocratico, verum de illo rege theocratico, in quo regnum ac dominatio Dei revera plene et perfecte in omnes gentes extenditur — de rege messiano, quem psalmista sub figura ac schemate regis theocratici potentissimi nobis exhibet.

De historia explicationis huius psalmi sufficiant, quae *Ag.* succincte refert : « nostri fere de Christo intelligendum censent quos in hac parte nos quoque sequimur, cum etiam Iudaei veteres de Christo filio David intelligendum putarint et in Actis apostolorum discipuli ad Christum retulerint. Non negamus tamen, ut fere omnia quae in testamento veteri gesta sunt, futurorum imagines fuerunt, sic praecipue David figuram Christi gessisse, ut rerum Christi imago in rebus David praecesserit et illa quoque regum ac principum adversus regnum David obstinata conspiratio, Pilati et Herodis et principum Iudaeorum infensum Christi imperio animum atque consilia praefiguraverit » ; cf. Act. 4, 25.

In prima stropha v. 1-3 describitur rebellio. Admirabundus et obstupescens exclamat psalmista *quare fremuerunt*, rebellarunt ; dominatio Dei est benefica ; ei omnes se debent submittere ; ergo quam stulta rebellio ! et quare *populi* meditantur (imp. hebr de actione continua) *inania*, quae fieri et evenire nullo modo possunt ; cur in vanum vires, consilia conferunt ? Agmen rebellium ducunt ipsi reges et principes : consurgunt reges terrae, sese sistunt ad pugnam, deliberatione principum simul facta *convenerunt in unum*, consilia inter se inierunt contra Iahve et Unctum eius. Et mutua inter se adhortatione confortant propositum suum audacter annuntiantes v. 3 *dirumpamus* etc. ; suavem Domini legem ac beneficam tanquam vincula cum indignatione confringenda considerant, tamquam funes (hebr) quibus iumentorum instar indigne alligati ac constricti sint. Similis conspiratio describitur Is. 8, 9 congregamini, confortamini, accingite vos, inite consilium, loquimini verbum — at vincimini, dissipabitur.

At quam inania moliantur, exhibetur in altera stropha in scena coelesti. Statim effertur Domini maiestas : v. 4 habitator coeli ridebit (Hier.), ridet de conatu inani tanto pondere inito et verbis adeo superbis enuntiato ; et subsannat eos ; Dei immensa potentia et securitas inviolabilis exhibetur. Verum *tunc* v. 5 suo tempore, tempore iudicii, quo illos conatus dissipat, irritos ostendit, *loquetur ad eos in ira sua* et Dei verbum est efficax, simul cum eius locutione : *in furore suo conturbabit eos*, terrore ac tremore concutientur. Qualis sit Dei locutio et obiurgatio, effertur in hebr : ego tamen unxi, institui regem meum

super Sion montem sanctum meum ! quae itaque audacia et insolentia, quae stupiditas contra talem regem rebellare! Ita in hebr apte ad *loquetur* sermo Domini consequitur, uti apud Hier quoque : ego autem orditus sum regem meum super Sion ; Aq quinta καὶ ἐγὼ ἐδιασάμην βασιλέα μου, Sym κἀγὼ ἔχρισα, sexta κἀγὼ διέσωσα.

Recta forma niphal graecus vertit κατεστάθην, unde vulg v. 6 *ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion* ; ut sedes Dei et regis dicitur mons sanctus ; quare locutio Dei hic non verbis effertur, sed ipsa re, ipsa scil. illa constitutione regis, qua Deus suam manifestavit voluntatem. Illam igitur obiurgationem statim ipse rex in rebelles enuntiat, v. 7 *praedicans praeceptum eius*, enuntians statutum divinum, quo rex est institutus (in tertia stropha); institutus est eo quod filius Dei sit appellatus : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu* ; vide 2 Reg. 7, 16 ; Ps. 88, 28 ; *ego hodie genui te*, tanquam filium te agnovi, nominavi, feci, hodie eo scil. tempore quo rex est institutus ; illis enim verbis enuntiatur sollemnis regis theocratici consecratio et constitutio. Et qualis rex theocraticus hoc loco intelligatur, uti iam in v. 1 generali illa designatione gentium, populorum, regum terrae, principum indicatur, ita nunc proposita dominatione universali indubie fit manifestum — est unus rex messianus v. 8 *postula a me*, declaratur promptitudo Dei, qua regi suo regnum illud universale committere vult *et dabo (tibi) gentes hereditatem tuam*, partem ac proprietatem tuam, *et possessionem tuam terminos terrae* ; ita scil. rex messianus dominari debet a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum (Ps. 71, 8). Et quali potentia sit instructus ad rebelles coercendos, additur ratione habita scenae v. 1-3 : *reges eos*, secundum punctationem mas. contundes eos baculo ferreo, si scil. contumaces permanserint ; lectio hebr membro altero parallelo commendatur : *et tanquam vas figuli confringes eos* ; interitus irreparabilis vase confracto significatur, in vase figuli simul adumbratur, quanta facilitate hostes rebelles perdat. In psalmo salomonico 17, 26 applicantur haec ad regem, filium David, Messiam : ἐκτρίψαι ὑπερηφανίαν ἁμαρτωλῶν ὡς σκεύη κεραμέως, ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ συντρίψαι· en, antiquissimum testimonium de hoc psalmo ut messianico ; cf. ps. salom. 18, 8 ὑπὸ ῥάβδου παιδείας Χριστοῦ κυρίου.

Tanta regis potentia et vindicta proposita, iam sequitur adhortatio ad tempestive resipiscendum in quarta stropha v. 10 *et nunc*, tali itaque rerum conditione, *reges*, uti v. 2, *intelligite*, prudentes, sapientes estote ; quasi ad sanam rationem ut redeant, monentur ; esset quippe maxime absonum et stultum diutius velle resistere ; *erudimini*, audite monitionem et obsequimini, iudices terrae (Hier), qui in v. 2 principes dicuntur. Quid iis sit praestandum, dicitur v. 11 *servite Domino in*

timore,estote subditi Deo in cultu, in observatione mandatorum cum omni cura ac reverentia, *et exsultate(ei)*, iubilate, laetis animis eius celebrate maiestatem, verum *cum tremore*, cum humili reverentia non sine quadam trepidatione et cum pavore venerabili tantae Dei celsitudinis. Et quomodo istud servire Domino exhibendum sit, docetur v. 12 *apprehendite disciplinam*, suscipite monitum, complectimini mandata Dei, assumite probos mores, *ne irascatur (Dominus)*; negligentia disciplinae seu vitae probae provocatur indignatio ac vindicta Dei, qua sontibus illis creatur perditio, *et pereatis de via(iusta)*, ne sitis obnoxii interitui; *cum exarserit in brevi ira eius* (cf. v. 5), si ob aliorum negligentiam et contemptum disciplinae Dominus poenas infliget, *beati omnes qui confidunt in eo*, dein tamen valebit illud : iustus in fide sua vivet (Hab. 2, 4). Saepe in psalmis praedicantur maxima emolumenta, quae fiduciae in Deum obventura sunt. Hic prima talis est confidentiae laus et commendatio.

De sensu textus hebr in **v. 12** non satis constat. Vertit Hier : adorate pure, id quod ex hebr facile explicatur; est enim נשקו osculamini, osculo autem etiam reverentia et subiectio declaratur, quare Symmachus vertit προσκυνήσατε καθαρῶς, uti Hier quoque ; בר purum, pure cf. Cant. 6, 9, 10. Ps. 19, 9; 24, 4; 73, 1. Iob 11, 4. Aliis placuit vocem hanc ex aramaico explanare (cf. Prov. 31, 2) : osculamini, seu adorate filium; parum probabile videtur, legimus enim pro filio v. 7 בן; alii explicant : adhaerete ei, estote ei subditi. De quo loco scribit Hieronymus : « carpere videtur Rufinus quod pro eo quod legimus in latino 'apprehendite disciplinam' et in hebraeo volumine scriptum est' Nescubar' dixerim in commentariolis meis 'adorate filium', et rursum omne psalterium in romanum vertens sonum, quasi immemor expositionis antiquae posuerim, adorate pure'... Nescu, ut verbum de verbo interpreter, καταφιλήσατε i. e. deosculamimi dicitur (Iob 31, 26-28) ; bar dicitur filius, triticum quoque et spicarum fasciculus, et electus ac purus » (*M.* 23, 413; 26, 827). Aq vertit καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς.

Sym προσκυνήσατε καθαρῶς. Ceterum pro v. 11 varia proposita sunt. Offensioni aliquibus erat iubilare in tremore ; quare emendarunt pro גילו scribentes חילו contremiscite (Ewald, Grätz), Bertholet autem ita distichon effert assumpta parte ex v. 12 : servite Domino in timore et osculamini pedes eius in tremore ; similiter Sievers : in tremore osculamini pedes eius (cf. Zeitschrift für die alttest. Wissenschaft 1908, p. 58, 193). Quod LXX habent v. 12, similiter praebet targum : recipite doctrinam (eruditionem). Censet Lagarde (l. c.) LXX legisse ביסר נשקו ; syrus praebet : osculamini filium. Textum mass. mendosum esse fatetur Lagarde. Alia tentamina emendationis vide Revue biblique 1903, p. 205 et 1905, p. 40.

Allegatur v. 7 Act. 13, 33; Hebr. 1, 5; 5, 5. Et primo quidem loco dicitur Deus suscitasse Iesum, ἀναστήσας, eum exhibens et manifestans, sicut

in psalmo dicitur : Filius meus es tu etc. Uti igitur in psalmo exhibetur et proponitur regibus ac principibus et populis, ita Iesus post resurrectionem suam etiam mundo manifestatus et propositus est tanquam Filius Dei. Ipsa autem resurrectio Christi ibi hoc effato minime probatur (vide meum Comment : in Act. 13, 33). Cum ex dictis intelligamus psalmum de rege theocratico eoque messiano (secundum notiones prophetarum), ubi primum constat de divina Messiae natura, etiam illud de Filio et de generatione modo multo sublimiore concipietur, quam de sola institutione regis theocratici ; cf. Hebr. 1, 5; 5, 5. Sublimior hic modus concipiendi psalmum 2 davidicum commendatur psalmo 109 item davidico (vide ad 109, 3).

Ps. 3.

1. *Psalmus David cum fugeret a facie Absalom filii sui* | .

2. *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me?* | *multi insurgunt adversum me ;* | 3. *Multi dicunt animae meae :* | *non est salus ipsi in Deo — eius :*
4. *Tu autem Domine susceptor meus — es :* | *gloria mea et exaltans caput meum :* | 5. *Voce mea ad Dominum clamavi,* | *et exaudivit me de monte sancto suo.* | 6. *Ego dormivi et soporatus sum,* | *et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.*

7. *Non timebo millia populi circumdantis me,* | *exsurge Domine, salvum me fac Deus meus;* | 8. *quoniam — tu : percussisti omnes adversantes mihi sine causa,* | *dentes peccatorum contrivisti.* | 9. *Domini est salus,* | *— et : super populum tuum benedictio tua.*

David impetitur et multitudine hostium et desperatione familiarium (v. 2. 3). Ipse autem firma fiducia die ac nocte salutem a Domino securus sperat (v. 4-6), et intrepide cladem hostium et Dei opem ac benedictionem praedicit (v. 7-9). Argumentum psalmi ad eventum in psalmi inscriptione designatum plane congruit ; venit quippe nuntius ad David dicens : toto corde universus Israel sequitur Absalom (2 Reg. 15, 13); fugit itaque David et in hac fuga sane exclamaverit : quam multi sunt tribulantes me? verum querelam et cordis angustiam statim dirigens ad Dominum, *Domine*, Iahve, ostendit pio affectu, cuius permissione haec sibi fiat oppressio et a quo levamen efflagitet in rebus arctis, nam *multi insurgunt adversum me*, cum dolore conditionem afflictam et plenam periculo Domino exponit ; neminem nominat ; neque filium, neque amicum, iam proditorem, Achitophel (2 Reg. 15, 31), ne vulnus cordis in immensum augeatur. Alia insuper accedit afflictio ab ipsis comitibus ; *multi dicunt animae meae*, de me, de periculo in quo versatur vita (anima) mea, hebr לנפשי explica : quod attinet ad animam meam, quoad me : pro eo non est salus, auxilium, in Deo ; Deus eum dereliquit.

Quo maior turba hostium, quo maior numerus est desperantium, eo sublimior apparet firma psalmistae in Deum fiducia v. 4 : *tu autem, Domine, susceptor meus es*, hebr et tu Iahve scutum circa me ; en, quanta fiducia, qualis animus mediis in tribulationibus ; Dominum vocat suum scutum quo omni ex parte protectus sit, et contra quod scutum arma hostilia nihil valeant. Etiam altius assurgit certa eius fiducia : *gloria mea*, tu gloriam meam conservabis, restitues, augebis (*Ag.*) *et exaltans caput meum*, qui me nunc humiliatum et oppressum exaltabit. Hanc firmam fiduciam in sequentibus enuntiat simul docens talem esse mercedem piae et ferventis deprecationis ; hebr explica : si ad Iahve clamo, me exaudit de monte sancto ; et eodem modo intellige vulg, de firma spe quam habet de exauditione precum suarum. Neque fiduciam esse inanem, iam demonstrat protectione qua eousque in hac calamitate a Deo donatus sit v. 6 *ego dormivi*, decubui et somnum cepi et expergefactus sum, quia Iahve me fulcit, me sustentat. Iam expertus est protectionem divinam in varia rerum vitaeque conditione, quam declarat alio et alio habitu corporis, uti in psalmo primo ambulare, stare, sedere simili modo adhibetur ad omnem vitae rationem significandam. Habet itaque iam pignus quoddam opis divinae. Bene vertit Hier v. 4 tu autem, Domine, clipeus circa me ; v. 5 voce mea ad Dominum clamabo, et exaudiet me.

Ex praesenti protectione alacrem capit animum et bonam spem v. 7 *non timebo millia populi circumdantis me*, hebr non timeo decem millia, LXX οὐ φοβηθήσομαι ἀπὸ μυριάδων λαοῦ, quae in circuitu (circum) contra me constiterunt. Cur non timeat, ipsa deprecatione explicat certus de exauditione quam Deus pie precanti non denegat : v. 8 *exsurge Domine*, quiescere videtur Dominus, quamdiu praesens auxilium non datur ; ad opem ferendam ex quiete surgit homo et ad actionem properat ; inde simili loquendi modo ex nostra consuetudine sermonem transferimus ad Deum, *salvum me fac*. Quam petitionem fulcit experientia illa quam iam habuit et quam etiamnum habet, cum sciat se a Deo electum et regem institutum ; *quoniam percussisti omnes adversantes mihi sine causa*, cur adversarentur, non erat ; iure divino David regnum obtinuit ; cf. 2 Reg. 2,17 ; 5,6.19 sq. 8,1 sq. 10.7 sq. Istud *sine causa* LXX ματαίως, non legitur hebr ; vertit Hier : quia percussisti omnium inimicorum meorum maxillam [1], cui congruit alterum membrum : *dentes peccatorum contrivisti*, rabiem et furorem hostium fregisti, eorum arma abstulisti, ut nocere iam non potuerint. Imago a ferocia bestiarum ; cf. Ps. 34,16 ; 56,5 ; 57,7 ; 123,6.

1. Hebr. לחי, LXX לחנם ; cf. Perles, Analecten p. 24. Aq Sym σιαγόνα, et ita haberi in hebr etiam Eus. adnotat.

Concludit triumphantis in modum, *Domini est salus*, tota spes salutis consistit in Domino, cui quam maxime proprium est esse fontem et largitorem salutis ; quare spem quoque bonam concipit fore ut benedictio Dei populo obveniat et scissio illa (v. 2-3) tollatur : *et super populum tuum benedictio tua*, in modum precantis ac confidentis de rerum integritate restituenda absolvit psalmum.

Ps. 4.

1. *In finem in carminibus, Psalmus David.*

2. *Cum invocarem, exaudivit me Deus iustitiae meae, | in tribulatione dilatasti mihi ; | miserere mei et exaudi orationem meam.*

3. *Filii hominum usquequo gravi corde, | — ut quid : diligitis vanitatem — et : quaeritis mendacium? | 4. Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum, | Dominus exaudiet — me: cum clamavero ad eum. | 5. Irascimini et nolite peccare, | quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.*

6. *Sacrificate sacrificium iustitiae et sperate in Domino ; | multi dicunt : quis ostendit nobis bona? | 7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, | dedisti laetitiam in corde meo, | 8. a fructu frumenti, vini — et olei : sui multiplicati sunt.*

9. *In pace in idipsum dormiam et requiescam, | 10. quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.*

Psalmun hunc nonnulli cum antecedente coniungunt (cf. *Wies.*) ; neque immerito ; nam etiam hoc loco David impetitur partim ab iis qui contra eius dignitatem et electionem a Deo factam insurrexerunt (v. 3.4) et partim ab ignavis amicis qui spem fere abiecerint (v. 6), similiter uti Ps. 3.2.3 vidimus. In tali rerum conditione psalmista deprecationem plenam fiducia ad Deum dirigit v. 2 ; dein audacter denuntiat rebellibus, quanta ignominia agant v. 3 ; monet ut electionem a Deo factam perpendant v. 4, ut serio resipiscant v. 5. Amicis dubitantibus commendat, ut pie Deum colentes spem augeant v. 6 et suae ipsius fiduciae magnitudine et alacritate eos erigere studet v. 7.8. Quare epiphonemate concludit, quam confidenter cubitum eat.

Deprecatio spe plena ita in vulg vestitur, ut prius commemoretur, invocantem iam saepius a Deo esse exauditum, et a tribulatione ereptum. Qua experientia eo fidentius fundi potest nova deprecatio. Unde textus vulg aptum exhibet sensum. Sed iam Hier vertit hebr invocantem exaudi me, *Deus iustitiae meae*, Deus protector ac vindex iustae meae causae ; locutio etiam verti potest : Deus iustus meus, mi Deus iuste ; verum quia psalmista agit contra inimicos, hostes, rebelles, et suam causam iustam clare effert v. 3, prior acceptio aptior est ad psalmi

argumentum, Deus mei iuris, meaeque causae defensor et tutor (*Gen.*); *in tribulatione*, in angustia, latum mihi spatium fecisti et facis, *dilatasti mihi*, perfectum hebr intelligitur quoque de eo quod Deus semper facit; ergo praesenti tempore merito vertitur. Iam concipitur quanta post tales titulos fiducia imploret Deum; *miserere mei* etc.

Tali confidentia armatus increpat obdurationem: qua *filii hominum*, homines sese opponunt ordini a Deo constituto; *usquequo gravi corde*, quamdiu eritis obstinato animo? In hebr legitur בני איש viri, nobiles, praestantes (*Ag. Gen.*), quamdiu gloria mea in ignominiam! viri, usquequo gloriam meam, dignitatem regiam, electionem a Deo factam contumelia afficere studebitis? LXX alia divisione et beth pro caph posito melius (Graetz) legerunt: כבדי לב למה graves corde, obdurati; *ut quid*, cur *diligitis vanitatem?* conatus vestri vani sunt; quae fieri nequeunt appetitis; *mendacium*, rem nullo unquam tempore futuram (*Ag.*) utpote vero contrariam quaeritis, dignitatem meam negantes.

Et quam vere eos accusaverit vanitatis et mendacii, declaratur v. 4 *et scitote*, cum emphasi monet, ut tandem serio recogitent secum: *quoniam mirificavit*, mirabilem reddidit (Hier), etiam hebr segregavit, selegit, *Dominus sanctum suum*, hebr sanctum sibi, חסיד is est, cui favor divinus, misericordia contingit. Frustra ergo contra talem, cui Deus electione sua gratiam et misericordiam praestitit, moliuntur rebellionem; cf. חסד 2 Sam. 7,15 (vulg misericordiam meam non auferam ab eo). Porro sciant, Deum huius electi deprecationem exauditurum esse. Eorum itaque conatibus obstat dignitas illa a Deo collata, obstat deprecatio ipsius electi, quia iustam suam causam Deo commendat certus de exauditione. Hisce propositis eos iam hortatur v. 5 ut ab irrito conatu desistant et resipiscant; *irascimini*, imperativum ex syntaxi hebr sumi posse et hic sumendum esse tamquam formulam hypotheticam, iam docent *Ag. Gen.*: si irascimini, si aegre fertis dominationem meam, saltem *nolite peccare*, ita perficere et exsequi iram, ut in rebellione perseveretis et praevaricationem, peccatum, consummetis. Potius *quae dicitis in cordibus vestris*, quae cogitatis, consilia mala et clandestina, machinationes, de iis *in cubilibus vestris*, remoti a strepitu et clamosa turba, in solitudine et quieta consideratione, *compungimini*, agite poenitentiam resipiscentes. Textus hebr in priore membro eodem modo intelligi potest; nam רגז est excitari, vehementiore affectu commoveri; in altero membro fert textus: loquimini in cordibus vestris super stratum vestrum et silete. Sensus videtur esse, ut domi mente tranquilla res perpendant et ab ulteriore conamine absistant. Alii aliter textum vel concipiunt vel mutant; sed cum nullus sit exitus communis, varia referre non erit opus.

In v. 6 sermo ad alios transferri videtur, quos scil. poeta admonet, ut pie Deum colant et spem in eum concipiant : *sacrificate sacrificium*, sacrificia (hebr) *iustitiae*, iusta sacrificia, rite oblata quae Deo probantur et pio affectu redduntur iusta, accepta ; eiusmodi sacrificiis conciliatur favor divinus ; unde iis oblatis *sperate in Domino*, merito spem et fiduciam auxilii et beneficii divini rerumque secundarum concipietis. Atque quam opportuna, imo necessaria sit eiusmodi adhortatio, appareat ex v. 7 *multi dicunt : quis ostendit nobis bona*? sunt pusillanimes, diffidentes : quis videre, experiri nos faciet bonum, res secundas ? Sunt iidem qui 3,3 de felici successu desperant.

Horum trepidationi et pusillanimitati opponit psalmista suam spem firmissimam et animi alacritatem eximiam. Nam primo asserit indubitanter, favorem divinum stabili modo rebus suis praesto esse : *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, lumen vultus, seu faciei, facies hilaris ac laeta symbolum est favoris, benignitatis, clementiae ; ἐσημειώθη signatum est : quasi certis quibusdam signis constat nobis praesto esse favorem divinum. In hebr legitur נסה ; vocem נס LXX vertunt σημεῖον (Num. 21,8.9 ; 26,10. Is. 11,12 ; 13,2 etc.) ; unde explicarunt נסה ἐσημειώθη. Recentiores communiter vertunt, uti Aq Theod ἔπαρον, Hier : leva super nos lucem vultus tui ; vel cum allusione ad נס : vexillum quo ducimur est lumen vultus Domini (*Wies.*). Versio graeca, latina bene congruit ad sequens membrum : *dedisti*, das *laetitiam in corde meo* ; cum enim psalmista iam laetitiam cordis sibi datam esse profiteatur, sane in membro antecedenti non tam petitio favoris, sed affirmatio favoris iam praestiti et praesentis congruenter ponitur.

Et quam magna sit eius laetitia, declaratur sequentibus : *a fructu frumenti*, verba ex sensu textus hebr bene explicat *Ag.* : dedisti laetitiam in corde meo longe maiorem, quam ii habent qui frumento et vino ditati sunt. Tempus messis, imprimis messis uberrimae esse solet tempus magnae laetitiae, uti tempus quoque vindemiae. Maiorem se experiri ex Dei favore psalmista mediis in rebus adversis affirmat eximia scil. fide et spe in Deum instructus. Hac sua laetitia et fiducia confundit illos trepidantes et conatur eos ad spem et confidentiam erigere. Textum hebr explicabis vertens : das laetitiam prae tempore (מן comparativum inducit) quo frumentum eorum et mustum eorum multum est. Textus latinus, uti iacet, nequit intelligi. De laetitia tempore messis cf. Is. 9,3. Teste Origene (in Catena Cord.) etiam LXX habent ἀπὸ καιροῦ, ita vetus lat. : a tempore.

Et quanta securitate et animi tranquillitate sit, re ipsa declarat David v. 9 *in pace in idipsum dormiam et requiescam*, explica ex

hebr in plena securitate statim decumbam ac dormiam ; similiter vertit Hier : in pace simul requiescam et dormiam ; statim vel simul (utraque notione invenitur in vulg in idipsum, ἐπὶ τὸ αὐτό) hoc loco emphatice depingit, quam quietum, tutum ac securum se sentiat psalmista, non obstante rebellione hostium et amicorum titubatione vespere statim placidum se capere posse somnum profitetur. Huius autem animi tranquilli ratio est : *quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me* ; in latinitate vulg singularis idem est etiam ac solus (cf. Marc. 4,10 et cum esset singularis, interrogaverunt eum) ; unde hic : tu Domine solummodo, ceteris timentibus seu desperantibus, me in spe adeo firma posuisti, me in securitate habitare facis (hebr) ; Hier : specialiter securum habitare fecisti me. Pro לבדד melius legitur cum pluribus לבדך (*Wies.*) : tu Iahve solus me in securitate facis habitare.

Ps. 5.

1. *In finem pro ea quae hereditatem consequitur, Psalmus David.*

2. *Verba mea auribus percipe Domine,* | *intellige clamorem meum ;* | 3. *intende voci orationis meae ;* | *rex meus et Deus meus ;* | 4. *quoniam ad te orabo, Domine,* | 4. *mane — ex : audies vocem meam ;* | 5. *mane astabo tibi et videbo ;*

5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu — es :* | 6. *neque habitabit iuxta te malignus,* | *neque permanebunt iniusti ante oculos tuos ;* | 7. *odisti omnes — qui : operantur iniquitatem,* | *perdes — omnes qui : loquuntur mendacium,* | *virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.*

8. *Ego autem in multitudine misericordiae tuae* | *introibo in domum tuam,* | *adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo* | 9. *Domine deduc me in iustitia tua,* | *propter inimicos meos dirige in conspectu tua viam meam !*

10. *Quoniam non est in ore eorum veritas* | *cor eorum vanum est,* | 11. *sepulcrum patens — est : guttur eorum* | *linguis suis dolose agebant ; iudica illos Deus ;* | *decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos,* | *quoniam irritaverunt te — Domine : !*

12. *Et laetentur omnes qui sperant in te,* | *in aeternum exsultabunt et habitabis in eis* | *et gloriabuntur in te-omnes : qui diligunt nomen tuum ;* | 13. *quoniam tu benedices iusto, Domine,* | *ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos.*

De titulo sat obscuro vide Cornely (Introd. II, n. 187, 2).

In v. 4 ex textu hebr habetur : mane instruam tibi, ערך adhibetur de variis quae praeparanda seu ordinanda erant ad sacrificium : Lev. 1, 7. 12 ; 6, 5 ; 24, 3. 8 etc ; David mane dum res ad sacrificium praeparantur, enixe a Deo petit, ut exaudiat preces suas (v. 2-4). Quale sit desiderium eius, elucet ex ipsa ratione qua v. 5-7 spem exauditionis fulcit : Deus odit iniquitatem ; iniusti non protegentur, sed peribunt ;

hac norma divina ipse sperat exauditionem, ergo petit protectionem divinam contra insidias inimicorum. Et hanc eo magis sibi promittit v. 8-9, quia pius Dei cultor sit qui propter inimicos servari vult in via iustitiae. Contra horum impetum et dolos implorat iustum Dei iudicium v. 10-11; quo simul veri Dei cultores gaudium et felicitatem nacturi sint v. 12-13.

In prima stropha ardens exprimitur desiderium, ut Deus preces exaudiat; quare repetitis modis fit imploratio : ut Deus velit audire verba orationis : *auribus percipe*, ut attendat ad gemitum (hebr), ut advertat ad vocem clamoris (hebr); Deo obtenduntur tituli, quibus moveri debet ad exauditionem : *rex meus et Deus meus*, rex, cuius est subditos omnes protegere, eorum iura tueri, vindicare; Deus meus, omnium bonorum fons ac largitor; et homo tandem nullum aliud habet auxilium constans ac perpetuum, nisi ut confugiat ad Deum suum; *quoniam ad te orabo*; en, inquit, impleo conditionem, cui exauditio adnectitur ! Urget et auget implorationem v. 4 *mane*, quo praeparatur sacrificium et ratione oblationis eo maiore exspectatione ad opem prospecto, *exaudies vocem meam*, mane instruo (hebr) tibi, praeparo sacrificium et fidenter prospicio. Spes exauditionis enuntiatur; sensu simili concipe : *astabo tibi et videbo*, me sisto coram te (orans) et videbo, experiar opem tuam.

Imploratione adeo vehementi iam satis declaratur necessitas seu afflictio petentis. Petit, ut ab iniusta vexatione liberetur et ideo spem exauditionis ex eo repetit v. 5 *quoniam non Deus volens iniquitatem*, cui placeat impietas seu malitia, *tu es*, nec patitur Deus habere accolam virum malum, *neque habitabit iuxta te malignus*; non tolerat Deus iniquum habere vicinum; est alius modus exprimendi odium iniquitatis; sicuti etiam in v. 6 *neque permanebunt*, neque accedent (hebr), non permittitur, ut accedant superbi (insolentes, hebr) *ante oculos tuos*; nam Deus odio habet omnes *qui operantur iniquitatem*; uti in priore stropha repetitis modis ardens desiderium exauditionis expressit, ita nunc idem ardens manifestat desiderium, eo quod sexies et cum quadam gradatione Deo exponit, quantopere debeat impios odisse et perdere, abominari; simul variis iniquitatum generibus commemoratis multiplicem inimicorum impetum Deo proponit, quo magis opem eius imploret; vir sanguinis in psalmis et proverbiis generatim dicitur is qui iniustitiam et oppressionem committit; vide quae dixi in Comment. in Proverbia, p. 217. Mendaciis, oppressione, dolo, fraudibus tamquam armis uti solent inimici.

In tertia stropha v. 8. 9, petitionem suam commendat Deo ex eo quia sibi licet ex magna et multa Dei benignitate et gratia intrare in

domum, in sanctuarium Dei; ergo a Deo iam agnoscitur quasi accola, vicinus, amicus; cui favori divino ex sua parte respondet promissione : *adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*, in vera pietate et reverentia Deo debita. Advertendum est templum היכל dici etiam de antiquo sanctuario, uti 1 Reg. 1, 9 (Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini; et 3, 3 Samuel dormiebat in templo Domini, urbi erat arca Dei). Quare mentio templi non potest afferri tamquam indicium ac si psalmus non esset davidicus. Ceterum modus loquendi etiam usui temporis posterioris accommodari potuit. Tali praeparatione facta et desiderio ardenti exposito ipsam petitionem enuntiat v. 9 *Domine, deduc me in iustitia tua*, duc me ut ambulem et vivam in iustitia a tua lege praescripta, *propter inimicos meos*, qui dolis et insidiis me impetunt occasionem quaerentes qua mihi possint quidquam mali imputare et calumnias intendere; propter tales insidiatores iterum instanter rogat : *dirige in conspectu tuo viam meam*, ut vivam immaculate ante te; hebr complana ante faciem meam viam tuam[1], id est : deduc me, seu dirige me in viam planam, ita ut sine offensione et sine difficultate, in pace ac securitate vivam, a periculis tutus.

Iam quantopere indigeat, ut via complanetur, difficultates obstantes removeantur, declarat v. 10 ex indole inimicorum ; *quoniam non est in ore eorum veritas*, Hier rectum ; sunt perfidi et mendaces, *cor eorum*, interiora eorum, insidiae (Hier), hebr perlitiones ; omnis quasi eorum cogitatio est quomodo possint alios perdere, in ruinam propellere. Fossa aperta creatur itinerantibus periculum; sepulcro aperto creatur insuper horror; sepulcrum apertum virulentiam et foetores emittit; *sepulcrum patens est guttur eorum* ; sermonibus suis atque calumniis ubique perniciem spargunt et horrorem creant; *linguis suis dolose agebant* ; Hier : linguam suam levificant, hebr linguam suam lenem, blandam faciunt; eam ad benevolentiam ac blanditias componunt, quo facilius incautos perdant. Nominatur os, cor, guttur, lingua, ut totus homo in cogitandi et agendi ratione corruptus exhibeatur.

Contra tales psalmista invocat iustum Deum ac sanctum (cf. v. 5-7) : v. 11 *iudica illos Deus*, hebr pronuntia eos sontes, Hier condemna eos; petit itaque, ut debito modo mulctentur ; et quid praeprimis sit efflagitandum, indicat ; *decidant a cogitationibus suis*, corruant suis ipsorum consiliis et machinationibus ; explica *a* hebr מן ut causam per quam sibi ipsi ruinam accersant et parent. Idem petitur a Deo : *secundum multitudinem iniquitatum eorum expelle eos* fac eos corruere, praecipita eos; id autem meriti sunt, *quoniam irritaverunt te*, flagitiis et

1. De eo loco fuse agit Hier in epistola ad Suniam et Fret.

contemptu legis divinae provocaverunt (Hier) Deum; hebr quia rebellarunt contra te, contra legem et ordinem a Deo constitutum contumaces sunt.

Iam si Deus pro sua iustitia tale iudicium exercuerit, tunc iuremerito v. 12 *laetentur omnes qui sperant in te*, gaudebunt de manifestatione sanctitatis et iustitiae Dei, quae in casu et ruina consiliorum iniquorum conspicua omnibus apparet ; augebitur spes ac fiducia piorum : *in aeternum exsultabunt*, permanenter, de tali manifestatione exsistet iubilatio et actio gratiarum ; *et habitabis in eis*, et cum hisce Deus quoque intime sese gratia sua coniunget suam benignam praesentiam iis exhibendo ; Hier, hebr : proteges eos, et in hac tutela divina *gloriabuntur*, laetabuntur (Hier), iubilabunt *in te omnes qui diligunt nomen tuum*, Deum et omnes modos quibus Deus se manifestat : nomen eius est Iahve, quod nomen tamquam tesseram conclusioni et executioni foederis ac promissionum praefixit (Ex. 6, 3-8). Atque huius piorum exsultationis causa et ratio est eorum persuasio ac certa fides v. 13 *quoniam tu benedices iusto*, explicabis imp. hebr de actione continua, saepe repetita : benedicis ; haec autem benedictio describitur tamquam scutum, est ipsum beneplacitum divinum seu benevolentia qua quasi circumdantur ; *ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos*. LXX ὡς ὅπλῳ εὐδοκίας ἐστεφάνωσας ἡμᾶς, scutum et corona inter se non conveniunt. Neque hebr aptum fundit sensum : sicuti scuto, benevolentia circumdabis eam ; scuto utique vir protegitur, neque tamen circumdatur. Quare recentiores pro צנה legunt צניף, uti diademate coronas eum benevolentia ; cf. Is. 61. 10 ; 62, 3. Vertit *Graetz* hebr : sicut lorica circumdas eum clementia.

Ps. 6.

1. *In finem in carminibus, Psalmus David, pro octava.*

2. *Domine, ne in furore tuo arguas me* | *neque in ira tua corripias me.* | 3. *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum,* | *sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea ;* | 4. *et anima mea turbata est valde,* | *sed tu, Domine, usquequo ?*

5. *Convertere, Domine, — et : eripe animam meam,* | *salvum me fac, propter misericordiam tuam ;* | 6. *quoniam non est in morte-qui : memor sit tui,* | *in inferno-autem : quis confitebitur tibi ?* | 7. *Laboravi in gemitu meo,* | *lavabo per singulas noctes lectum meum,* | *lacrimis meis stratum meum rigabo ;* | 8. *Turbatus est a furore oculus meus,* | *inveteravi inter omnes inimicos meos.* |

9. *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem,* | *quoniam — ex : audivit Dominus vocem fletus mei.* | 10. — *Ex : audivit Dominus deprecationem meam,* | *Dominus orationem meam suscepit.* | 11. *Erubescant et conturbentur * vehementer : omnes inimici mei,* | *convertantur et erubescant-valde : velociter.*

Versatur David in magna afflictione animi et corporis, in qua ardenter a Deo misericordiam efflagitat v. 2-4 ; petitionem repetitam Deo commendat ex eo quod post mortem Deo laudes non poterit persolvere et quod vehementissimis angustiis nocte et interdiu excruciatur v. 5-8. Subito fiducia repletus se exaudiri sentit et inimicis invidis et persecutoribus suis denuntiat confusionem et ignominiam v. 9-11.

Graviter se sentit puniri manu Dei ; non deprecatur prorsus poenam, sed eam vult paterna castigatione mitigari (*Gen.*) ; unde *ne in furore* ; afflictio et calamitas consideratur ut poena a Deo immissa, quam ne Deus, offensus peccatis, *ira* augeat, suppliciter rogat. Quam mitigationem et misericordiam ut impetret, effert in quam miseram conditionem iam sit redactus v. 3 *miserere mei*, *quoniam infirmus sum*, hebr potius cum emphasi languidus, marcidus, viribus et vigore plane destitutus ; immo in ipsa precatione crescit spes et desiderium ; quare praeter et ultra misericordiam iam petit sanationem v. 3 *sana me*, et magnitudo afflictionis exhibetur in concussione corporis et animae ; *conturbata sunt ossa mea*, quae firmissima sunt in corpore, trepidant, quasi bases ac fundamenta corporis nutant ac tremunt (*Ag.*) et v. 4 quam maxime *anima mea* est consternata et oppressa. In tanta miseria iam non ferre potest dilationem auxilii ; unde in modum impatienter deposcentis opem exclamat *sed tu, Domine, usquequo ?* quousque tardabis, quousque sines me miserum pati ? verum vehemens affectus et impatiens desiderium et stupor et admiratio de ope dilata optime depingitur ipsa illa aposiopesi.

Etiam maiore vi repetitur petitio v. 5 *convertere*, poena inflicta videtur Deus aversus ab homine ; ergo : converte te ad me, redi ad me benigne ; *eripe animam meam*, vitam meam, salva me ; opem mihi praebe et salutem *propter misericordiam tuam*, scil. prout decet tuam gratiam et miserationem ; haec tua benevolentia mihi iustum praebet titulum precationis. Hanc tuam benevolentiam laudibus prosequi in vita mea maxime exopto ; quare *salvum me fac*. v. 6 *quoniam non est in morte* recordatio tui (hebr, Hier) ; vita in scheol generatim exhibetur satis tristis : numquid confitebitur tibi pulvis aut annuntiabit veritatem tuam (Ps. 29, 10) ; numquid mortuis facies mirabilia ! numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam (87, 11) ? nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas (Eccl. 9, 10) ; est enim scheol terra tenebrosa, operta caligine, terra miseriae (Iob 10, 21) ; *in inferno quis confitebitur tibi ?* quis laudabit te ? laudes Dei et iubilationes solum in terra cantantur et praedicantur, non in scheol. Unde pro psalmista gravis exsistit ratio, cur petat : sana me.

Altera ratio petitur ex gravitate et diuturnitate afflictionis v. 7 *laboravi* lassus sum, defatigatus *gemitu meo*, gemendo defessus sum (*Ag.*) ; *lavabo*, lavo, madefacio *per singulas noctes lectum meum*, Hier natare faciam tota nocte lectulum meum, scil. *lacrimis meis stratum meum rigabo*, fletu meo lectum oppleo. Ex noctis tempore indicatur maxima vis doloris, cum pro quiete ei solum gemitus et lacrimae praebeantur. Fletu et moeroris aegritudine etiam oculi tabescunt v. 8 *turbatus est a furore*, hebr a moerore *oculus meus*, Hier caligavit prae amaritudine oculus meus, hebr fortasse contabuit seu marcuit oculus meus cf. 30, 10; Aq ἠχλυώθη aruit, Sym ἐξελέγμανε inflammatus est seu exulceratus; hisce describitur quomodo oculi crebro fletu et diuturna aegritudine afficiantur ; insuper *inveteravi inter omnes inimicos meos*, quasi senio defeci inter tot insultantes hostes (*Gen.*); Hier consumptus sum ab universis hostibus meis. Sed hebr refertur iterum ad oculum [1] : consenuit (*Gen.*) per omnes vexatores meos, propter afflictiones et molestias. Lumen et vigor oculorum per tristitiam, dolores, luctum obnubilatur.

Spe erectus et fiducia confortatus iam triumphantis in modum inimicos a se recedere, conamina sua derelinquere iubet v. 9 *discedite a me*, desistite me vexare, *quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*, idque bis laete repetit v. 10 *exaudivit*, orationem meam suscipit, audivit vocem, audivit deprecationem eamque suscipit ; ita hebr firmam enuntiat spem et ipsam exauditionem iam praesto esse, confusione inimicorum declaratur v. 11 *erubescant* explica : erubescere debent, vel pudore opplentur et perturbatione ob salutem et liberationem a Domino mihi concessam; iterum subito ignominia afficiuntur; hebr שׁוּב hoc loco bene vertes : iterum, denuo ; repetito ruborem inimicis incutit et eorum confusionem describit (cf. 34, 4 ; 39, 15 ; 69, 3 etc.) : Hier revertantur et confundantur subito.

In hoc carmine in v. 4 et in v. 9 habes quod mireris, illud scil. *usquequo Domine* adeo celeriter abrumpi et in v. 9 tam subito fieri transitum ex summa miseria ad triumphum. Haec vitantur si cum *Wies.* assumitur Ps. 12 et cum hoc in unum carmen coniungitur hoc modo. Stropha I[a] 6, 2-4[a], Antistropha I[b], 12, 2-4[a]; Stropha alternans II, 6, 5-8; Stropha III[a] 12, 4b-6; Stropha III[b] 6, 9-11.

1. Primam personam, uti, Hier, etiam efferunt Aq μετήρθην, Sym ἐτριβανώθην.

Ps. 7.

1. *Psalmus David quem cantavit Domino pro verbis Chusi, filii Iemini.*

2. *Domine Deus meus, in te speravi,* | *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me,* | 3. *ne quando rapiat ut leo animam meam,* | *dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.*

4. *Domine Deus meus, si feci istud,* | *si est iniquitas in manibus meis,* | 5. *si reddidi retribuentibus mihi mala,* | *decidam merito ab inimicis meis inanis,* | 6. *Persequatur inimicus animam meam et comprehendat,* | *et conculcet in terra vitam meam,* | *et gloriam meam in pulverem deducat.*

7. — *Ex : surge Domine in ira tua,* | —*et : exaltare in finibus inimicorum meorum ; et exsurge,* — *Domine : Deus meus, in praecepto quod mandasti ;* | 8. *et synagoga populorum circumdabit te,* | *et propter hanc in altum regredere.* | 9. *Dominus iudicat populos,* | *iudica me, Domine, secundum iustitiam meam* | *et secundum innocentiam meam super me ;* | 10. *consumetur nequitia peccatorum et diriges iustum* * *et : scrutans corda et renes, Deus.*

11. *Iustum adiutorium meum a Domino,* | *qui salvos facit rectos corde.* | 12. *Deus iudex iustus, fortis-et patiens :* | *numquid irascitur per singulos dies ?* | 13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit,* | *arcum suum tetendit et paravit illum ;* | 14. *et in eo paravit vasa mortis,* | *sagittas suas ardentibus effecit.*

15. *Ecce parturiit iniustitiam,* | * *et : concepit dolorem et peperit iniquitatem.* | 16. *Lacum aperuit et effodit eum,* | *et incidit in foveam quam fecit.* | 17. *Convertetur dolor eius in caput eius,* | *et in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* | 18. *Confitebor Domino secundum iustitiam eius* | *et psallam nomini Domini altissimi.*

Psalmista David flagitat auxilium et protectionem contra persecutores v. 2-3. Se dignum esse qui protegatur ostendit iuramento suam innocentiam asserens et se devovens ruinae, si iniuriam commiserit v. 4-6. Quare petit, ut Deus iustus exsurgat contra persecutores, Deus scil. qui iudex populorum probis ac peccatoribus debitam largitur retributionem, cordium scrutator v. 7-10. Unde pro se sperat auxilium divinum, inimicis vero minatur iam paratam esse ultionem divinam v. 11-14. Adversarius eius suis ipsis machinationibus perditionem sibi creat : psalmista autem Dei iustitiam laudibus prosequitur v. 15-18.

Ex inscriptione psalmus dirigitur contra verba i. e. vel conamina seu calumnias cuiusdam Chusi, qui ceteroquin ignotus est. Ex argumento v. 4-6 videmur admoneri de persecutione Saulis in Davidem, in qua David bis vitae Saulis pepercit et suam professus est innocentiam (cf. 1 Reg. 24, 3 sq. 26, 5 sq.). Carpit Hier eos multos qui Chusi intelligunt illum amicum David, de quo narratur 2 Reg. 15, 32; 16, 16 : monet quippe hunc aliis scribi litteris in hebr : חושי, dum in inscriptione psalmi legatur כוש ; « videtis ergo quoniam et in lectione errant Graeci ». Ipse intelligit Chus (Aethiopem) filium Iemini, « nigrum et aethiopem inimicum Saulem » ; cf. Tractatus in Ps VII ; Analecta Maredsolena, III, 2 p. 20 seq. Eandem de Saule (tecto nomine significato) sententiam *Gen. Ag.* alii adoptant.

Petitioni praemittitur professio spei : *in te speravi*, ad te confugio. Nam beati omnes qui confidunt in eo (Ps. 2, 12) et ipsa spei seu fiduciae significatione homines quoque redduntur amici, proni ad succurrendum ; cur non etiam Deus ? *salvum me fac*, *libera me* ; repetito, instanter rogat. Et merito quidem, nam periculum est magnum ; adversarius persecutor ferocia sua leoni comparatur : *ne rapiat ut leo animam meam*, hebr ne discerpat ut leo me, Hier ne capiat ut leo animam meam, laceret et non sit qui eruat. Bene LXX μὴ ὄντος λυτρουμένου *dum non est qui redimat*, et ita hebr emendandum est, si פרק notione liberandi, uti Ps. 136, 24 ; Lam. 5, 8 accipitur. Aliis vero locis reperitur significatione, qua vocem hoc loco Sym et Hier explicarunt : lacerans (et non est eruens). Cf. Gen. 27, 40. Ex. 32, 2. Zach. 11, 16. 1 Reg. 19, 11 (vulg subvertens montes).

Fulcit petitionem iuramento sollemniter attestans suam innocentiam invocato Domino v. 4 *si feci istud*, quod scil. adversarius mihi imponit, quod de me spargitur (*Gen.* et recentiores), *si est iniquitas in manibus meis*, si commisi oppressionem, rapinam, talia quae manibus, vi, violentia contra alios perpetrari solent ; *si reddidi* illis qui mihi malum tribuebant simile — si malum malo retribui — ita LXX ; praeterea hebr potest intelligi, si pacifico meo, ei qui in pace mecum vixit, malum retribui ; tum seipsum diris devovere vult et mala quaevis sibi imprecatur : v. 5 *decidam merito ab inimicis meis inanis*, deiiciar ab inimicis omnibus rebus spoliatus, κενός vacuus ; tunc imprecatur sibi inferri ruinam ab inimicis ; LXX ἀποπέσοιμι ἄρα ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μου, similiter vertit Theod. In hebr hoc membrum pertinet adhuc ad priora, et Hier vertit : si reddidi malum et dimisi hostes meos vacuos ; accepit itaque חלץ ea notione qua habetur Os. 5, 6 ; Aq καὶ ἐρρυσάμην τοὺς ἐνδεσμοῦντάς με ματαίως, Sym εἰ ἀνήρπασα τοὺς θλίβοντάς με ματαίως si spoliavi qui me immerito vexant ; etiam aliqui recentiores vertunt : liberavi tamen eum qui est adversarius meus sine causa. Uti iam *Ag*. notat, targum videtur legisse חלץ si afflixi inimicos meos gratis ; atque idem exprimit syrus : et si oppressi inimicos meos absque causa.

Sequuntur v. 6 imprecationes quibus suam testatur innocentiam : talia si commisi, v. 6 *persequatur inimicus animam meam*, vitae meae insidietur meque revera *comprehendat* et adimat mihi vitam turpiter, me apprehensum in terram allidat et *conculcet*, et *gloriam meam*, decus, famam, existimationem meam ignominia maxima quasi in nihilum redigat, *in pulverem deducat* ; κατασκηνώσαι, uti hebr habitare faciat ; vel vitam meam abiiciat in pulverem, in sepulcrum.

Cum itaque suae innocentiae quam maxime sibi conscius sit, ad Deum

iustum iudicem et vindicem malorum confugit et pro magnitudine iniuriae sibi illatae postulat ; v. 7 *exsurge, Domine, in ira tua*, ne ulterius quiescas permittens inimicis, ut me invadant, verum exsurge cum vehementi indignatione, qua scil. fortitudini agendi novum accedat robur ; *et exaltare*, ostende tuam potentiam eamque exhibe agnoscendam *in finibus inimicorum meorum*, in regione eorum, id est, apud eos. Ita ex textu LXX, vulg. Vertit hebr Hier elevare indignans super hostes meos ; potius explica hebr exaltare contra insolentias (furores) inimicorum. Ut Deus fortiter causam iustam tueatur, ulterior assignatur ratio eaque eo fortior, quia etiam magis ipsum attingit Deum : *exsurge in praecepto quod mandasti* propter legem, seu decretum quod ipse constituisti et observandum mandasti ; ius enim ut observetur praecipit Deus ; exsurgat ergo contra iniustos eosque coerceat. Fortasse speciatim intelligi potest decretum Dei quo David rex est electus. Hebr verte : expergiscere ad me (עִירָה, inde LXX ὁ Θεός μου) ; iudicium (ius) praecepisti, evigila ad me tuendum, iudicium praecipe (?).

Petit, ut sua causa publice in coëtu populorum diiudicetur v. 8 *et synagoga* coetus *populorum circumdabit te*, bene Hier circumdet te congregatio tribuum, *et propter hanc*, ut scil. toti coetui innotescat quid sit verum et iustum, *in altum regredere*, in tribunal et solium iudicii tui redi (*Gen. Ag. Calm.*) seu revertere. Quod psalmista efflagitat, iam fieri quasi cernit v. 9. *Dominus iudicat populos*, cui iudicio commendat suam causam : *iudica me secundum iustitiam meam*, illam scil. quam asseruit v. 4-5 et haec est eius innocentia, integritas ; Hier et secundum simplicitatem meam quae est in me ; cf. 17, 21. 25. Et in tali iudicio cadunt iniusti et peribunt, iusti vero eriguntur v. 10 *consumetur nequitia peccatorum*, finiatur, intereat, *et diriges iustum*, confirmes, stabilias iustum ; utrumque discernere facillimum est Deo, nam est *scrutans corda et renes Deus*, intimos affectus et recessus animi penetrans, investigans, probans, ad rectitudinem revocans. In textu hebr iungitur, uti vertit Hier probator cordis et renum, Deus iustus (item Sym syr.) ; cf. Ier. 11, 20 ; 17, 10 ; 20, 12. Cor et renes tamquam sedes affectuum designari solent ; cf. Ps. 15, 7 ; 25, 2 ; 72, 21. Ier. 12, 2.

Suae sibi conscius innocentiae a Deo, probatore cordis, opem et solamen omni fiducia potest exspectare v. 11 *iustum adiutorium meum a Domino*, hebr, Hier clipeus meus in Deo δικαία ἡ βοήθειά μου παρὰ τοῦ Θεοῦ, *qui salvos facit*, salvat, adiuvat *rectos corde* ; in textum infertur v. 12 in LXX vulg : *Deus patiens*, μακρόθυμος, *numquid irascitur* ? Deus ad clementiam pronus est. At in hebr v. 12 fit transi-

tus, quomodo iustus iudex se habeat ad eos qui non sunt recti corde : *Deus iudex iustus* et Deus indignans quovis die, indignans inimicis v. 7. 10 ; quibus iam minas et poenas iusti iudicis annuntiat v. 13 *nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit* ; describitur Deus pugnator qui armis efficacibus hostes prosternat ; verte hebr profecto, iterum gladium suum acuit, *arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis*, instrumenta, tela mortis (in arcu) paravit ; hebr potius : ei (adversario, de quo v. 15 sq.) paravit ; quare *in eo* ex latinitate vulg explicaveris ; in eum ; et quaenam sint illa arma mortifera, declaratur : *sagittas suas ardentibus effecit*, lege et explica : ardentes fecit, utitur sagittis ardentibus, uti Hier cum Sym hebr. vertit : sagittas suas ad comburendum operatus est. Veteres etiam explicant : sagittas fecit pro ardentibus, ira inflammatis inimicis, insectatoribus ; Hier (in Commentariolis) vertit arsuris ; sagittae his praeparantur qui arsuri sunt.

Iam psalmista orationem convertit in praecipuum adversarium, cuius nequitiam pluribus describit : *ecce parturiit iniustitiam*, lege parturit, seu enititur malitiam ; duobus aliis verbis istud parturire explicatur per id quod antecessit et per id quod tandem paritur : *concepit dolorem*, gravidus est dolore, quem scil. aliis inferat : excogitat, secum perpendit, quo meliore modo alios possit vexare ; *et peperit iniquitatem*, conceptus ille et parturitio tandem desinit in partum : et parit mendacium (hebr) ; haec est machina qua iustum opprimere et delere studet ; cf. Iob 15, 35. Is. 59, 4. Hisce tribus designatur, quomodo impius continuo expendat, quomodo nocere possit, quomodo cum impatientia anhelet ad opportunitatem nocendi, quomodo gaudens damnum inferat.

Eius studium iniquum declaratur alia imagine, a venatione deprompta v. 16 *lacum*, foveam, *aperuit et effodit eum*, fodit et excavavit, uti fit ad bestias capiendas ; insidias dolose struxit et laqueos posuit fraudulenter ; at quo exitu ? struxit in suam ipsius perniciem : *et incidit in foveam quam fecit* ; incidet astutus et malignus capietur in sua astutia et malitia ; cf. Iob 5, 13. Iam effertur effectus iusti Dei iudicii (v. 7. 9. 10 sq.) ; idque latius proponitur v. 17 *convertetur dolor eius* quem aliis infligere molitus est, *in caput eius*, hunc ipsum dolorem experietur ; poena quadam talionis affligetur ; ita quod Aman pro Mardochaeo excogitavit in se expertus est ; ita vere *in verticem ipsius iniquitas eius descendet* ; cf. 1 Reg. 25, 39 ; 3 Reg. 8, 32. Prov. 5, 22.

Laetabitur iustus, cum viderit vindictam (Ps. 57, 11) ; quare Deo laudes persolvuntur de iusto iudicio v. 18 *confitebor Domino*, laudabo.

secundum iustitiam eius, sicut decet et requiritur, propter iustitiam quam exercuit, *et psallam*, cantabo, *nomini Domini altissimi* ; cf. 91, 2.

Ps. 8.

1. *In finem pro torcularibus, Psalmus David.*

2. *Domine, Dominus noster, quam admirabile | est nomen tuum in universa terra ! | quoniam elevata est magnificentia tua super coelos.* | 3. *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos,* | *ut destruas inimicum ut ultorem.* | 4. *Quoniam videbo coelos * tuos :, opera digitorum tuorum,* | *lunam et stellas, quae—tu: fundasti* | 5. *Quid est homo, quod memor es eius,* | *aut filius hominis, quoniam visitas eum ?*

6. *Minuisti eum paulo minus ab angelis,* | *gloria et honore coronasti eum,* | 7. *— et : constituisti eum super opera manuum tuarum.* | 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius,* | *oves et boves universas, insuper et pecora campi ;* | 9. *Volucres coeli et pisces maris,* | *qui perambulant semitas maris.* | 10. *Domine, Dominus noster, quam admirabile* | *est nomen tuum in universa terra !*

Uti bis dicitur : Domine quam admirabile est nomen tuum, ita duplici modo haec Dei maiestas in psalmo celebratur. Et prius quidem in magnitudine et splendore coelorum, quorum excellentia tanta est, ut ipsi quoque parvuli ad confundendos hostes Dei laudes concinant, homo vero (genus humanum) fere nihil esse videatur ; dein apparet Dei maiestas in eminentia hominis, cui dominatio totius terrae et creaturarum eius commissa sit. Utraque pars eodem stichorum numero effertur. De titulo pro torcularibus vide Cornely (Introd. II, 186, 3) ; videtur psalmus destinari pro festo tabernaculorum.

Manifestatio maiestatis Dei apte dicitur nomen Dei ; vertit Hier : Domine dominator noster, quam grande est nomen tuum in universa terra, qui posuisti gloriam tuam super coelos. Exclamatio est admirantis ex consideratione antecedenter facta de magnificentia coelorum et de exaltatione hominis qui comparatione corporum coelestium instituta adeo est exiguus. Huius considerationis fructus et effectus est psalmus. In universa terra elucet et agnoscitur admirabile numen, *quoniam elevata est magnificentia tua super coelos*, quia Dei sublimitas, maiestas, splendor super totam coelorum latitudinem et amplitudinem extenditur (coeli enarrant gloriam Dei) et iste coelorum splendor ubique terrarum conspicitur, ipsum Dei nomen, manifestatio eius, ubique est admirationi. Dei magnificentia quasi lucet in superficie coelorum ; similiter legitur Hab. 3, 3 operuit coelos gloria eius et

laudis eius plena est terra. Textus hebr cum suo תנה vulnere laborat ; emenda ut syr, targ : quia dedisti laudem tuam (splendorem tuum) super coelos ; Sym ὃς ἔταξας τὸν ἔπαινόν σου. Rem ita declarat *Ag.* « hanc magnificentiam in coelo elevatam, decorem illum corporum coelestium ac splendorem intelligit, quo tamquam pulcherrimo magnificentissimoque vestimento, auro gemmisque distincto, coelum exornatur ; ... cum coeli omnem terram ambiant, nulla terrae pars est, ubi haec sublimis Dei gloria non sit conspicua ; quod ipsum alibi dixit : in omnem terram exivit sonus eorum ».

Quae gloria adeo conspicua est, ut ipsi parvuli eam agnoscant v. 3 *ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*, similiter praebet syr : acquires laudem tuam. Idque *propter inimicos tuos*, ut scil. illorum confessione et laude perfidiam inimicorum tuorum arguas atque convincas (*Ag.*) ; locutio similis est ei quam legimus Sap. 10, 21 sapientia linguas infantium fecit disertas. Ista parvulorum laus, cui laus et agnitio adultorum a parte potiore adiungitur, in id tendit, *ut destruas*, hebr cessare facias, *inimicum et ultorem*, ut cesset idololatria, ut omnes ad Dei cognitionem adducantur. Vertit Hier : ut quiescat inimicus et ultor ; quiescent autem, si Deum agnoverint ; unde laus Dei ab Israelitis praedicata gentium erit institutio. Textus hebr fert : fundasti potentiam ; ita quoque *Aq* ἐθεμελίωσας κράτος, Sym συνεστήσω κράτος, al. ἰσχύν. In qua acceptione sensus non valde planus est ; explicant : firmasti, stabilem declarasti potentiam tuam, dum ex ore infantium gloriam tuam exprimis. Satius erit hebr עֹז ea notione accipere, qua 29, 1 et 96, 7 LXX vertitur τιμή, 68, 35 δόξα et Ex. 15, 2, Is. 12, 2 potius ad similem notionem laudis accedit vel saltem cum notione laudis coniungitur (cf. 2 Chr. 30, 21 instrumenta laudis ?).

Coeli immensitas, splendor, pulchritudo praecipue cernitur noctu in firmamento innumeris stellis vario fulgore lucentibus multoque magis oculi perstringuntur et ambitu coeli et sublimitate et varietate ornamentorum, quam interdiu, quando unius solis splendore cuncta in unam lucem formantur. Quare psalmista noctu cum admiratione coelum stelliferum contemplatur et tanta mole amplissima et tot astris fulgentibus conspectis vivide sentit, quam exiguus sit homo. Ita enim magnificentiam Dei praedicat et laudi aliorum (v. 2. 3) suam adiungit v. 4 *quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum*, opus digitorum videtur innuere facilitatem et fere levem lusum in efficienda mole illa immensa coelorum ; *lunam et stellas* ; « et cum his tam pulchris, tam firmis, tam conspicuis corporibus collatus homo, quidnam est ? nonne si corporum excellentiam spectes, homo fere nihil esse videtur »

(*Ag.* sim. *Calm.*). Quare v. 5 *quid est homo*, quantula res homo (*Gen.*) *quod memor es eius* ; miratur psalmista, quod Deus tanta maiestate coeli stelliferi quasi postposita ac neglecta, creaturam hominis exiguam respiciat ; hebr אנוש cum aliqua fragilitatis nota — *aut filius hominis quoniam visitas eum* ?, quod eum tam parvum (comparata coelorum amplitudine) in aliquo numero habes (cf. *Ag.*).

Et tamen cum tanta exiguitate ex una parte quanta coniuncta cernitur dignitas hominis. Quae sequuntur ad amplificationem dignitatis humanae dicuntur (*Ag.*) v. 6 *minuisti eum paulo minus ab angelis*, a Deo (hebr, Hier) LXX παρ' ἀγγέλους, probabiliter ad vitandam offensionem quandam ; sed reliqui interpretes (Aq Sym Theod syr hexapl al.) praebent παρὰ Θεόν ; syr, targ habent ut LXX. Et quo sensu parvum quid quasi desit ei, ne sit Elohim, declaratur : *gloria et honore*, maiestate, *coronasti eum*, homo enim ad Dei imaginem factus est ; ea iam ratione longissime dignitate superat coelum stelliferum et prope accedit ad Deum ; haec autem imago relucet in hominis gloria et maiestate, qua a Deo rerum conditore constitutus est dominator rerum : v. 7 *constituisti eum super opera manuum tuarum* ; alluditur ad Gen. 1, 26. 28 : replete terram et subiicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et universis animantibus quae moventur super terram ; in hac dominatione hominis universa, adeo ampla, Deus quasi totum suum dominium, gloriam suam, homini tribuit, unde merito dicitur : minuis eum paulo minus a Deo. Haec enim ratio hic spectatur ; quare istam cum Deo similitudinem et gloriam in homine relucentem poeta longiore enumeratione ad verba Gen. 1, 28 facta recenset et describit : *omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves* etc. *volucres coeli et pisces maris* etc. Et hanc gloriam hominis referri ad gloriam Dei maxime demonstrandam et ad eximiam divinae celsitudinis admirationem, docet et exprimit psalmista repetens v. 10 *Domine Dominus noster* dominator noster (Hier), *quam admirabile est nomen tuum in universa terra !*

Dignitatem et gloriam eam describi quam Deus homini in paradiso constituto intendit, homini igitur qualem Deus eum creavit et manere voluit, ipsis verbis et allusione ad Gen. 1, 26. 28 efficitur. Uti haec gloria propria erat Adamo, ita quam maxime propria esse debet Adamo alteri parenti generis humani ; quare facile constat applicatio verborum in epistola ad Hebr. 2, 6 seq.

Ps. 9.

1. *In finem pro occultis filii, Psalmus David.*

2. *Confitebor — tibi : Domine, in toto corde meo,* | *narrabo omnia mirabilia tua :* | 3. *laetabor et exsultabo in te,* | *psallam nomini tuo, Altissime.* | 4. *In convertendo inimicum meum retrorsum* | *infirmabuntur et peribunt a facie tua ;* | 5. *quoniam fecisti iudicium meum et causam meam,* | *sedisti super thronum — qui : iudicas iustitiam.* | 6. *Increpasti gentes — et : periit impius ; nomen eorum delesti in aeternum et — in : saeculum — saeculi : ;* | 7. *inimici defecerunt frameae in finem,* | *et civitates eorum destruxisti ;* | 8. *periit memoria eorum cum sonitu,* | *et Dominus in aeternum permanet.*

9. *Paravit in iudicio thronum suum,* | *et ipse iudicabit orbem terrae in aequitate ;* | *iudicabit populos in iustitia.* | 10. *Et factus est Dominus refugium pauperi,* | *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* | 11. *Et sperent in te qui noverunt nomen tuum,* | *quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine.*

12. *Psallite Domino — qui : habitat — in : Sion,* | *annuntiate inter gentes studia eius ;* | 13. *quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est,* | *non est oblitus clamorem pauperum ;* | 14. *miserere mei Deus,* | *vide humilitatem meam de inimicis meis ;* | 15. *qui exaltas me de portis mortis,* | *ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion.* | 16. *Exsultabo in salutari tuo,* | *infixae sunt gentes in interitu quem fecerunt ;* | *in laqueo isto quem absconderunt,* | *comprehensus est pes eorum.* | 17. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens ;* | *in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

18. *Convertantur peccatores in infernum,* | *omnes gentes quae obliviscuntur Deum ;* | 19. *quoniam non in finem oblivio erit pauperis,* | *patientia pauperum non peribit in finem.* | 20. — *Ex : surge, Domine, non confortetur homo ;* | *iudicentur gentes in conspectu tuo ;* | 21. *constitue, Domine, legislatorem super eos,* | *ut sciant gentes, — quoniam : homines sunt.*

(*Psalmus 10 secundum Hebraeos.*)

1. *Ut quid Domine recessisti longe* | *despicis in opportunitatibus, in tribulatione?* | 2. *Dum superbit impius, incenditur pauper,* | *comprehenduntur in consiliis quibus cogitant ;* | 3. *quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae,* | *et iniquus benedicitur.* | 4. *Exacerbavit Dominum peccator ;* | *secundum multitudinem irae suae, non quaeret.* | 5. *Non est Deus in conspectu eius,* | *inquinatae sunt viae illius in omni tempore ;* | *auferuntur iudicia tua a facie eius,* | *omnium inimicorum suorum dominabitur ;* | 6. *dixit — enim : in corde suo : non movebor,* | *a generatione in generationem sine malo.*

7. *Cuius maledictione os plenum est et amaritudine et dolo,* | *sub lingua eius labor et dolor ;* | 8. *sedet in insidiis cum divitibus in occultis,* | *ut interficiat innocentem ;* | 9. *oculi eius in pauperem respiciunt,* | *insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca — sua :* | *insidiatur ut rapiat pauperem,* | *rapere pauperem, dum attrahit eum.* | 10. *In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se,* | *et cadet, cum dominatus fuerit pauperum ;* | 11. *dixit — enim : in corde suo : oblitus est Deus :* | *avertit faciem suam, ne videat in finem.*

12. — *Ex : surge, Domine Deus, exaltetur manus tua ;* | *ne obliviscaris pauperum.* | 13. *Propter quid irritavit impius Deum ?* | *dixit enim in corde suo : non requiret.* |

14. *Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras,* | *ut tradas eos in manus tuas;* | *tibi derelictus est pauper,* | *orphano tu eris adiutor!*

15. *Contere brachium peccatoris et maligni,* | *quaeretur peccatum illius et non invenietur?* | 16. *Dominus regnabit in aeternum et in saeculum-saeculi:* | *peribitis gentes de terra illius.* | 17. *Desiderium pauperum — ex: audivit Dominus,* | *praeparationem cordis eorum audivit auris tua;* | 18. *iudicare pupillo et humili,* | *ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.*

Immerito in hebr nunc distingui duos psalmos 9 et 10 satis constat. Unum scil. psalmum exhibent veteres; ita LXX et alii graeci interpretes (Aq Sym Theod) neque Origenes, Theodoretus, alii quidquam in contrarium afferunt et Hieronymus quoque in versione ex hebr unicum psalmum effert; Barhebraeus a Graecis unum numerari psalmum explicite asserit (cf. *Baethgen* ad h. l.). Unum psalmum arguit forma alphabetica, quae, licet truncata, in psalmo deprehenditur, Nam א 9, 2. 3; ב 4; ג 6; ה 7? 8? ו 9. 10; ז 12; ח 14; ט 16; י 18; כ 19; ך 10, 1; מ 5b; ...ק 12; ר 14; ש 15; ת 17. Deest quoque in hebr 10 inscriptio, quae ubique in libro primo psalmorum (excipe Ps. 1. 2. 33 hebr) apponitur, unde merito iterum concluseris, esse unum psalmum 9 et 10 hebr. Idem suadetur quod canticum chorale bene dispositum ex coniunctione efficitur. Deinde argumentum Psalmi in idem tendit: praemittitur actio gratiarum pro liberatione et beneficiis concessis tempore praeterito (9), efflagitatur auxilium in praesenti tribulatione (10). Sane psalmus ab origine recto schemate alphabetico erat compositus; nunc vero desunt haud pauca; aliqua coniectura restitui possunt; ita si v. 7 legitur דביו pro ת' habetur stichus pro daleth; in 10,7 alia collocatione habetur stichus פ; item ex LXX, vulg habetur v. 3 exacerbavit stichus pro נ; in v. 5 LXX, vulg auferuntur iudicia tua, hebr מרום est satis obscurum; apte coniecit Abbot סרו (cf. Expositor, VII, 2 p. 239), unde habetur stichus ס- vide l. c. The alphabetic structure of Ps. 9. 10. Vide quoque Zeitschrift für Alttest. Wissenschaft 1896 p. 40 et 292. In v. 8 oculi eius potest stichi fragmentum pro ע inveniri post פ sicut in Lam. 2 3 4; et ad v. 10 opinatur Duhm LXX legisse formam a צמת derivatam; ergo haberetur stichus pro צ; reliquae litterae cernuntur v. 12. 14. 15. 17. Verum lacunae istae et quasi laciniae ostendunt quanta negligentia textus huius psalmi sit traditus.

Recte notat *Calm.*: « prior psalmus eucharisticus est ob Israelis victorias; alter scilicet pars altera, a v. 22 oratio est vehemens ac vivida hominis dolore et malis oppressi ». Est quippe illa gratiarum actio quasi captatio quaedam benevolentiae pro petitione auxilii praestandi denuo in praesenti calamitate (*Wies.*). Et quidem magna laetitia David gratias agit; nam inimici perierunt, Deus iustus iudex impios et eorum potestatem deiecit; Dei quippe est iudicium populorum exercere, oppressos tueri; quare pii cultores sua spe nunquam destituun-

tur (9, 1-11). Quare iterum laudibus prosequitur psalmista Deum, vindicem iustitiae et oppressorum, qui a summo periculo liberavit ad gloriam suam exhibendam, qui inimicos suis ipsorum machinationibus perdidit, iustus retributor. Et ideo (quia est iustus retributor) peccatores peribunt, oppressi ope non destituentur ; Deus potentibus suam exhibebit dominationem (v. 12-21).

Istis praemissis psalmista conqueritur, quod Deus in praesenti calamitate opem suam retineat, et tamen arrogantia impiorum supprimitur pauper ; exsultant impii, prospere agunt, Deum contemnunt, continuo male agunt arroganter sibi securitatem promittentes (10, 1-6). Quorum impietas fraudibus, dolis, insidiis bestiarum instar ad opprimendos iustos et afflictos describitur, in quibus omnibus iactant impunitatem et oblivionem Dei (v. 7-11). Fervide inclamat contra tales opem divinam psalmista, declarans et exponens Deo eorum insolentiam, et efflagitans protectionem miserorum et ruinam inimicorum a vindice iusto. Hanc spem firmiter exprimit, quia Deus rex est in aeternum qui ad tollendam arrogantiam pauperibus auxilium suum praestabit eorum annuens precibus (v. 12-18).

Grato animo Deum laudare vult totis viribus v. 2 *confitebor tibi* i. e. laudibus celebrare ; ideoque gestit enarrare, *narrabo*, forma est exhortationis in hebr, *omnia mirabilia tua*, quae Deus mira ac stupenda patravit ; item v. 3 in forma exhortationis : *laetabor et exsultabo in te*, iubilabo propter te, gaudebo de te ; id quod cantico prodere vult in laudem Dei ; *psallam nomini tuo*, tibi et manifestationi tuae potentiae ac benignitatis, Altissime. Qua occasione ad canticum laudis se senserit impulsum, declarat v. 4 *in convertendo*, verte et explica : cum converterentur inimici mei retrorsum, (et eodem modo adnectenda sunt quae sequuntur) cum corruerent et perirent a facie tua. Ita iam Hier vertit hebr, et hebr sententia incepta uti hic בשיב continuari solet verbis finitis ; quare in versione graeca, latina, servili utraque : *in convertendo, infirmabuntur et peribunt* ; sed sermo est non de futuro, sed de eo quod repetito factum est atque adhuc consistit (quam notionem etiam fert imperfectum hebr).

Haec autem fuga et prostratio hostium facta est, quia Deus causam psalmistae tuitus est v. 5 *quoniam fecisti iudicium meum*, tu tuitus es ius meum *et causam meam*, et id quidem magna sollemnitate iudiciali : *sedisti super thronum* iudex iustus (hebr). Et huius iudicii effectus erat sententia condemnatoria efficax v. 6 *increpasti gentes*, populus Dei ab alienigenis erat impetitus ; illi itaque inimici (v. 4 hebr) hostes sunt et aggressores populi Dei ; hos increpuit Deus, iis comminatus est ; et una hac obiurgatione *periit impius*, nomen collec-

tivum ; vel si mavis : tota hostium multitudo, ac si esset vir unus a Deo cladi, perditioni devovebatur ; hebr, perdidisti impium ; et qualis fuerit interitus, ulterius describitur : *nomen eorum*, gloriam eorum atque aestimationem, *delesti in aeternum*. Hier in sempiternum et iugiter ; ex albo seu catalogo gentium expunxisti (מחה) nomen eorum ; et *inimici* τοῦ ἐχθροῦ *defecerunt frameae in finem* ; arma, gladii inimicorum in perpetuum perierunt. Aliter in textu hebr [1], quem Hier vertit : completae sunt solitudines in finem ; varie verba hebr concipiunt recentiores : hostis (sensu collectivo, uti in v. 6 impius) deleti sunt (perierunt ; cf. Ps. 73, 19 hebr, Is. 16, 4. Ier. 44, 12) ; rudera (seu ruinae) in sempiternum ; minus placet : hostis — confecti sunt in ruinas in aeternum ; alii textu mutato ad habendum stichum ד : obmutescunt ruinae etc. Alius divinae increpationis effectus declaratur : *et civitates eorum destruxisti*, quibus destructis illorum quoque fama et gloria concidit : *periit memoria eorum cum sonitu*, μετ' ἠχοῦς, i. e. ut Chrys. explicat, vel dicit internecionem vel ululatum ob mala immissa. Sicut sonitus transit et evanescit, ita exstincta est memoria eorum. In hebr ponitur המה, (LXX videntur legisse המון), ita ut repetatur cum emphasi id quod in pronomine *eorum* habetur : ipsi, quae tamen emphasis hoc loco plerisque non placet. Quare alii supplent stichum ה : ipsi peribunt, Iahve autem regnat in aeternum, vel mutant paulisper : הנה ecce, Iahve.

De Deo iudice ulterius pie meditatur, et primo quidem contra hominem caducum effert interminatam Dei magnificentiam v. 8 *et Dominus in aeternum permanet*, hebr sedet, regnat, *paravit*. Hier stabilivit ad iudicandum thronum suum, *in iudicio*, ad iudicium ponens thronum suum. Et quomodo iudicet, dicitur v. 9 et ipse iudicat orbem terrae in iustitia, iudicat populos in aequitatibus (Hier), tribuit quod iustum et rectum est. Praeprimis tuetur ius et causam pauperum et oppressorum v. 10 et Dominus est *refugium*, hebr arx *pauperi*, arx pro temporibus angustiae (hebr), *adiutor in opportunitatibus*, ἐν εὐκαιρίαις, explicat Chrys εἰς καιρόν, ἐπικαίρως, ὅτι καὶ βοηθεῖ, καὶ ὅτι εἰς καιρόν, adiuvat tempore opportuno, et tale tempus opportunum est *in tribulatione*, uti Chrys notat. Et si Deus hac ratione cognoscitur, laeta exoritur spes ac fiducia v. 11 et confident in te qui noverunt nomen tuum (Hier), nomen Dei nosse est ipsum Deum et eius manifestationem, opera, nosse ; ex eiusmodi notitia exsurgit spes firma, quae gignit persuasionem certam, neque enim derelinquis *quaerentes te*, *Domine*.

1. LXX alia punctatione חָרְבוֹת ῥομφαῖαι ferunt ; punctationem mass. exprimunt Aq ἔρημα, Sym ἐρείπια et Chrys. notat ὁ δὲ Ἑβραῖος Ἀρθώθ, ἄλλος : τὰ ἐρείπια, similiter Hier solitudines vertit.

Hoc expertus est psalmista, uti a v. 4 exposuit. Unde iterum, sicut in initio psalmi in v. 2 ad praeconium Dei se convertit, et altera carminis stropha pergit v. 12 *psallite Domino*, cantate Domino, habitatori Sion (Hier); in Sion, in Jerusalem est « thronus regni Iahve » (1 Par. 28, 5); uti in v. 2 narrabo mirabilia eius, ita nunc : *annuntiate inter gentes studia eius*, opera eius (hebr); et uti in v. 5, ita in v. 13 *quoniam requirens sanguinem*, tanquam vindex et ultor caedis, iniuriarum, vexationum (*Gen. Ag.*) *eorum recordatus est*, causam egit afflictorum : et quod assertione dictum est, repetitur negatione omissionis : *non est oblitus clamorem pauperum*, oppressorum, humilium. Ita v. 12-13 respondet v. 2-5. Quae sequuntur v. 14. revera ex versione Aq et Hier respondent v. 6 et talis sensus hic ex contextu requiritur ; antecedit enim praeconium Dei de auxilio praestito ; de ultione in inimicos facta, sequitur v. 16 descriptio ruinae et interitus gentium ; ergo in v. 14 non potest nunc audiri suspirium efflagitantium opem, sed verti debet cum Hier : *misertus es mei Dominus, vidit afflictionem meam ex inimicis meis*, similiter Aq ἐδωρήσατό μοι κύριος εἶδε κακουχίαν μου. Illud vulg *miserere mei, vide*, explicant quasi audiretur clamor pauperum (*Ag.*) ; at sane melius quadrat ad *misertus est* quod sequitur : *qui exaltas me de portis mortis*, eripiens me et elevans ex summo periculo, *ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion* ; ereptus ex portis mortis in portis incolarum urbis praeconia Dei enarrare gestit psalmista.

Eodem modo requiritur in v. 14 misertus est, vidit etc. ex v. 16 *exsultabo in salutari tuo*, iubilabo de ope et salute a te mihi praestita. Quamquam psalmista hic et in v. 14 de se loquatur, tamen intelligi afflictionem totius populi seu reipublicae (in qua utique ipse quoque simul calamitatem expertus sit) patet ex ratione de gaudio et salute subiuncta ; loquitur itaque dux et repraesentans populum.

Causa exsultationis cernitur in clade hostium : *infixae sunt gentes in interitu*, Hier : demersae sunt in foveam quam fecerunt (hebr) ; pernicie qua me perdere volebant ipsi perierunt; idque altera comparatione declaratur : *in laqueo* (in rete, hebr Hier) *quem absconderunt, comprehensus est pes eorum* ; suis ipsorum insidiis, dolis, fraudibus capti sunt. Metaphorae desumptae sunt a venatoribus qui lupis foveas fodiunt et ab aucupibus qui avibus laqueos tendunt (*Gen.*). Clade hostium sese manifestavit Deus iustus iudex v. 17 *cognoscetur*, verte cum Hier agnitus est *Dominus iudicia faciens* ; tertio effertur, inimicos, seu gentes sibi ipsis perniciem creasse : *in operibus manuum suarum comprehensus est peccator*, sensu collectivo dicitur hebr impius, uti in v. 6. Haec itaque pars v. 14-17 bene correspondet priori carminis parti v. 2-7.

Item uti in v. 8, ita nunc hic quoque sequitur ulterior quaedam consideratio quae ex dictis enascitur v. 18 *convertantur peccatores in infernum*: ex iudicio Dei iudicis iusti, ex salute cultoribus Dei exhibita, consequitur fore, ut inimici Dei morte puniantur, intereant; nam viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (Ps. 54, 24); pariter debebunt secundum retributionis normam perire *omnes gentes quae obliviscuntur Deum*, quae Deo relicto idola sequuntur. Ita evenire debet v. 19 *quoniam non in finem oblivio erit pauperis*, nequit fieri ex norma retributionis (toties v. g. enuntiata in libro Proverbiorum), ut perpetuo iusti affligantur; *patientia pauperum*, hebr spes, Hier exspectatio afflictorum, *non peribit in finem*, ex Chrys alius interpres habet οὐ γὰρ εἰς τέλος ἡ προσδοκία τῶν πράων ἐπιλησθήσεται. Ita ex norma divina debet evenire. Quare in modum exhortantis ad Deum clamorem tollit v. 20 *exsurge*, *Domine*, *non confortetur homo*, ne vires et audaciam sumat, verum *iudicentur gentes in conspectu tuo*, ante te. Et quomodo eas oporteat coercere, vertit Hier: pone, Domine, terrorem eis (ita aliqui recentiores quoque, מורה = מורא terror), ita Aq φόβημα, Theod φόβον; at Sym τάξον νόμον αὐτοῖς, LXX νομοθέτην, *constitue legislatorem super eos*, explica eum scil. qui eos potenter comprimat; et ista dominatione experiantur, experimento *sciant gentes* homines se esse (Hier), ut scil. in ea contineantur modestia ac moderatione, qualem prae se ferre decet homines debiles; vel terrore a Domino immisso comprimatur omnis eorum arrogantia, et imbuantur sensu et effectu fragilitatis et impotentiae humanae.

Laudavit psalmista cum gratiarum actione Deum de auxilio praestito et inimicos iusto Dei iudicio prostratos esse et prosterni debere animo recogitavit. Iam vero oculos convertens in afflictionem praesentem non potest non vehementer commoveri illa recordatione quomodo antea Dominus opem tulerit, nunc autem tardet. Quare merito se conqueri posse censet: v. 1 *ut quid*, *Domine*, *recessisti longe*, quare, stas a longe (Hier), qui a longinquo stat, dum deberet accurrere ad opem ferendam, adiutorium suum iners negat et retinet, *despicis*, negligis nos seu fortasse deorsum aspicis, oculis in terram directis, ne aspicere cogaris tribulationem nostram, LXX ὑπερορᾷς, hebr obvelas (oculos scil. cf. Lev. 20, 4; Prov. 28, 7) in temporibus angustiae, quibus igitur quam maxime opportunum esset opem ferre, oculos habere apertos. Quae sit tribulatio, exponitur v. 2 *dum superbit impius*, arrogantia et insolentia impii, *incenditur pauper*, ardet (Hier), torquetur et vexatur. Sensu collectivo sumitur pauper; nam statim pergitur: *comprehenduntur in consiliis*, pauperes capiuntur, corruunt dolis et

consiliis quae impii excogitant. Hoc modo LXX intellexisse hunc locum videntur; alii ad modum optantis accipiunt (*Ag. Gen.*); ita Hier : capiantur in sceleribus quae cogitaverunt, et Chrys. notat : ἄλλος συλληφθήτωσαν (attribuitur Aq Theod Sym). Sed cum in subsequentibus continuetur descriptio arrogantiae impiorum, certe magis ad contextum est, etiam in hoc membro videre exhibitam oppressionem et vexationem.

Et quaenam sit arrogantia impiorum, exponitur v. 3 *quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae*, praedicatur felix tamquam sui desiderii compos factus (*Ag.*), *et iniquus benedicitur*, vitium laudatur (Chrys.). Aliter hebr : nam gloriatur (?) impius de desiderio animae suae, et avarus benedicit, contemnit Iahve; benedicit intelligit Hier applaudens sibi (uti apposito נפשו Ps. 49, 19); potest etiam sensu maledicendi seu blasphemandi concipi tamquam dictum euphemistice, praesertim, quia sequitur contemnit Iahve; cf. Iob 2, 9 benedic Deo et morere, et 1, 5. Ubi in hebr contemnit, in vulg *exacerbavit Dominum peccator*, talis est superbia eius et arrogantia, ut Deum ad iram provocet, *secundum multitudinem irae suae*, prae multa et tumida ira sua, *non quaeret* ; bene rem ex Theodoreto declarat *Ag.* : peccator ira et superbia elatus dicit : *non quaeret* Deus, *non est Deus in conspectu eius.* Similiter explicatur hebr impius secundum altitudinem irae suae (κατὰ μετεωρισμὸν θυμοῦ αὐτοῦ, Aq) (cogitat) non quaeret ; non est Deus, sunt omnes cogitationes eius; in omnibus sibi promittit impunitatem, Deum iudicem negans.

In tali animi dispositione v. 5 *inquinatae sunt viae illius in omni tempore* (חלל ?) viae sunt rationes agendi, opera. In hebr durant seu succedunt (?) viae eius; effertur itaque alterum, quo boni aegre afficiuntur : prosperum habet impius rerum successum, vel firmae sunt viae eius omni tempore. Non experitur iudicia Dei, neque de iis cogitat, se tutum ab iis aestimat : *auferuntur iudicia tua a facie eius*, hebr sursum (sunt) iudicia tua longe ab eo; non solum nihil funesti ei accidit, sed etiam de suis inimicis triumphat : *omnium inimicorum suorum dominabitur*, Hier inimicos despicit ; accurate hebr reddit Sym πάντας τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ ἐκφύσᾷ. Et in tanta prosperitate et securitate sibi consistere videtur, ut nihil iam adversi sibi evenire posse iactet v. 6 *dixit enim in corde suo*, cogitat nempe apud se : *non movebor, a generatione in generationem sine malo* ero, Sym οὐ γὰρ ἔσομαι ἐν κακώσει, exclamat Chrys. : vidisti arrogantiam, vidisti inenarrabilem perditionem ?

Et quis et qualis eam sibi pollicetur prosperitatem ? v. 7 *cuius maledictione os plenum est*, efferuntur huius peccatoris, de quo v. 3 prava desideria commemorata sunt, peccata oris et linguae, dein v. 8

seq. mala opera; os eius plenum est maledictione, *amaritudine*, acerbitate, contumeliis, imprecationibus, *et dolo*, fallacia, profert mendacia, sermones fraudulentos ad decipiendum. Vertit Hier : maledictione os eius plenum est et dolis et avaritia; hebr תך hic explicat Hier avaritiam, 55, 12 damnum, 72, 14 usuram; LXX praebent hic δόλου, 55, 12 et 72, 15 τόκος, recentiores vocem notione oppressionis accipiunt, (cf. Prov. 29, 13), Sym hic ζημίας — *sub lingua eius labor et dolor*, in receptaculo oris eius, sub lingua (65, 17; 139, 4. Iob 20, 12. Cant. 4, 11, mel et lac sub lingua tua), labor, molestia, dolor, quatenus talia aliis sermonibus suis afferat, hebr molestia et iniquitas. Post peccata linguae opera et facinora exponuntur v. 8 *sedet in insidiis cum divitibus* i. e. cum viris potentibus, fortibus, vel simpliciter cum impiis (cf. Mich. 6, 12), hebr in insidiis pagorum ? insidias sibi collocat prope pagos ? ita Sym ἐνεδρεύων παρὰ τὰς αὐλὰς, Aq ἐνέδρᾳ αὐλῶν,et Hier sedet insidians iuxta vestibula, *in occultis ut interficiat innocentem*, ibi latens in loco secreto et occulto, *oculi eius in pauperem respiciunt*, circumspicit, speculatur (cf. hebr), si quem miserum perdat. Vox חלכה solum hic et v. 14 reperitur; LXX praebent hic πένητα, et v. 14 πτωχός, Sym ἀσθενεῖς, Hier robustus, fortis.

Insidiae latius describuntur v. 9 *insidiatur in abscondito*; tangitur ferocia et crudelitas, *quasi leo in spelunca sua*, in dumeto (hebr) *insidiatur, ut rapiat pauperum*, ut capiat, ut intercipiat; capit pauperem, *dum attrahit eum* in reti suo (hebr), Hier rapiet pauperem, cum adtraxerit eum ad rete suum. Aliter iungitur apud LXX, vulg *in laqueo suo humiliabit eum*, laqueo captum prosternit, allidit ad terram ; *inclinabit se*, « ad leonis morem depingendum dictum est, qui cum insilire vult in praedam, sese incurvat et inclinat » (*Ag.*) ; insilit igitur in pauperem, *et* pauper *cadet* cum impius ille praevaleat contra pauperes, *cum dominatus fuerit pauperum*; praevalet quippe viribus, multo illis potentior erit. Textum hebr vertit Hier et confractum subiiciet et irruet viribus suis valenter ; Sym ὁ δὲ θλασθεὶς καμφθήσεται ἐπιπεσόντος αὐτοῦ μετὰ τῶν ἰσχυρῶν αὐτοῦ τοῖς ἀσθενέσιν, pauper itaque confractus deprimetur, cum ille cum fortibus suis (ex syr hexapl : cum fortioribus se) irruat in debiles (cernit Hier in חלכה notionem potentiae, Sym debilitatis). Textum mass. vertunt : et percussus procumbit et cadunt miseri in ungues eius (?); vel et oppressus prolabitur et cadit, robore eius miseri — alii coniecturis emendant ; speculatur (צפה, ut habeatur stichus cum ע), exspectat, incurvat se, et cadunt in funes eius miseri (cf. *Duhm*). Aliam emendationem *Graetz* tentat.

Qua ratione ad talem iniquitatem (v. 7-10) pervenerit, declaratur v. 11 *dixit enim in corde suo*, cogitat quippe apud se; en eadam stro-

phae clausula, uti in v. 6, *oblitus est Deus*, Deus non curat, negligit res humanas; imo *avertit*, abscondit (hebr, Hier) *faciem suam*, *ne videat in finem*, non respicit in perpetuum (Hier); impius ille sibi persuadet, Deum nunquam vindicaturum esse impietatem. Vide, qualia dogmata colligat, quae quidem non audet efferre, sed apud se versat (Chrys. . Ex iis ortum habent scelera et flagitia omnia (cf. Ps. 13, 1).

Contra talem impietatem in Deum et iniuriam in afflictos psalmista instanter ad Deum clamat v. 12 *exsurge*, *Domine Deus*, excute inertiam, incipe agere, *exaltetur manus tua*, leva manum tuam (hebr, Hier), adversus tales decerta fortiter, *ne obliviscaris pauperum*, iura et causam tuere afflictorum. Cur enim permitteretur impio spernere Deum? v. 13 *propter quid irritavit*, quare despicit, Hier quare blasphemat, *impius Deum ?* et hic contemptus Dei cernitur praeprimis, quia apud se statuit : *non requiret*, hebr non requires ; audacter negat Dei iustitiam et providentiam, Deum sibi fingit inertem.

Et tantam indignitatem psalmista Deo exponit efflagitans, ut celeriter eam coerceat. Et primo protestatur contra ultimam sententiam impii, affirmans v. 14 *vides*, vidisti, Deus revera videt et curat res humanas; videt superbiam impii ; *quoniam tu laborem et dolorem consideras*, optime considerat Deus molestiam, moerorem, furorem (Hier) i. e. vexationes quae ab impiis in pauperes fiunt, *ut tradas eos in manus tuas*, ut tandem tradas impios puniendos in manus tuas, LXX et vulg hunc sensum exprimunt; similiter Sym ἵνα δοθῶσιν εἰς χεῖράς σου. Vertit Hier ut detur in manu tua, Aq τοῦ δοῦναι ἐν χειρί σου, Deus respicit laborem et dolorem, ut ponat in manu sua, scil. ut poenas propterea ab impiis exigat. Haec dicuntur contra opinionem et verba impiorum v. 11. 13; illi dicunt : Deus obliviscitur, avertit faciem, non requirit. Contra hos : Deus in manum sumit, ad se recipit causam. Quae psalmistae fidei professio simul est efficax ad Deum petitio. Quare fidenter pergit : *tibi derelictus est pauper*, tibi, tuo patrocinio committitur pauper; tuae tutelae dimittitur; hebr tibi (rem) committit, seu relinquit pauper, pupillus; *orphano tu eris adiutor*, hebr factus es adiutor, semper fuisti adiutor. Ad opem miseris et oppressis efficaciter ferendam opus est, ut potentia superborum frangatur; quare v. 15 *contere brachium peccatoris et maligni*; quod si feceris, disparebit impietas : *quaeretur peccatum illius et non invenietur*, sensu passivo hebr acceperunt quoque Aq Sym Theod, id quod bene ad sensum congruit. Quaerere et non invenire, locutio est ad completam destructionem seu deletionem et exstinctionem designandam; cf. Ps. 36, 36. Is. 41, 12. Enuntiatur hic idem quod Is. 26, 9 : cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis. Vel explica : ita quaere impietatem

eius, ut impius iam non inveniatur, ut pereat; Aq Sym ἵνα μὴ εὑρεθῇ αὐτός. Lege hebr : quaeres peccatum eius, non invenies ?

Atque deleta impietate regnum Dei in aeternum consistat oportet v. 16 *Dominus regnabit in aeternum*, hebr Dominus rex saeculi et aeternitatis (Hier), *peribitis gentes*, pereunt gentes *de terra illius*; est altera sententia correspondens v. 15. Repressa autem et exstincta impietate v. 17 *desiderium pauperum*, afflictorum, *exaudivit Dominus*, *praeparationem cordis eorum* τὴν ἑτοιμασίαν, Sym τὴν πρόθεσιν, propositum cordis eorum, quae appetunt ac desiderant, *audivit auris tua*; et quidnam isti desiderent, designatur in v. 18 *iudicare pupillo et humili*, in eorum gratiam, iis ius tribuere, *ut non apponat ultra magnificare se homo super terram*, ne ultra superbus et arrogans dominetur. Hebr parumper aliter habet : firmas cor eorum, attentam facis aurem tuam ad iudicandum pupillum et oppressum, non iam ultra terrorem incutiet homo (fragilis) de terra (Hier et nequaquam ultra superbiat homo de terra).

In hoc psalmo *Duhm* gentes expungit et illorum loco ponit אֱנוֹשׁ (pro גּוֹיִם), et intelligit superbos, potentes Iudaeorum, contra quos carmen dirigatur. Sed ad eam acceptionem nullo modo aptari poterit 9, 7 de solitudinibus aeternis, de urbibus destructis.

Ps. 10.

1. *In finem, Psalmus David.*

2. *In Domino confido; quomodò dicitis animae meae : | transmigra in montem sicut passer ?* | **3.** *quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; | paraverunt sagittas suas in pharetra, | ut sagittent in obscuro rectos corde;* | **4.** *quoniam quae perfecisti destruxerunt;* | *iustus-autem : quid fecit ?*

5. *Dominus in templo sancto suo,* | *Dominus in coelo sedes eius.* | *Oculi eius* ← *in pauperem : respiciunt,* | *palpebrae eius interrogant filios hominum.* | **6.** *Dominus interrogat iustum et impium ;* | *qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.* | **7.** *Pluet super peccatores laqueos, ignis (*et : sulphur),* | **et : spiritus procellarum pars calicis eorum,* | **8.** *quoniam iustus Dominus—et : iustitias dilexit ;* | *aequitatem vidit vultus eius.*

Admonetur David, ut fuga se periculis subtrahat, contra quae omnes eius conatus plane sint inefficaces (v. 2-4). Verum fiducia in Deum confortatus, qui aequa lance homines iudicat, praedicit inimicis ultionem iusti iudicis (v. 5-8).

Repetitis vicibus admonebatur psalmista et urgebatur ab amicis timidis, ut sibi fuga arrepta consuleret; vivide ei proponebant pericula,

tentamina omnia res in meliorem conditionem reducendi affirmabant fuisse inania. At psalmista spe firma in Dominum armatus consiliis istis amicorum pusillanimorum minime cedendum esse sciebat et tandem illorum importunitate fatigatus non sine indignatione eos repellit dicens firmiter v. 2 *in Domino confido* in Domino quaero et pono refugium meum ; *quomodo dicitis animae meae*, quomodo mihi suadere potestis : *transmigra in montem*, transvola in montem ut avis (Hier), fuge in montem ; in speluncis et antris montium et in deserto sese abdere solebant tempore invasionis hostilis (Iud. 6, 2 ; 1 Reg. 13, 6 ; 22, 1 ; 23, 14 ; 24, 1 etc.). Quam indigne ferat ignaviam amicorum et eorum consilia timida, declarat addens *sicut passer*, praeclare mihi consulitis : sicut avicula ab aucupibus quaesita vel ab avibus rapacibus petita latebras quaeram ? « eum qui est orbis terrarum dominus habeo adiutorem, eum qui ubique omnia facile peragit habeo ducem et a partibus meis stantem et me mittis ad terram inhabitabilem et ex solitudine mihi securitatem comparas » (Chrys.)? LXX in montes : alii quoque praebent ἀναστατοῦ, μετακινοῦ ; textus mass emendetur oportet secundum LXX (nam fugite in montem vestrum, volucris, inepte dicitur).

Cur fugam suadeant, exponitur v. 3 ; vivide instans periculum describitur : ecce, impii tetenderunt arcum, posuerunt sagittam suam super nervum (Hier) ; praesens discrimen indicatur in hebr sagitta iam in nervo arcus posita est (*Ag. Gen.*) ; *ut sagittent in obscuro rectos corde*, augent periculum : insidiae struuntur tectae, tenebris pessima consilia obvolvuntur ; ex occultis quasi latebris bellum geritur et mors intentatur piis omnibus. Hisce quantus sit furor impiorum, exaggerant, quo magis fugam persuadeant. Insuper ei exponunt : quidquid contra eorum machinationes pessimas tu fecisti, illi plane everterunt et inefficax reddiderunt : v. 4 *quoniam quae perfecisti, destruxerunt.* Ampliorem sententiam et conditionem rerum peiorem praebet textus hebr cui aliae versiones concordant : quia columnae destruuntur, Aq ὅτι οἱ θεμέλιοι καθαιρεθήσονται, Sym ὅτι οἱ θεσμοὶ κατελύθησαν, alius iam explicavit metaphoram columnarum seu fundamentorum ὅτι αἱ διδασκαλίαι συντριβήσονται (Chrys.), et simili modo vertit Hier : quia leges dissipatae sunt. Imperfectum hebr pro tempore praesenti adhiberi notum est.

Conditio reipublicae designatur talis in qua ipsa fundamenta ordinis morumque eversa esse videntur, in qua itaque impietas impune grassatur et ideo probi omnes persecutionibus obnoxii habentur. In tali rerum statu *iustus autem quid fecit ?* quid operatus est (Hier) ? quid effecit seu consecutus est, qualem successum obtinuit ? i. e. nihil potuit efficere contra impietatem longe lateque serpentem. Haec est ultima ratio et gravissima, qua fugam persuadere conantur ; ecce, inanis, inutilis est labor tuus !

Uti psalmista ab initio suasionibus timidorum suam in Deum fiduciam opposuit v. 2, ita nunc eorum rationibus respondet illud *in Domino confido* pluribus exponens; et primo quidem paucis adumbrat maiestatem eius, cui confidit v. 5 *Dominus in templo sancto suo*, in palatio suo sancto, *in coelo sedes eius*, Dominus, in coelo thronus eius (Hier); at excelsus ille et sublimis mundi coelorumque dominus in afflictos praesertim oculos intendit : *oculi eius in pauperem respiciunt;* ita ex LXX vulg; ex textu hebr oculi eius vident, palpebrae eius probant filios hominum (Hier); addunt Theodoretus et syr hexapl oculi eius respiciunt τὴν οἰκουμένην, orbem terrarum; ex sublimi throno res humanas pervestigat, probat, explorat, examinat; bene LXX ἐξετάζει, *palpebrae eius interrogant*, intellige notione iudicialis interrogationis seu percunctationis vel notione vocandi in iudicium, quae significatio non est aliena a voce latina. Oculi eius respiciunt, explorant filios hominum; isti iam in duos ordines divisi cernuntur v. 6 *Dominus interrogat*, probat (Hier) *iustum et impium*, ita Aq quoque δίκαιον δοκιμάζει καὶ ἀσεβῆ (cf. Chrys) et ita textum hebr recentiores quoque accipiunt; suadetur etiam maiore conformitate stichorum. Aliter iungit Hier : impium autem et diligentem iniquitatem odit anima eius. LXX et vulg habent *qui autem diligit iniquitatem odit animam suam*, odit seipsum; censet *Gen.* « voluerunt autem Septuaginta explicare effectum odii divini, quae est animarum pernicies », potius neglexerunt ה in שנאה et fortasse voluerunt evitare anthropomorphismum Deo tribuendi animam (similiter *Gen.*).

Quomodo Deus odio habeat diligentem iniquitatem (hebr v. 5) ostenditur poenis in impios devolutis v. 7 *pluet super peccatores laqueos*, Sym ὕσει ἐπὶ παρανόμους ἄνθρακας (cf. גחם) pluet super iniquos carbones, ad quam versionem bene congruit quod sequitur πῦρ καὶ θεῖον ignem et sulphur, cum allusione ad poenam Sodomorum (Gen. 19, 24); igitur emenda hebr: pluet carbones candentes et sulphur, et ad pluviam talem adiungitur hebr et ventus flammeus pars calicis eorum ; *et spiritus procellarum pars calicis eorum*, erit portio illis attributa, haec sors quae illis debetur; metaphora desumpta est a symposiarchis qui partem vini cuique attribuebant (*Gen.*), item a patrefamilias qui suam cuique vini portionem statuebat (cf. 15, 5 ; 22, 5; 74, 9. Is. 51, 17. Ier. 25, 15). Acerrimam itaque poenam comminatur psalmista impiis, poenam talem qua olim pessimae civitates deletae sunt et quae saepius iniquis intentatur (Deut. 29, 23. Iob 18, 15. Is. 34, 9. Ez. 38, 32).

Ita autem contingere debet impiis qui resipiscere nolunt, v. 8 *quoniam iustus Dominus et iustitias dilexit*, quia natura sua iustus est, necessario diligit varias iustitiae manifestationes ac ostensiones;

eiusmodi autem habentur in castigatione impiorum. Pro natura et indole iusti etiam rectum et aequum ubique cernere vult : *aequitatem vidit vultus eius*, rectum respicit, contemplatur facies eius. Hebr recte verti potest, ne dicam, verti debet : recti videbunt faciem eius ; experientur favorem et benevolentiam Dei; nam faciem alicuius videre est gratiose ab illo suscipi et beneficiis donari (cf. Ex. 33, 13. Num. 6, 25. 2 Reg. 3, 13; 14, 28. 32). Ita simul declaratum est quomodo Deus v. 6 et iustum et impium probet, idque in v. 7 et 8 explicatur ; unde illud *in Domino confido* firmis argumentis stabilitum est.

Veteres psalmum ad Davidem communiter referunt, cui amici suaserint, ut sepersecutioni Saul regis subtraheret; « fugitabat vero David et nunc in hunc, nunc in illum locum se conferebat; ad Achis in Geth primum abiit, inde in speluncam Odollam, inde in Maspha, tum in saltum Haret, ex eo loco Ceilam, inde in montem Ziph solitudinis, in colle Hachila, in deserto Mahon, ex eo quoque in loca tutissima Engaddi » (*Ag.*). Verum haec non sunt ad rem. Nam psalmista consilium amicorum cum indignatione repellit; nullatenus fugit. Ergo ad aliam in vita David conditionem psalmus referatur oportet, in qua periculum non fuga evitat, verum Dei ope fretus impavidus sustinet.

Ps. 11.

1. *In finem pro octava, Psalmus David.*

2. *Salvum — me: fac, Domine, quoniam defecit sanctus,* | *quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum,* | 3. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum,* | *labia dolosa, in corde et corde* * *locuti sunt: .* | 4. *Disperdat Dominus universa labia dolosa,* | *et linguam magniloquam,* | 5. *qui dixerunt : linguam nostram magnificabimus,* | *labia nostra a nobis sunt ; quis noster Dominus est ?*

6. *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum,* | *nunc exsurgam, dicit Dominus ; ponam in salutari ; fiducialiter agam in eo.* | 7. *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum,* | *probatum terrae, purgatum septuplum.* | 8. *Tu Domine servabis nos,* | *et custodies nos a generatione hac in aeternum.* | 9. *In circuitu impii ambulant ;* | *secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.*

Psalmista implorat opem divinam contra dolos, fraudes, hypocrisin inimicorum, quorum fallaciam et superbiam, ut Deus retundat, efflagitat (v. 2-5). Accipit promissionem adiutorii divini, quare in laudes eloquiorum Dei erumpit et laetam pro futuro tempore spem profitetur (v. 6-9).

David de magna morum corruptione conqueritur, non sine exaggeratione, uti est lamentantium et supplicantium. Nam pietatem et fide-

litatem plane defecisse ait inter homines, quare supplex Dei opem implorat; cum in secundo sticho ponatur substantivum non personale, sed ἀλήθειαι *veritates,* hebr אמונים fides, fidelitas, recte monent recentiores, etiam in priore sticho legendum esse חסד pietas. Quomodo desierit pietas et fides ex hominibus evanuerit, describitur ad supplicationem commendandam v. 3, inter se *vana*, mendacia loquuntur, alter alterum mendaciis decipit, *labia dolosa*, omnis sermo dolis, blanditiis mendacibus (cf. hebr) plenus est et ad fallaciam compositus, *in corde et corde*, corde duplici loquuntur, « aliud habent in ore, aliud in pectore, ut cor duplex habere videantur, unum interius latens perversum, alterum foris apparens et verbis ostentatum quasi rectum » (*Gen.*). Ita insigni hypocrisi labia mollia et polita, adulationes, ostentant et fraudes moliuntur.

Contra tales διψύχους (cf. Jacob 1, 8) clamat ad Dominum v. 4 *disperdat*, deleat *Dominus universa labia dolosa*, labia blanda, mollia (levigata), *et linguam magniloquam*, iactantiam, superbiam, ostentationem sui. Et quantopere hanc suam iactationem et insolentiam auribus omnium oggerant, describitur v. 5 *qui dixerunt*, dicunt : *linguam nostram magnificabimus*, roboremus (Hier), invalescere faciemus; hebr quoad linguam nostram nosmetipsos validos ostendemus ; ἄλλος, δυναστεύσομεν, lingua nostra dominabimur ; *labia nostra a nobis sunt*, nobiscum sunt (hebr, Hier) ; lingua nostra omnia efficere possumus, ut qui innocentes sunt criminosi videantur, et contra, qui sontes sunt, innocentes existimentur (*Ag.*). Utique constat experientia, clamatores et latratores plurimum valere in hominum turba et vulgus in suas facile pertrahere partes. Iam arroganter iactant, neminem sibi resistere, seu imperare posse : *quis noster dominus est?* cf. Job 21, 15 quis est Omnipotens, ut serviamus ei ?

Supplicationi annuit Deus v. 6 *propter miseriam inopum*, propter afflictionem miserorum, *et gemitum pauperum*, *nunc exsurgam*, *dicit Dominus*, dum opem non fert, quiescere videtur ; surgit ad agendum et auxiliandum, *ponam in salutari*, constituam in salute i. e. salvos ac tutos faciam, quos impii vexabant ; *fiducialiter agam in eo* παρρησιάσομαι ἐν αὐτῷ « μετὰ παρρησίας, φησὶν, αὐτῶν προστήσομαι φανερῶς καὶ δήλως » (Chrys), aperte agam pro ipsis, aperte tuebor eum (sensu collectivo) ; perspicuam et illustrem eorum salutem faciam (Thdrt), Sym τάξω σωτήριον ἐμφανές, eodem modo syr ; hi uti LXX quoque pro textu mass יפיח legisse videntur formam quandam a יפע hiphil ; ita Ps 94 (93, 1 הופיע redditur ἐπαρρησιάσατο et Ps 50 (49) 2 ἐμφανῶς ἥξει, et 80, 2 ἐμφάνηθι. Unde colligere licet LXX legisse אופיע apparebo ei, seu splendebo ei i. e. favorem ei praestabo, qui sensus omnino aptus est.

Textum mass vertunt : ponam in salute eum qui desiderat (ad eam inhiat) vel sensu alio : eum, in quem saeviunt.

Haec Dei promissa grato animo accipit psalmista eaque laudibus prosequitur v. 7 *eloquia Domini eloquia casta*, ἁγνά, Chrys, καθαρά, Hier munda, pura scil. et integra, sincera, *argentum igne examinatum*, a scoriis purgatum ; declaratur comparatione hac res pretiosa et splendens ; *probatum terrae*, acceptum ubique terrarum, *purgatum septuplum*, saepenumero (Thdrt), ergo purissimum et quam maxime excellens pretio et aestimatione. In textu hebr obscurum est בעלול, Hier separatum a terra, LXX δοκίμιον instrumentum ad inquirendum, ad probandum ; targum in fornace ; unde vertunt : argentum excoctum in fornace (catino) ad terram ; sed quid sibi vult ad terram ! totum hoc videtur delendum. Dein habes stichum bene conformatum : argentum excoctum, colatum septuplum. Eloquia Domini omnem merentur fidem et maximi sunt aestimanda et firmiter constant. Quare firmam profitetur spem v. 8 *tu Domine*, *servabis nos*, custodies ea (hebr Aq Theod, Hier, syr), fideliter servabis eloquia et in opus deduces et propterea etiam *nos custodies a generatione hac in aeternum*, ab hominibus malis (*nos* LXX, Hier ; me syr). Quae spes eo magis fovenda est et iugiter in animis augenda ; nam v. 9 *in circuitu impii ambulant*, nos obsident nobisque creant pericula ; Deus autem pro sua potentia curam gerit hominum ; *secundum altitudinem tuam multiplicasti* ἐπολυώρησας magna cura prosequeris *filios hominum* ; ita ex LXX et vera notione vocis πολυωρεῖν, quam interpres latinus haud bene reddidit ; eam vocem clare exponit Theodoretus τῆς σῆς ἀξιοῖς κηδεμονίας tua cura eos dignos existimas. Impii nos circumdant, Deus autem pro sua sublimitate etiam sua cura et protectione homines circumdat. Hoc modo sensus aptus habetur.

Textus hebr est satis obscurus et varie explicatur neque tamen aptus elucet sensus ; Hier sequitur versionem Sym : cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum ; *Duhm* : si elevatur vilitas apud filios hominum ; *Baethgen* : et si impii undique gradiuntur in vinea (Israel) apud homines despecta. Aliter v. 8. 9 concipit textumque emendat *Wies.* : tu Iahve implebis (verbum tuum), me proteges ab ista colluvie et a contemptu hominum ; nec in perpetuum licebit impiis in (tua) vinea vagari.

Quid LXX legerint, vix coniici potest ; alias πολυωρεῖν respondet hebr יתר et רהב hiphil, cf. Deut 30, 9 ex lectione A F, et Ps 137 (138) 3.

Ps. 12.

1. *In finem, Psalmus David.*

Usquequo, Domine ! oblivisceris me in finem, | *usquequo avertis faciem* **tuam a** *me ?* | 2. *Quamdiu ponam consilia in anima mea,* | *dolorem in corde* **meo per** *diem ?* | 3. *usquequo exaltabitur inimicus meus super me ?* |

4. *Respice — et : exaudi me, Domine Deus meus,* | *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte,* | 5. *ne quando dicat inimicus meus ; praevalui* **adversus** *eum ;* | *qui tribulant me exsultabunt, si motus fuero.*

6. *Ego autem in misericordia tua speravi,* | *exsultabit cor meum in salutari tuo ;* | *cantabo Domino qui — bona : tribuit mihi,* | *—et psallam nomini Domini altissimi :.*

Conqueritur David psalmista quod iam diu quasi derelictus a Deo frustra quaerat subsidia adversario triumphante (v. 2. 3), Quare efflagitat favorem divinum, ne exsultent et praevaleant inimici (v 4. 5). Certus de exauditione Deo laudes dicit (v. 6).

Ex longiore iam tempore afflictus ille clamavit ad Deum opem divinam implorans. At videbatur Deus quasi servi sui in tribulatione positi oblitus, imo ei infensus. Frustra ipse varias excogitare studuit rationes depellendi seu evadendi pericula ; cernit cum animi angore se nihil proficere, e contra in dies magis insolescere adversarios. Quare tandem prorumpit in querelam, quam quater repetito עד אנה ἕως πότε magna vehementia coram Domino effundit. Incipit exclamatione : *usquequo Domine*, quamdiu scil. mihi non succurris ? vox ἕως πότε eius est, ait Chrys, qui magnum tempus ostendit ; ideo deflet ac luget ; dein conquerendo quasi interrogat : an revera *oblivisceris me in finem ?* perpetuo, Hier penitus ; Aq τέλεον prorsus, omnino. Qualem Deum diu sit expertus, cum dolore effert *usquequo avertis faciem a me* ? avertere faciem est nolentis audire preces, nolentis favorem concedere imo iram ostendentis et contemnentis supplicem. Alia causa querelae est v. 2 *quamdiu ponam consilia in anima mea*, quamdiu debebo frustra quaerere rationes et subsidia, quamdiu deliberationes instituere ad me e periculis eripiendum ? *dolorem in corde meo per diem*, dum scil. maeror continuo animum excruciat ; LXX A et ℵ corr ἡμέρας καὶ νυκτός, Sym καθ'ἡμέραν. Alia causa querelae est *usquequo exaltabitur inimicus meus super me?* affligi pios, illis insultare impios in prosperitate et abundantia bonorum positos, acerbissima est veterum querela. Talis enim conditio quam maxime absona videri debuit illis qui promissiones in lege datas ob oculos habebant (cf. Lev. 26. Deut. 28) vel qui recolebant multiplices illas in Proverbiis sententias de felicitate piorum et de malorum miseria.

Sed quia tales promissiones datae sunt a Domino, eo maiore fiducia pii semper ad eum recurrere poterunt ; unde v. 4, *respice*, eousque videbatur oculos et faciem avertisse v. 2, *et exaudi me* ; en oculi mei iam caliginem obduxerunt prae moerore ; *illumina oculos meos*, spe, gaudio splendent oculi, fac eos splendere, revoca me ad novam quasi vitam, *ne (unquam) obdormiam in morte*, oculis ex moerore, fatigatione caligantibus obrepere solet somnus ; sibi iam talem conqueritur offundi caliginem, ut periculum sit, ne mortis somnus sibi obrepat. Verum favorem, lumen scil. et gaudium sibi expetit a Domino, *ne dicat inimicus meus* : *praevalui adversus eum*, ne me cadente glorietur et se vicisse gaudeat et victo insultet (*Ag.*) ; nam hostes mei, *qui tribulant me exsultabunt, si motus fuero*, si praeceps in vitae discrimen ruero ; vel iam nunc iubilant, quia nuto, in periculo positus sum.

Verum prolata querela statim confugit ad orationem v. 4 et Deo simul cum precatione proposuit validas causas auxilii praestandi, ne scil. morte abripiatur, ne adversarii evadant victores ; quare hisce novam ac laetam concipit spem exauditionis v. 6 *ego autem in misericordia tua speravi*, confido (hebr, Hier) ; contra moerorem in corde v. 3 iam ad exsultationem seipsum provocat : *exsultabit* (hebr exsultet) *cor meum in salutari*, ob salutem et opem quam mihi praestabis ; *cantabo Domino qui bona tribuit mihi*, laudes et hymnos gratiarum actionis persolvam. Quae sequuntur *et psallam*, non sunt in hebr, nec apud alios graecos interpretes neque apud Eusebium et puto e 9, 3 huc fuisse translata (*Ag.*).

Cum Ps. 6 hunc psalmum efficere carmen choricum proposuerunt *J. Hontheim* et eum allegantes *J. K. Zenner* (Chorgesänge im Buche der Psalmen, 1896, p. 37 sq.) et *Wiesmann* ; atque unum ex duobus psalmis carmen efformari posse sine ulla ipsius textus mutatione indicatum est supra (p. 35) ; ceterum advertunt *Zenner* et *Wies.* utrumque psalmum in se consideratum etiam praebere sensum completum.

Ps. 13.

1. ***In finem, Psalmus David.***

Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. | *Corrupti sunt — et: abominabiles facti sunt in studiis — suis:* | *non est qui faciat bonum; — non est usque ad unum:* | 2. *Dominus de coelo prospexit super filios hominum* | *ut videat si est intelligens — aut: requirens Deum.* | 3. *Omnes declinaverunt; simul inutiles facti sunt; non est qui*

faciat bonum, non est usque ad unum. [*Sepulcrum patens est guttur eorum,* | *linguis suis dolose agebant,* | *venenum aspidum, sub labiis eorum;* | *quorum os maledictione et amaritudine plenum est;* | *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem;* | *contritio et infelicitas in viis eorum,* | *et viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum :*]

4. *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem,* | *qui devorant plebem meam sicut escam panis?* | 5. *Dominum non invocaverunt* | *illic trepidaverunt timore, — ubi non erat timor :* | 6. *Quoniam Dominus in generatione iusta est,* | *consilium inopis confudistis,* | *quoniam Dominus spes eius est.* | 7. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* | *Cum averterit Dominus captivitatem plebis suae,* | *exsultabit Iacob, — et : laetabitur Israel.*

Describitur impietas morumque corruptio longe lateque serpens (v. 1-3). At Deus iustus et spes afflictorum in facinorosos animadvertet. Utinam populi sortem vertat in salutem ad exsultationem Israel (v.4-7).

Idem psalmus paucis mutatis habetur n. 52 (vide infra). Hoc loco post v. 3 (Sepulcrum patens—usque ad v. 4) habetur in B et vulg longior glossa constans versibus ex epistola ad Romanos 3, 13-18 huc translatis. Ibi scil. apostolus volens ostendere omnes esse peccatores primum recitat ex nostro psalmo aliqua verba, dein adiungit alias sententias collectas ex Psalmis (5,11 ; 139,4 ; 9,28) et Isaia (59,7 ; 59,8) et Ps. 35,2 non est timor Dei ante oculos eorum. De qua insertione tractat iam Hier (Comment. in Is. l. 16 ; *M.* 24, 547). Neque legitur in Ps. 52.

Deum negare solum potest homo vere insipidus ac fatuus vel insigniter scelestus. Hoc iam indicat psalmista, dum ex magna colluvie unum facit loquentem et eum designat : *dixit*, dicit, *insipiens* נבל qua voce et stultitia et scelus enorme exprimitur, *in corde suo*, apud se cogitat, *non est Deus* ; quid vero ex ignoratione Dei consequatur, statim subditur : insignis depravatio : corrumpunt et abominandam faciunt actionem (hebr), totum eorum agere est abominatio. Ex plurali in hoc membro iam sequitur sensus etiam collectivus *insipientis*, cuius indolem bene exhibet Isaias 32,6. Quam late serpat impietas et ei coniuncta pravitas morum, graviter declaratur : *non est qui faciat bonum ;* additur in LXX et vulg *non est usque ad unum*, cf. v. 3. Ipse Deus lustrans terram ex coelesti throno quasi sedulo inquirit, sitne *intelligens*, quaerens Deum, pius cultor Dei inter homines. Et quid docetur hac divina inspectione ? v. 3 totum recessit, omnes recesserunt (Hier) ; *simul inutiles facti sunt*, una depravati sunt, *non est qui faciat bonum*, ne unus quidem. Sequitur in vulg longior illa glossa ex Rom. 3,13-18.

Iam cum quadam admiratione exagitat stuporem iniquorum et procerum, v. 4 *nonne cognoscent*, suntne isti operarii iniquitatis expertes omnis cognitionis ; num carent omni intelligentia, scil. ac si tanta pra-

vitate non necessario provocari debeat iusta Dei ultio — *qui devorant plebem meam sicut escam panis,* proceres reprehenduntur; plebem miseram vexare nihili pendunt, neque ea iniuria magis commoventur, quam si frustum panis sumerent. In ea perversitate consistunt, quia Dei immemores sunt : *Dominum non invocaverunt.* In hebr v. 5 solum legitur, quod vertit Hier : ibi timebunt formidinem, quoniam Deus in generatione iusta est : *ubi non erat timor*, legitur in hebr 52,6; si membrum hoc loco inseritur cum LXX, vulg. targum, sensus videtur esse, eos timorem concipere vanum, ubi nulla vera formidinis causa reperitur; neque tamen timere quod revera timendum est, *quoniam Dominus in generatione iusta est*, Deus est potens protector piorum, eorum vindex; quare qui devorant plebem, hunc timeant. Si v. 5 posset ad pios referri, nexus evaderet facilior : timent, ubi vera causa timoris non est, *quoniam Deus in generatione iusta est.* Nam Dominus est spes inopis; illi autem hoc ipsum inopis consilium tamquam rem vanam et inutilem cogitationem illuserunt ac despexerunt (*Ag. Gen.*). Ita forte intelligi potest quod habetur apud LXX, vulg *consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est;* sicut Theodoretus quoque verba concipit : vos, impii, irrisistis spem firmam, quam ille in me collocavit.

Textus hebr תבישו concipi potest per modum concessionis : etsi consilium inopis inane reddatis, Deus tamen spes est inopis; seu supple : nihil proficietis, quia Iahve spes eius est. In Ps. 52,6 legitur LXX κατῃσχύνθησαν confusi sunt; si hanc formam cum recentioribus huc transferimus, sensus obvius gignitur ac facilis emendatione facta : ob consilium contra inopem conceptum confusi sunt, quia Iahve est spes eius.

Concluditur precatione pia v. 7 *quis dabit ex Sion salutare Israel.* utinam ex Sion veniat salus Israel! quis dabit, modus optandi est hebraicus (*Gen*).; *cum averterit Dominus captivitatem plebis suae.* Hier cum reduxerit captivitatem; sed locutio hebr haec etiam notione magis generali occurrit v. g. Iob 42,10, hebr sortem mutare; legitur quoque Os. 6, 11 et Am 9, 14; quare ea locutione non necessario tempus exsilii designatur; etiam Sym vertit Iob 42,10 ἐπέστρεψε τὴν ἀποστροφήν et Aq Ier 32,44 τὴν ἀποστροφήν (ita ex syr hexapl). Sorte itaque in melius mutata *exsultabit Iacob et laetabitur Israel;* en, quali spe psalmista prospicit tempus futurum! corruptione tam magna non desperat; tandem aliquando salutem iri concessum confidit et tempus gaudii et exultationis venturum esse pro populo Dei certa fiducia annuntiat. Aliis verbis, certe scit regnum Dei, regnum scil. salutis et laetitiae in terris esse fundandum.

Unum carmen choricum ex Ps. 13 et 69 constituit *Wies.* I a 13, 1. 2. Ib 13,3. 4. II 13, 5.6.7 ; III a 69, 2. 3. 4 ; III b 69,5. 6. In 13,4 sacerdotes idololatras describi censet, aliqua textus mutatione facta hunc sensum v. 4 tribuit ; nonne socii idololatrarum sunt qui cum Iahve manducant ? qui manducant panem Iahve, quem non invocant.

Ps. 14.

1. *Psalmus David.*

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo ? | *—aut : quis requiescet in monte sancto tuo ?* | 2. *Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam,* | 3. *— qui : loquitur veritatem in corde suo* | *qui non egit dolum in lingua sua,* | *nec fecit proximo suo malum,* | *et opprobrium non accepit adversus proximos suos.*

4. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus,* | *timentes autem Dominum glorificat ;* | *— qui : iurat proximo suo et non decipit,* | 5. *— qui : pecuniam suam non dedit ad usuram,* | *et munera super innocentem non accepit.* | *Qui facit haec, non movebitur in aeternum.*

Ad Dominum eiusque sanctuarium accedere is solum potest, qui probus est et iustus, verax, sincerus, sine iniuria in proximum, vitium detestatur, honorat pietatem, fidem iuramenti servat, usuram non exercet, nec pecunia corrumpitur. Similiter vir probus describitur Is. 33,15. Talis semper erit securus et felix.

Bene v. 1 ita declarat Theod. : quis dignus est tuo templo assidere et in tua civitate vitam degere ? Hier : quis peregrinabitur in tentorio tuo ? quis poterit accola esse vel hospes (cf. גור) ibi ubi Iahve habitat, tentorium, templum habet ; aut quis habitabit (hebr Hier) i.e. cui licet habitare in monte sancto, civem esse sanctae civitatis, in qua mons Deo sacer et sanctuarium consistit ? Haec certe quam maxime spectant sacerdotes et levitas. At cum in sequentibus nihil proferatur quod hisce sit peculiare prae aliis et proprium, sensus est generalis : quis potest esse accola, civis theocratiae, vel hospitare apud Iahve ?

Recensetur iam codex morum. v. 2 *qui ingreditur* i. e. in vitae suae ratione est *sine macula*, hebr תמים integer, innocens, in quem nulla cadit reprehensio, *et operatur iustitiam*, ubique rectum et ius sequitur, *qui loquitur veritatem in corde suo*, qui vera et sincera cogitat ; non fraudes mente volvit ; ab omni cogitato quoque mendacio abhorret, *non egit dolum*, hebr non calumniatur *in lingua sua*, רגל Hier, qui non est facilis in lingua sua ; *nec fecit proximo suo malum*, nec facit, committit iniuriam, *et opprobrium* seu ignominiam non profert contra proximum ; *non accepit*, non audit ; nec imponit neque imponi patitur (*Gen.*) et Theod. : si qui in calamitatem quandam inciderint, irri-

dere et insultare non decet, verum potius moestitiae participem esse, secundum apostolum lugere cum lugentibus.

Oportet quoque aequa lance affectus ex iustitiae ac rectitudinis norma dirigere; *ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*, Hier, despicitur oculis eius improbus, homo profligatus; at *timentes Dominum*, pios cultores Dei, *glorificat*, honorat; quod proximo suo (item syr) iurat, fideliter servat, *non decipit*, LXX καὶ οὐκ ἀθετῶν non faciens irritum. In hebr cui textui congruit Aq Theod τοῦ κακῶσαι et versio Hier, ut se affligat (targum), non est sermo de iuramento promissorio alteri facto, sed de iuramento quod tandem ipsi iuranti damnosum evadit; vir probus etiam cum suo damno, cum iactura pecuniae, stat iuramento, hebr non mutat; praestat quod promisit, non substituit minus pretiosum pro magis pretioso, vel vilius, facilius pro re maiore, difficiliore. Lege prohibitum erat usuram capere a contribule, ab Israelita (Ex. 22,25, Lev. 25,36. Deut. 23,20); sed ab alienigena licuit usuram exigere (Deut. 23,20; 15,6). Vir probus ab avaritia alienus esse debet; is itaque v. 5 pecuniam suam non dat ad usuram; neque ut iudex largitionibus se corrumpere sinit: *munera super innocentem*, adversus innoxium (Hier) *non accepit*; ut scil. innocentem reum declaret, nullis muneribus inducitur; cf. Ex. 23,8 nec accipies munera quae etiam excaecant prudentes et subvertunt verba iustorum; vide Deut. 16,19. Prov. 17,23. Eccli. 20,31. Is. 23,15 qui excutit manus suas ab omni munere. Reprehenditur talis corruptio Is. 1,23; 5,23 iustificatis impium pro muneribus. Sed qui probum se in omnibus praestat, *qui facit haec*, *non movebitur in aeternum*, non nutabit, status eius prosperitatis erit firmus iugiter ex norma de retributione in lege proposita; vide quae notavi ad 12,5 et in Prolegomenis ad Proverbia.

Psalmum hunc 14 et 23 simul iungendos esse primus proposuit Peters in Zeitschrift f. kath. Theol. 1899, p. 364. Carmen choricum ex utroque describit *Wies.*: I a 23, 1-3; I b 23, 4-6; II 23, 7-10; III a 14, 1-3; III b 14, 4-5. Indicium quoque pro Ps. 23 habetur ex sela post v. 6 et 10.

Psalmum hunc 14 aliqui veluti decalogum quendam considerant, decem praeceptis scil. delineari eum, de quo quaeratur in v. 1; alii malunt statuere novem (i. e. 3×3) praecepta; cf. Zeitschrift f. alttest. W. XXIV p. 135.

Ps. 15.

1. *Tituli inscriptio ipsi David.*

Conserva me Domine quoniam speravi in te; | 2. *dixi Domino: Deus meus es tu,* | *quoniam bonorum meorum non eges.* | 3. *Sanctis qui sunt in terra — eius:* | *miri-*

ficavit omnes: voluntates meas in eis.* | 4. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum,* | *postea acceleraverunt.* | *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus,* | *nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

5. *Dominus pars hereditatis meae et calicis mei;* | *tu es qui restitues hereditatem meam mihi.* | 6. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris; et — enim : hereditas mea praeclara est mihi.* 7. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum,* | *insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* | 8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper,* | *quoniam a dextris est mihi, ne commovear.*

9. *Propter hoc laetatum est cor meum et exsultavit lingua mea,* | *— insuper : et caro mea requiescet in spe ;* | 10. *quoniam non derelinques animam meam in inferno,* | *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* | 11. *Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo,* | *delectationes in dextera tua — usque : in finem.*

Deum suum bonum profitetur David ; in piis sibi complacet ; cum idololatris autem nihil commune vult habere (v. 1-4). Deum praedicat suum bonum, a quo praeclaram sortem nactus est; quare se cernit vehementer impulsum Deum, protectorem suum, ut laudibus prosequatur (v. 5-8). Inde gaudio perfunditur et ad laetam assurgit spem, fore ut in beata immortalitate in aeternum coram Deo bonis fruatur (v. 9-11).

Primus stichus separatim ponitur, est quasi summa quaedam totius psalmi *conserva me*, et qualem sibi petat conservationem, praeclare elucet ex ultima parte (v. 9-11) ; *quia speravi in te*, quali spe in Deum feratur, explicat praesertim v. 2.5.6. Eiusmodi stichi singulares in cantu liturgico per modum precationis saepius repetebantur (cf. quae ad Ps. 135 adnotantur).

Profitetur Deum plene sibi sufficientem, cui nos nihil conferre possumus et qui utpote Deus noster, simul est unicum et summum bonum nostrum ; bene effertur natura Dei maxime excellens, ex eo, *quoniam bonorum meorum non eges*; nihil extra se indiget, id de nulla creatura dici potest, cadit in unum Deum. Ita ex LXX sensus habetur praeclarus. Hebr vertit Aq ἀγαθωσύνη μου οὐ μὴ ἐπὶ σέ, Hier vertit ut Sym : bene mihi non est sine te ; recentiores varie concipiunt : bonum meum non est extra te, vel non est ultra te i. e. non habeo maius bonum quam te ; ergo tu es bonum meum (cf. *Baethgen*, *Wies*). Quae sequuntur satis obscura sunt; v. 3 ita ex hebr facile concipi potest : et sanctis (dico) qui in terra sunt : hi sunt nobiles, in quibus omne meum beneplacitum est : vel ex LXX et sanctis (dico) : mirificavit (Deus) omnes suas voluntates in eis ; fortasse : magnis beneficiis eos cumulavit ; miro favore eos prosequitur.

Uti in v. 4 ab initio textus hebr et LXX traditus est, nequit sanus sensus erui ; ex altera v. 4 parte utique liquet, sermonem esse de idololatris. Et עצבותם potest esse dolores eorum, vel idola eorum ; prius LXX,

vulg, Aq Sym; alterum Theod Hier : multiplicabuntur idola eorum, et versio quinta : τὰ εἴδωλα αὐτῶν ἄλλοι ἐξελέξαντο. Cum aliqua textus hebr emendatione potest erui sententia : multiplicant dolores suos qui (pro Deo) alium assumunt. A commercio hoc idololatrico longissime recedit psalmista : non libabo libamina eorum de sanguine neque adsumam nomina eorum in labiis meis; ita Hier bene vertit hebr — et eodem modo intellige LXX et vulg. Nomina deorum ne pronuntiare quidem vult (cf. Os. 2,16.17 ; pro Baal pronuntiabatur boschet, αἰσχύνη, etiam in nominibus propriis). Qualis idololatria reprehendatur, cf. Is. 57,5; 65,11. Ier 2,27; 32,33; 44,17. Ez. 20,7.

De cultoribus idolorum dictum est: in partibus torrentis pars tua (Is. 57, 6) ; at psalmista in uno Deo totam collocat felicitatem ac possessionem suam v. 5 *Dominus pars hereditatis meae*, pars mea hereditaria, *et calicis mei*, mea portio, sors mihi tributa (vide ad 10, 6); totus populus habet pro parte sua Deum : non est his (idolis) similis pars Jacob, qui enim formavit omnia, ipse est (Jer. 10, 16) et speciali ratione dicitur Deus pars sacerdotum et levitarum : ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel (Num. 18, 20. Deut. 10, 9); *tu es qui restitues hereditatem meam mihi*, cum Deus sit possessio, hereditas, pars piorum, haec pars iis datur seu statuitur, si bonorum divinorum participes redduntur ; hebr vertit Hier: tu possessor sortis meae ; tu es sustentans sortem meam, quae acceptio obvia est ; recentiores corrigunt : tu semper sors mea, vel tu addes sortem meam. Huius sortis excellentiam praedicat psalmista v. 6 *funes ceciderunt mihi in praeclaris* ; « in terrae divisione funes ad metandum adhibebant, dein sortibus spatia illa dimensa distribuebant, ideo quod de sortibus dici solet, funibus tribuit, hoc est cadere » (*Ag.*) ; sors mea cecidit in loca praeclara ; *etenim hereditas mea* possessio mea, *praeclara est mihi*; Hier, hereditas speciosissima mea est.

Quare Deo dicuntur laudes, qui adeo bene providit (v. 7) et potens est protector (v. 8); v. 7 *benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*, a Deo se edoctum profitetur ; hebr vertit Hier qui dedit consilium mihi, i. e. mihi bene consuluit, bene prospexit ; hoc Dei beneficium intimis affectibus ut prosequatur, sese vehementer sentit impulsum *; et usque ad noctem*, insuper et noctibus (hebr, Hier), ubi strepitu diei transacto vacari potest tranquillae contemplationi, *increpuerunt me*, erudierunt me (hebr, Hier) *renes mei*, intimi sensus et affectus animi, qui corde, renibus, visceribus attribui et manifestari solent. Continuo ob oculos habet Dominum v. 8 *providebam*, proponebam (hebr, Hier) *Dominum in conspectu meo semper*, illum habeo ante oculos ; et ipse Dominus quoque continuo opitulator ei adstat, *quoniam a dextris*

est mihi, ut protector mihi assistit, et tali munitus praesidio non commovebor (hebr), securus ac tutus ero, non titubabo; nihil damni seu periculi mihi opponetur.

Quia itaque Deum habet largitorem bonorum et protectorem et magna afficitur laetitia (v. 9) et cum omni fiducia prospectat vitam beatam (v. 10-11); v. 9 *propter hoc laetatum est cor meum*, et exsultat gloria mea (hebr), anima mea, ita magnitudo affectus declaratur; *et insuper caro mea requiescet in spe*, Hier habitabit confidenter, hebr secure; totus homo ratione habita animi et corporis in gaudio et in securitate collocabitur. Describitur magna felicitas, quae fundatur in Deo, qui est largitor bonorum et protector; et qui ut talis sustentabit sortem eius. Si autem Deus est pars hereditatis et calicis (v. 5), potestne ista portio divina solum haberi in vita terrestri? Minime; nam alia ratio gaudii eius et exsultationis nobis panditur v. 10 *quoniam non derelinques animam meam in inferno*, proprie ex hebr non committes animam meam orco; ita עזב cum ל alicuius curae tradere, committere (cf. Ex. 23, 5. Job 39, 14 ova terrae; 2 Chron. 12, 5 commisi vos potestati Sesac; 2 Chron. 32, 31. Neh. 9, 28). In orco desistitur a laude Dei; ibi iam non est fruitio bonorum divinorum; numquid mortuis facies mirabilia, aut umbrae surgent ad te laudandum; numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua et iustitia tua in terra oblivionis (Ps. 88, 11-13)? non infernus confitebitur tibi neque mors laudabit te, non exspectant qui descendunt in lacum veritatem tuam (Is. 38, 18). Ergo cum Deus sit bonum psalmistae, iam assurgit ad certam cognitionem animam non posse in perpetuum committi et tradi orco, verum debere pervenire in eam conditionem qua revera sit iterum particeps bonorum divinorum; *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, videre, experiri διαφθοράν illam quae sit in terra oblivionis, in illa regione miseriae, ubi sempiternus horror inhabitat (Job 10, 22). Spem itaque beatae vitae post mortem psalmista hic enuntiat. Nam cogitari nequit eum sibi promisisse perpetuam vitam terrestrem; ex altera parte firmiter Deum largitorem bonorum tamquam possessionem suam profitetur et ea persuasione imbutus se non posse committi orco eiusque perditioni enuntiat; unde necessario consequitur certa spes vitae beatae post mortem.

Vertunt LXX διαφθοράν, neque est cur haec versio reprehendatur; nam verbum שחת unam habet notionem corrumpendi, perdendi, et substantivum inde derivari omnino potest et haec significatio omnino exigitur Job 17, 14 ex lege parallelismi: *putredini* שחת dixi: pater meus es tu, mater mea et soror mea *vermibus*; in quo loco Iobi etiam Aq Theod διαφθοράν verterunt, uti ex syr hexapl constat; insuper in eo loco non potest intelligi שחת notione foveae, quia hoc substantivum generis

feminini est, cui certe inepte adiungeretur : pater meus es tu. Recentiores vertunt videre foveam (sepulcrum), sed vox adhibetur etiam pro orco, inferno. Tunc adverte ex indole linguae *videre* designare statum aliquem, videre vitam, famem, mortem. Se vocat חסיד[1] qui gratia divina donatus sit, quam sui appellationem optime colligit ex antecedentibus (v. 2, 5, 8, 9) et quam simul Deo proponit tamquam titulum, cui hanc suam spem et ad Deum precationem adnectit.

Quod in v. 10 potius negative indicavit, iam positive declarat v. 11 *notas mihi fecisti vias vitae*, ostendes mihi semitam vitae (hebr, Hier), viam quae ducit ad vitam, ad vitam scil. non terrestrem, quam iam vivit, sed ad vitam beatam, quae eo ipso ei proponitur, quia Deus est possessio eius (v. 5) ; hac cognitione ei nota facta est via ad vitam ; quamdiu igitur revera habet Deum tamquam partem suam hereditariam, quamdiu est in familiari cum Deo consortio, est in via ad vitam beatam — quare non poterit relinqui in orco et in perditione illa (v. 10), verum *adimplebis me laetitia cum vultu tuo*, hebr. plenitudo gaudiorum cum vultu tuo, cum facie tua ; seu saturitas deliciarum est cum facie tua ; satiabor cum apparuerit gloria tua (16, 15) ; quo maior et intimior erit accessus ad Deum, eo maius percipietur gaudium ; plena saturitas habebitur, si ipsa Dei facies conspicitur ; *delectationes in dextera tua usque in finem*, iugiter, in perpetuum. Hoc necessario colligitur, quia Deus est « pars hereditatis meae et calicis mei ». Deus largitor bonorum aeternus ; qui tali fruitur possessione, in aeternum pariter beatus esse debebit.

Exprimitur itaque in psalmo hoc spes et certa cognitio vitae ante faciem Dei beatae ; declaratur illud Isaiae : praecipitabit mortem in sempiternum (Is. 25, 8), et vivent mortui tui, interfecti mei resurgent ; expergiscimini et laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus (Is. 26, 19) et praeparatur illud : et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt in vitam aeternam (Dan. 12, 2). Ex usu liturgico huius psalmi etiam in populo confirmari debuit spes et fides vitae in commercio cum Deo in aeternum beatae (cf. *Rob. Smith*, Expositor I, 4 p. 370 sq). Ceterum in manifesto est positum spem in psalmo expressam plene ac perfecte in eo solo esse adimpletam qui vita functus non relictus est in scheol neque expertus est corruptionem. De hoc psalmo agit *Lagrange*, Revue biblique 1905, p. 192. Ceterum vide Act. 2, 25-32 ; 13, 35-37.

1. In hebr quoque numerum singularem esse ponendum et nota mass. indicat et plurimi codices hebr ostendunt cf. De Rossi, Variae lectiones, IV, p. 9 et Kennicott, The State of the Printed Hebrew texte II p. 108. 346. 563.

Ps. 16.

1. *Oratio David.*

— Ex: audi, Domine iustitiam — meam: | intende deprecationem meam; | auribus percipe orationem meam | non in labiis dolosis. | 2. *De vultu tuo iudicium meum prodeat,* | *oculi tui videant aequitatem:* | 3. *Probasti cor meum — et: visitasti nocte;* | *igne me examinasti et non est inventa in me iniquitas.* | 4. *Ut non loquatur os meum opera hominum,* | *propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* | 5. *Perfice gressus meos in semitis tuis,* | *ut non moveantur vestigia mea.* | 6. *Ego clamavi quoniam exaudisti me, Deus,* | *inclina aurem tuam mihi, — et ex: audi verba mea.*

7. *Mirifica misericordias tuas,* | *— qui: salvos facis sperantes-in te:* | 8. *a resistentibus dexterae tuae custodi me,* | *ut pupillam oculi;* | *sub umbra alarum tuarum protege me,* | 9. *a facie impiorum qui me afflixerunt.* | *Inimici mei animam meam circumdederunt,* | 10. *Adipem suum concluserunt;* | *os eorum locutum est superbiam.* | 11. *Proicientes me nunc circumdederunt me;* | *oculos suos statuerunt declinare in terram,* | 12. *susceperunt me sicut leo paratus ad praedam* | *et sicut catulus leonis habitans in abditis.*

13. *— Ex: surge Domine, praeveni eum, et supplanta eum;* | *eripe animam meam ab impio,* | *frameam tuam* 14. *ab inimicis manus tuae.* | *Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum,* | *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* | *Saturati sunt filiis,* | *et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.* | 15. *Ego-autem: in iustitia apparebo conspectui tuo,* | *satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Textus est valde corruptus. Versio LXX et vulg in pluribus locis nequit intelligi. Generatim haec erui possunt: David petit ut Deus causam iustam tueatur; quam petitionem commendat sua vitae integritate (v. 1-6). Dein exponit insidias et machinationes inimicorum, contra quos indiget ope divina (v. 7-12). Quare Deum implorat, ut inimicos retundat, quorum prosperitatem Deo proponit, dum ipse nihilominus laeta spe erigitur (v. 13-15).

Primo efflagitat, quod sane aequum est: audi, Iahve iustitiam (hebr); ipsa causa iusta quasi clamat ad Deum, ut a Deo iusto protegatur et instituatur; huic clamori psalmista adiungit suum: *intende deprecationem meam*; instat petendo: auribus *percipe orationem meam*, quae est sincera, pura, quae *non in labiis dolosis* profertur. Denuo iustam suam causam Deo commendat v. 2 *de vultu tuo*, a te promulgetur, *iudicium meum prodeat*, ius meum stabiliatur; quam merito id efflagito, nam: oculi tui vident aequitates (hebr), solum videre volunt quae aequa ac iusta sunt, in iis solum tu tibi complaces. Et dignus est, cuius precationi faveat Deus: v. 3 *probasti cor meum*; in hebr sequitur: non invenies iniquitatem meam; quare potius vertendum erat: si probas cor meum, si visitas nocte, si igne me examinas, non invenies scelus meum.

Omni modo sese Deo sistit explorandum et accurate investigandum et quasi colandum, neque tamen pravum quid confidit repertum iri.

Quae sequuntur, in omni textu sunt obscura. Videtur contineri ulterior integritatis eius affirmatio : *ut non loquatur os meum opera hominum*, explicat Theodoretus : linguam servavi liberam a conviciis ; *propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*, idem dicit « rem duram et difficilem exsecutus sum, ut tuis mandatis morem gererem », similiter *Calm.*, id quod saltem ad verba magis congruit, quam vias perversas cavi (*Ag.*) ; *Gen.* utrumque proponit. Textum hebr ita vertunt : non transgreditur os meum ; in operibus hominum secundum verbum labiorum tuorum cavi a viis oppressoris, etiam ultima verba similia praebet Sym ἐφυλαξάμην ὁδοὺς παραβάτου. Alii varie textum emendare conantur : ad opus tuum ego taceo ; verbum labiorum meorum sedulo observavi (Duhm) ; ne anima mea sequatur opus hominum, in verbo labiorum tuorum exploravi vias quae tibi placent (*Wies*). Etiam in v. 5 debebit contineri assertio integritatis vitae v. 5 *perfice gressus meos in semitis tuis*, potius exspectaveris : perfeci, direxi gressus meos ; in viis tuis ambulavi, non titubabant vestigia mea. Et hoc modo recentiores etiam hebr concipiunt. Talis cum sit, maxima fiducia deprecationem coram Deo effundere potest v. 6 *ego clamavi*, ego te invoco, quia exaudies me, Deus (hebr, Hier), *inclina aurem tuam mihi*, audi eloquium meum (hebr, Hier).

Expetit opem divinam contra inimicos v. 7 *mirifica misericordias tuas*, mirabiles fac, seu mirabiliter ostende favores tuos, salvator sperantium (hebr, Hier). Gratiam Dei et opem efflagitat : *a resistentibus dexterae tuae custodi me* ; ita iungit etiam Theodoretus ; ceterum textu graeco ἐκ τῶν ἀνθεστηκότων iungitur cum σώζων qui servas sperantes in te ab resistentibus dexterae tuae ; melius habetur hebr : servans confugientes a rebellibus ad dexteram tuam, qui scil. auxilium quaerunt in dextera Dei contra rebelles. Petit, ut Deus se servet ac tueatur tamquam rem pretiosissimam ac carissimam, v. 8 *ut pupillam oculi*, quae notio in hebr bis exprimitur, Hier : quasi pupillam intus in oculo, *sub umbra alarum tuarum protege me*, hebr absconde me, scil. ab impiis *qui me afflixerunt* ; tutelam expetit tenero amore exhibitam ; cf. Deut. 32, 10. 11. Ps. 35, 8 ; 56, 2 ; 60, 5 : 90, 4. Et quantopere indigeat tali tutela, elucet ex furore inimicorum a quibus circumdatus est : v. 9 *inimici animam meam*, me, *circumdederunt* ; hebr inimici mei in animam, inimici mei capitales, hostes vitae meae ; alii : inimici mei in aviditate, seu in furore me circumdant ; *adipem suum concluserunt*, erit emendatione opus ; vertit Sym : τῷ στέατι αὐτῶν ἀπεφράγησαν, pinguedine sua obstructi sunt (occlusi sunt) ; adeps autem seu pinguedo

denotat indolentiam, stupiditatem (cf. Is. 6, 10 pingue fac cor eorum; Ps. 73, 7; 119, 70 hebr sensu carens, ut adeps, est cor eorum); in textu supplendum erit: cor suum adipe occluserunt (cf. *Baethgen*, *Wies.*), sine misericordia sunt, sensu carent et commiseratione; insuper tument superbia: *os eorum locutum est superbiam*, verbis insolentia et fastu plenis in me invehuntur; *proiicientes me* ἐκβάλλοντές με me eiicere volentes *circumdederunt me*; hebr levi emendatione: gressus meos circumdederunt (cf. Sym μακαρίζοντές με παραχρῆμα περιεκύκλουν με, Hier incedentes adversum me), *oculos suos statuerunt*, oculos suos in id dirigunt, ut me in terram prosternant; ita commode suppleri potest sententia. Textum hebr *Nestle* ita sanat, ut obiectum quaerat ex initio v. 12 idque scribat דמינו, sanguinem nostrum profundere in terram sibi proposuerunt (cf. Zeitschrift f. alttest. Wissenschaft 16, 323 et 17, 180). Demum qua ferocia ab inimicis impetatur, comparatione exhibet v. 12 *susceperunt me sicut leo paratus ad praedam* (qui) concupiscit rapere; hebr vertit Hier: similitudo eius quasi leonis desiderantis praedam et quasi catuli leonis sedentis in absconditis; cf. 7, 3; 10, 9 (hebr).

Inimicis ita descriptis opem Dei efflagitat v. 13 *exsurge*, *Domine*, noli diutius quiescere, sed surge ad me tutandum, *praeveni eum*, praeveni faciem eius (hebr. Hier), occurre ei, conatus eius occupa, impedi; *et supplanta eum*, prosterne eum; *eripe animam meam ab impio*; hebr. vertit Hier: salva animam meam ab impio, qui est gladius tuus; similiter id concipi potest sicut Is. 10, 5 Assur vocatur virga furoris Dei (*Ag.*) *frameam tuam* (eripe) *ab inimicis manus tuae*, vim seu frameam qua permisisti eis me affligere excute ab inimicis tuae potentiae (*Ag.*). Quae sequuntur, plane nequeunt intelligi *a paucis de terra divide eos in vita eorum*. Textus quoque hebr corruptus est; eum litteris fere servatis, sed aliter punctatis sanare conatus est *Zenner* (Zeitschrift für kath. Theol. 1899 p. 755) in hunc modum: eos interficiat manus tua, Iahve, et in morte eorum manet portio eorum apud vivos; thesauris eorum quibus ventrem suum implere volebant, saturabuntur filii eorum et relinquunt divitias suas parvulis suis. — Quam felicem sortem haud raro nanciscantur impii, psalmista exponit; nam etsi ipsi ultione Dei abripiuntur, saltem filii eorum bonis fruuntur.

Quod LXX habent et vulg *adimpletus est venter eorum*, certe praestat prae textu mass: absconditis tuis i. e. thesauris tuis adimplebis ventrem eorum; Aq Sym quidem iam habent πλησθήσεις. Inepte dicitur: saturati sunt filiis; multos filios habere antiquis erat gloriae et gaudio, nullatenus satietati et fastidio. Notat Hier (Commentarioli): propter ambiguitatem verbi quidam pro filiis (υἱῶν) « porcinam » scriptum arbitrantur. Bene praebet Sym χορτασ-

θήσονται υἱοὶ καὶ ἀφήσουσι τὰ λείψανα αὐτῶν τοῖς νηπίοις αὐτῶν. Apud syrum haec habentur : serva animam meam ab impiis et a gladio et a mortuis qui moriuntur per manus tuas, Domine, et a mortuis foveae ; divide eos in vita ; thesauris tuis plenus est venter eorum ; saturabuntur filii et relinquent reliqua filiis suis. In versione Hier haec leguntur: serva animam meam ab impio qui est gladius tuus, a viris manus tuae, Domine, qui mortui sunt in profundo, quorum pars in vita et quorum de absconditis tuis replesti ventrem, qui saturabuntur filiis et dimittent reliquias suas parvulis eorum. Textum hebr aliqui ita verti posse existimant : eripe vitam meam ab impio per gladium tuum, ab hominibus per manum tuam, ab hominibus de mundo, portio eorum in vita, et de thesauro tuo imples ventrem eorum ; saturantur filii eorum et reponunt residuum parvulis suis (cf. *Riehm*, *Pannier*).

Illorum autem felicitati psalmista minime invidet v. 15 *ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo* ; explicat *Ag.*: « ego non haec levia praemia concupisco, sed ut ad templum tuum venire liceat » ; hebr videbo faciem tuam in iustitia (Hier), mandata scil. tua fideliter observans; videre faciem Dei idem est ac se sistere coram Deo in templo (cf. 63, 3 hebr sic in sanctuario vidi te ; Ex. 23, 17. Is. 1, 11). Sed hoc loco in hac notione non erit sistendum ; sed ulterius assumi debebit psalmistam sibi promittere specialem Dei favorem ; fruar tua gratia et beata tecum consuetudine. Id altero quoque sticho indicatur : *satiabor*, *cum apparuerit gloria tua*, satiabor cum evigilavero imagine tua. Laeta spe impletur, noctem tribulationis iri ablatum, se visurum diem felicitatis et tum se iri satiatum imagine Dei; Deus ostendet vultum benignum et ita etiam in animo eius resplendebit maxima cum consolatione imago Dei, eum implens sensu et affectu beatitudinis.

Ps. 17.

1. *In finem puero Domini David qui locutus est Domino verba cantici huius in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius et de manu Saul et dixit* :

2. *Diligam te, Domine, fortitudo mea,* | 3. *Dominus firmamentum meum et refugium meum, et liberator meus ;* | *Deus meus adiutor meus et sperabo in eum,* | *protector meus et cornu salutis meae — et : susceptor meus;* | 4. *laudans invocabo Dominum,* | *et ab inimicis meis salvus ero.*

5. *Circumdederunt me dolores mortis,* | *et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* | 6. *Dolores inferni circumdederunt me ;* | *praeoccupaverunt me laquei mortis.* | 7. *In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi;* | *et — ex : audivit de templo-sancto : suo vocem meam,* | *et clamor meus in conspectu eius introivit in aures eius.*

8. *Commota est et contremuit terra ;* | *fundamenta montium conturbata sunt* |

et commota sunt, quoniam iratus es eis. | 9. *Ascendit fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit,* | *carbones succensi sunt ab eo.* | 10. *Inclinavit coelos et descendit,* | *et caligo sub pedibus eius;* | 11. *et ascendit super cherubim et volavit,* | *volavit super pennas ventorum ;* | 12. *— et: posuit tenebras latibulum suum,* | *in circuitu eius tabernaculum eius;* | *tenebrosa aqua in nubibus aeris;* | 13. *prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt,* | *grando et carbones ignis.*

14. *Et intonuit de coelo Dominus,* | *et Altissimus dedit vocem suam;* | *grando et carbones ignis:* | 15. *Et misit sagittas suas et dissipavit eos,* | *fulgura multiplicavit et conturbavit eos.* | 16. *Et apparuerunt fontes aquarum,* | *et revelata sunt fundamenta orbis terrarum,* | *ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus irae tuae.*

17. *Misit de summo et accepit me,* | *et assumpsit me de aquis multis,* | 18. *eripuit me de inimicis meis fortissimis et ab his qui oderunt me,* | *quoniam confortati sunt super me;* | 19. *praevenerunt me in die afflictionis meae,* | *et factus est Dominus protector meus.* | 20. *Et eduxit me in latitudinem;* | *salvum me fecit, quoniam voluit me.*

21. *— Et: retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam,* | *— et: secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi,* | 22. *quia custodivi vias Domini,* | *nec impie gessi a Deo meo;* | 23. *quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo,* | *et iustitias eius non repuli a me.* | 24. *Et ero immaculatus cum eo,* | *et observabo me ab iniquitate mea.* | 25. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam,* | *— et: secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.*

26. *Cum sancto sanctus eris* | *et cum viro innocente innocens eris;* | 27. *— et: cum electo electus eris;* | *et cum perverso perverteris.* | 28. *Quoniam tu populum humilem salvum facies,* | *et oculos superborum humiliabis.* | 29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine,* | *Deus meus, illumina tenebras meas;* | 30. *quoniam in te eripiar a tentatione,* | *et in Deo meo transgrediar murum.* | 31. *Deus — meus: impolluta via eius,* | *eloquia Domini igne examinata ;* | *protector est omnium sperantium in se.* | 32. *Quoniam quis Deus praeter Dominum ?* | *aut quis Deus praeter Deum nostrum?*

33. *Deus qui praecinxit me virtute,* | *et posuit immaculatam viam meam;* | 34. *qui perfecit pedes meos tamquam cervorum,* | *et super excelsa statuens me;* | 35. *qui docet manus meas ad proelium,* | *et posuisti, ut arcum aereum, brachia mea;* | 36. *et dedisti mihi protectionem salutis tuae,* | *et dextera tua suscepit me ;* | *et disciplina tua correxit me — in finem,* | *et disciplina tua ipsa docebit :* | 37. *Dilatasti gressus meos subtus me,* | *et non sunt infirmata vestigia mea.*

38. *Persequar inimicos meos et comprehendam illos* | *et non convertar, donec deficiant.* | 39. *Confringam illos, nec poterunt stare,* | *cadent subtus pedes meos,* | 40. *Et praecinxisti me virtute ad bellum,* | *et supplantasti insurgentes in me subtus me;* | 41. *et inimicos meos dedisti mihi dorsum,* | *et odientes me disperdidisti.* | 42. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret,* | *ad Dominum, nec exaudivit eos.* | 43. *Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti,* | *ut lutum platearum delebo eos.*

44. *Eripies me de contradictionibus populi;* | *constitues me in caput gentium.* | 45. *Populus quem non cognovi servivit mihi,* | *in auditu auris obedivit mihi;* | 46. *filii alieni mentiti sunt mihi,* | *filii alieni inveterati sunt* | *et claudicaverunt a semitis suis.*

47. *Vivit Dominus! et benedictus Deus meus,* | *et exaltetur Deus salutis meae!* | 48. *Deus qui das vindictas mihi et subdis populos sub me,* | *liberator meus de inimicis meis — iracundis :!—*49. * *et : ab insurgentibus in me exaltabis me,* | *a viro iniquo eripies me.* | 50. *Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine,* | *et*

nomini tuo psalmum dicam ; | 51. *magnificans salutes regis eius* | *et faciens misericordiam Christo suo David,* | *et semini eius usque in saeculum.*

Canticum actionis gratiarum apte incohatur titulis Dei adiutoris cui psalmista David suum testatur amorem (v. 2-4). Describit, quibus periculis circumdatus Domini opem imploraverit (v. 5-7). In maxima terrae commotione, vehementi tempestate, in densis nubibus quas fulgura scindunt, in alis cherubim et ventorum descendit Deus (v. 8-13) ; tonitru et fulgoribus hostes in fugam convertit apertis terrae motu abyssis (v. 14-16) ; David vero e periculis et ex praepotentibus hostibus Deo opitulante ereptus est (v. 17-20). Deus enim eius respexit probitatem et observantiam mandatorum Dei (v. 21-25), sicuti generatim agere solet cum hominibus, ita ut eos adhibeat secundum indolem : sinceros sincere, superbos superbe tractet, humilibus se implorantibus opitulator assistat (v. 26-32). Dein persequitur, quanto robore ad bella fortiter gerenda sit instructus a Deo (v. 33-37), quomodo adversarios deiecerit (v. 38-43), quomodo ipse victoriis sit exaltatus (v. 44-46). Concludit laudibus Deo pro salute concessa persolutis (v. 47-51).

Non solum psalmi inscriptione puer i. e. servus Domini David, sed etiam testimonio explicito 2 Reg. 22, 1, David locutus est Domino verba carminis huius, quo opem sibi a Deo factam grato animo recolit et beneficia sibi collata in hostium deiectione et sui exaltatione celebrat. — Textus utroque loco exhibitus multoties varius est.

Animum gratum ipsa dilectionis Dei professione effundit : *diligam te, Domine, fortitudo mea* ; quomodo Deus sit robur suum, variis titulis prosequitur : Iahve petra mea, et arx mea et liberator meus, Deus saxum meum, ad eum confugio et scutum meum et cornu salutis meae et castellum meum. Ita commode hebr. reddes ; 2 Reg. 22, 2 Κύριε πέτρα μου, Dominus petra mea : quae appellatio Dei, petra seu saxum hebr frequens reperitur Deut. 32, 4. Is. 17, 10 ; 30, 29 et Ps. 19, 15 ; 28, 1 ; 62, 3, 7, etc. Primus stichus *diligam te...* non legitur 2 Reg ; sed additur ibi ad v. 3 : refugium meum, salvans me, ab iniuria servabis me. In v. 4 LXX αἰνῶν *laudans invocabo Dominum* ; at 2 Reg. αἰνετόν, laudabilem invocabo Dominum ; ita hebr. Hier laudatum invocabo, Aq Sym ὑμνητόν, *et ab inimicis meus salvus ero.* Ita in exordio iam complectitur totum psalmi argumentum : laudem Dei et salutem sibi collatam.

In quot ac quantis periculis constitutus fuerit, variis imaginibus exponit v. 5 : *circumdederunt me dolores mortis*, funes mortis hebr, Hier, Aq σχοινία) ; mors funibus quasi iniectis eum ad orcum pertrahere

voluit, *et torrentes iniquitatis*, perniciei, *conturbaverunt me* ; ad parallelismum melius congruit 2 Reg circumdederunt me aestus, fluctus, mortis, et torrentes Belial terruerunt me (vulg) ; cf. 68, 2 intraverunt aquae usque ad animam meam ; veni in altitudinem maris et tempestas demersit me. Alia imagine exhibentur pericula v. 6 *dolores*, funes, *inferni circumdederunt me* ; etiam hic non ὠδῖνες, dolores, sed funes (cum Hier) esse explicandos, patet quoque ex altero membro, *praeoccupaverunt me laquei mortis*, orcus et mors funibus me capere et laqueis positis me perdere studebant. Hisce periculis obiectus v. 7 *in tribulatione mea invocavi Dominum* ; fervorem declarat dicens *clamavi* (2 Sam haud bene repetitur invocavi אקרא) ; *et exaudivit de templo sancto suo vocem meam* (cf. 3 Reg. 8, 30), et clamor meus (erat) in auribus eius ; ita 2 Sam ; pluribus hic in psalmo.

Quomodo precibus annuerit Deus, describitur per modum theophaniae, qua Deus in vehementi tempestate descendit et fulguribus ac grandine hostes in fugam coniicit. Descensus Dei indicatur terrae motu ; contremiscit creatura, cum appropinquat maiestas divina, cuius sublimitas et terror illa vehementissima commotione exprimitur : *commota est et contremuit terra*, titubavit et contremuit terra (cf. Iud. 5, 4 ; Ps. 45, 7 ; 39, 4 ; 67, 9. Is. 34, 3, 4. Mich. 1, 4) *et fundamenta montium conturbata sunt*, contremuerunt, vacillabant, trepidabant, quoniam iratus erat ; illud *eis* non habetur hebr ; Deus nec terrae nec montibus irascitur ; ira eius dirigitur in hostes David, et quia in ira et indignatione contra hostes ad iudicium descendit, terra et montes contremiscunt ad terrorem iudicis et ultoris Dei adumbrandum. Haec ira describitur in v. 9 ; manifestatur ira anhelitu vehementiore quasi quodam vapore, ardore faciei et flammantibus oculis ; quae magis aucta et exaggerata habes in v. 9 *ascendit fumus in ira eius* ; cf. Deut. 29, 20 furor eius fumet ; Ps. 74, 1 ; 80, 5 hebr ; fumus in naso eius ; anhelitus et vapor irae augetur appellatione fumi ; ita ardens facies irati : *ignis a facie eius exarsit* ; oculorum flammas cernis : carbones arserunt ex eo.

Quomodo Deus in tempestate descendat, ipsa descriptione tempestatis appropinquantis exhibetur. Et primo quidem ipsum coelum densis et caliginosis nubibus ad terram inclinari videtur v. 10 *inclinavit coelos et descendit, et caligo sub pedibus eius*, cf. Nah. 1, 3 Dominus in tempestate et turbine viae eius et nebulae pulvis pedum eius. Mox nubibus conglobatis ante fulgura et tonitrua oriri solet ventus vehementior v. 11 *et ascendit super cherubim et volavit* ; imago familiaris et nota ex Ex. 25, 22 ; Num 7, 89 ; 1 Reg. 6, 2 ; *volavit super pennas ventorum* ;

cf. Ps. 103, 3 qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum ; bene : volitabat, ferebatur super pennas ventorum ; scribitur enim רוּדא, male autem 2 Sam ויּרא καὶ ὤφθη ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων. Vento exorto simul cum densis nubibus crescit caligo ; v. 12 *et posuit tenebras latibulum suum in circuitu suo*, undique Deus obscuritate, nubibus caliginosis quasi obvolutus est ; *tabernaculum eius* (est) *tenebrosa aqua*, nubes aeris ; Aq Sym non efferunt nubes, sed ἐν παχύτητι, 2 Sam fertur חשׁרת, id quod *Baethgen* praefert et ex usu neohebraeo explicat : « sprühendes Wasser ». Verum Deus est natura sua lux, quare tenebris nubium obtegi non potuit v. 13 *prae fulgore in conspectu eius*, hebr ex fulgore coram eo *nubes transierunt*, fulgore divino percussae transeunt ; ubi fulgor est, evanescere videntur, et loco nubium apparet tamquam effectus et effusio fulgoris *grando et carbones ignis* ; describitur prima quasi fulguratio, prooemium et initium tempestatis, quam sequitur tonitru. Sententia valde brevis habetur 2 Sam : ex fulgore coram eo ardebant carbones ignis ; qui textus omnino commendandus est omissione grandinis. Textus 2 Sam omissis nubibus etiam facilius intelligitur.

Iam Dominus ex nubibus iudicium exercet in hostes David v. 14 *et intonuit de coelo Dominus et altissimus dedit vocem suam*, vox eius est tonitru ; cf. Ps. 28, 3-9 septem voces, tonitrua Domini ; hisce iunguntur *grando et carbones ignis*, fulgura ; hoc additamentum non legitur 2 Sam, et bene omitti potest in psalmo ; 2 Sam melius habetur *de coelo* intonuit, quam in ps. in coelo (hebr). Fragore tonitruum terror incutitur, fulminibus quasi sagittis hostes petuntur v. 15 *et misit sagittas suas et dissipavit eos* ; crebris fulguribus exhibetur vehementia tempestatis ; Aq καὶ πλῆθος ἀστραπῶν ; 2 Sam brevius : fulmen et conturbavit eos, cf. Ps. 143, 6 fulgura coruscationem (fulgur) et dissipabis eos. emitte sagittas tuas et conturbabis eos. Tempestate et terrae motu (v. 8) aquis ex alveis eiectis apparet fundus v. 16 hebr et visi sunt alvei aquarum (2 Sam maris) ; Hier vertit : et apparuerunt effusiones aquarum ; unde aquis e loco suo eiectis *revelata sunt fundamenta orbis terrarum*, fundus scil. maris retectus et apertus est ab increpatione Iahve et ab inspiratione spiritus irae eius (proprie ab anhelitu spiritus nasi eius, 2 Sam).

Descriptis periculis subditur liberatio et salus Davidi facta v. 17 *misit de summo* scil. manum suam, *et accepit me et assumpsit me de aquis multis*, extraxit me (hebr, Hier ; cf. Ex. 2, 10) ; aquae denotant tribulationes ; 68, 2 ; 143, 7 ; declaratur metaphora eousque proposita v. 18 *eripuit me de inimicis meis fortissimis et ab his qui oderunt me*, quoniam robustiores me erant (Hier) ; v. 19 *praevenerunt me*,

praeoccupaverunt, occurrerunt mihi, invaserunt me, *in die afflictionis meae*, *et factus est Dominus* in fulcrum mihi (2 Sam fulcrum mihi), firmamentum meum (Hier), *et eduxit me in latitudinem*, ex angustiis in spatiosum locum ; *salvum me fecit*, liberavit me, quia complacuit in me. Ita transitus fit ad sequentia.

Pluribus explicatur illud *quoniam voluit me* ; v. 21 hebr imperfectum commode per praesens exprimes ad explicandam sententiam generalem : *et retribuit mihi Dominus secundum iustitiam meam* : comparatione cum hostibus instituta David a Deo electus habuit ius regni, et potuit suam integritatem, iustitiam operum, i. e. *puritatem manuum* affirmare ; id v. 22-23 repetito asserit ; et praecepta eius non amovi a me (hebr, Hier), 2 Sam et statuta eius, non recessi ab eis ; eodem modo pergitur in v. 24 et fui immaculatus cum eo et custodivi me ab iniquitate mea (hebr, Hier) ; 2 Sam et sum etc. In v. 25 pergitur hebr, uti in v. 24, in praeterito : et retribuit mihi Dominus etc. ; 2 Sam secundum puritatem meam ; in ps. repetitur : secundum puritatem manuum mearum.

Sequitur consideratio quaedam generalis quomodo Deus agere soleat cum hominibus : v. 26 *cum sancto sanctus eris*, cum pio te exhibes benignum, mitem, pium ; *cum viro innocente innocens eris*, innocenter ages (Hier), cum simplice integrum te praebebis (*Ag.*) Sym πρὸς ὅσιον ὁσίως πράξεις, καὶ μετὰ τοῦ κεχαριτωμένου χαριτωθήσῃ, v. 27 *cum electo electus eris*, cum puro te exhibes purum, *et cum perverso perverteris*, cum perverso, fallaci, vafro vafre quoque ages (*Gen.*) ; nam malo nodo malus parandus est cuneus ; de tali valet illud : comprehendam sapientes in astutia corum (1 Cor. 3, 19), vel ut Theodoretus explanat : « digressis a via recta et in contraria ambulantibus congruum viae finem praeparas ». Idem enuntiatur Lev. 26, 23 : si ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam ; ita fit, si Deus mala hominum consilia in perniciem auctorum convertit (*Ag. Calm.*).

Eadem consideratio enuntiatur in v. 28 *quoniam tu populum humilem*, miserum *salvum facies et oculos superborum humiliabis*, oculos excelsos (Hier), aliter 2 Sam, ubi vertit Hier oculis tuis excelsos humiliabis, LXX ὀφθαλμοὺς ἐπὶ ὑψηλῶν ταπεινώσεις (ἐπὶ μετεώρων). Hanc considerationem ad se transfert v. 29 *quoniam tu illuminas lucernam meam*, 2 Sam quia tu lumen meum, Iahve ; omnem felicitatem ab uno Domino exspectat ; unde *illumina tenebras meas*, adiuva inopiam meam. Et in quantum a Deo speret et efflagitet adiutorium, seu lumen, favorem, exponit v. 30 *quoniam in te eripiar a tentatione*, a periculo et calamitate ; Hier in te enim curram accinctus ; textus mass, sicut Hier Aq Sym praebent curram ; ergo videtur sensus esse :

curram i. e. aggrediar turmam ; alii textu mutato : perfringam vallum, *et in Deo meo transgrediar murum* ; cuncta quae meae felicitati opponuntur facile Deo adiutore removebo, omnia impedimenta superabo. Hanc autem spem fovet, quia Dei agendi ratio est sancta, sincera : *impolluta*, perfecta, *via eius* ; Deus est verax, *eloquia Domini igne examinata* ; cf. 11, 7 ; promissa eius sunt probatissima, sine ulla scoria falsitatis (*Ag.*) ; Deus suos tuetur : scutum est omnium sperantium in se (Hier).

Laude et admiratione Dei hanc considerationem concludit et simul sibi viam parat denuo recolendi qualem protectorem Deum expertus sit v. 32 *quoniam quis Deus praeter Dominum ?* aut quis est petra, firmum refugium ac tutela, *praeter Deum nostrum ?* petra, saxum ut nomen Dei in hebr ponitur, cf. Deut. 32, 4. 15. 18. 30. 31. Is. 44, 8. Et merito quidem Deum celebrat tamquam petram v. 33 *qui praecinxit me virtute*, fortitudine me instruxit, lumbis accinctis opus est ad gnaviter operandum, *et posuit immaculatam viam meam*, viam perfectam, sine offendiculo, viam planam mihi dedit, me per vitae semitas tutam ac securum duxit (2 Sam et exploravit ויתר erit emendandum, sicut in ps ויתן). Ad bellum feliciter gerendum optime ei erat provisum. Opus est promptitudine, celeritate in hostibus aggrediendis, persequendis, in evadendis periculis v. 34 coaequans pedes meos cervis (Hier), veloces eos faciens similiter ac pedes cervorum, *et super excelsa statuens me*, mihi loca excelsa, tuta, secura concessit ; me in iis collocavit, quando ad evadenda pericula opus erat ; cf. 60, 3 dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me ; Hab. 3, 19 ; v. 35 *qui docet manus meas ad proelium*, robur ad feriendum fortiter, celeriter mihi dedit et arte pugnandi me instruxit, *et posuisti ut arcum aereum brachia mea*, brachia mea fortissima, quasi aerea firma effecisti ; at hebr brachia mea arcum aereum contenderunt ; tam firma brachia ei erant, ut arcum ad contendendum difficillimum potuerit usu continuo adhibere ; insuper gavisus est tutela divina v. 36 dedisti mihi clipeum salutis tuae (hebr, Hier) et dextera tua fulsit me, confortavit (Hier ; hoc membrum non legitur 2 Sam) et benignitas tua magnificavit me (hebr) ; auxilio seu salute Dei quasi scuto protectus est ; et bonitate Dei seu mansuetudine (Hier) magnus effectus est. Ita ex 2 Sam habetur in v. 36 distichon ; in LXX et vulg versus ille satis est onustus repetita sententia : *disciplina tua*, institutio tua, me correxit continuo, me docuit. Iter planum et expeditum habuit Deo favente v. 37 *dilatasti gressus meos subtus me*, in lato spatio me posuisti ; et non vacillarunt tali mei ; longissimam viam firmis pedibus sine fatigatione emetiri potuit.

Tali robore instructus nunc triumphantis in modum recolit quid valuerit et quid valeat contra hostes ; ponuntur hebr modo tempora imperf. modo praeterita ; illa tempore praesenti explicabis, scil. quid agere valeat, ad quid praestandum paratus sit, quandocumque occasio oblata fuerit ; ita v. 38 *persequar inimicos meos et comprehendam eos* et non revertar donec consumam eos (Hier) ; 2 Sam persequar et delebo eos etc. ; quanto gaudio afficiatur imagine victoriae reportandae, manifestat repetitione v. 39 *confringam illos nec poterunt stare*, surgere, *cadent subtus pedes meos* ; 2 Sam delebo eos et confringam eos et non surgent. Id autem efficere potuit et denuo efficiet, si occasio tulerit, quia Deus eum armavit v. 40 *et praecinxisti me virtute ad bellum et supplantasti*, incurvasti, *insurgentes in me subtus me* ; alii in fugam coniecti sunt v. 41 *inimicos meos dedisti mihi dorsum*, fecisti eos (et mihi dedisti tamquam) fugientes, terga dantes vel vertentes, *et odientes me*, disperdidi eos (hebr) ; frustra opem exquisierunt v. 42 *clamaverunt*, 2 Sam circumspexerunt ; Deus ei victoriam completam concessit v. 43 *comminuam eos*, comminui eos et disieci *ut pulverem ante faciem venti*, *ut lutum platearum delebo eos*,hebr evacuavi eos seu effudi eos, sed erit emendandum, uti legitur 2 Sam אדקם contrivi eos ; in 2 Sam habetur : comminui eos ut pulverem terrae, ut lutum platearum contrivi eos, qui textus in priore sticho praeferri debet ; nam illud *ante faciem venti* non congruit ad comminui, debet alia notio suppleri.

Hostibus ita superatis David pacem obtinuit ac dominationem amplam nactus est (v. 44-46) v. 44 *eripies me*, liberasti me (2 Sam) *de contradictionibus populi* de certaminibus quae populus (2 Sam populus meus) cum alio populo subire debeat ; itaque inimici interni et hostes externi devicti sunt ; pax regnat tandem obtenta. Et David rex exaltatus est : *constitues me*, posuisti me in caput gentium (2 Sam custodisti me ad caput gentium, scil. ut essem caput gentium). Quomodo alienigenis quoque dominetur, exponitur in sequentibus : *populus quem non cognovi*, alienigena gens, peregrina adeoque ignota antea (*Ag.*), *servivit mihi*; et quid sola nominis eius victoriarumque fama valuerit, declaratur v. 45 *in auditu auris*, solo rumore rerum quas gessi audito *obedivit mihi*, se mihi subiecit ; *filii alieni mentiti sunt mihi*, incolae regionis peregrinae, barbari ementiti sunt subiectionem, simulaverunt subiectionem, mihi adulati sunt ; de coacta subiectione et de timore iniecto rem intelliges ; v. 46 *filii alieni inveterati sunt*, Hier : defluent ; exhausti sunt ; vim ac vigorem perdiderunt, quasi senio confecti et impotes, *et claudicaverunt a semitis suis*, vias suas priscas relinquere coacti sunt ; aliter hebr et exierunt trementes ex castellis suis ; ita

recentiores ; similiter Aq ὑποσταλήσονται ἐκ τῶν συγκλεισμῶν αὐτῶν, sexta ἐκμαγήσονται ἀπὸ ἑδράσματος αὐτῶν, de Sym solum servata sunt haec ἀτιμωθήσονται καὶ ἐντραπήσονται, Hier vertit contrahentur in angustiis suis. — 2 Sam mendose חגר ponitur pro חרג.

Concluditur carmen actione gratiarum et laude divina (v. 47-51) v. 47 *vivit Dominus*, Iahve vivus est deus, potentissime operans qui talia mihi concessit, *et benedictus Deus meus*, hebr benedictum saxum meum, *et exaltetur Deus salutis meae* (2 Sam saxum salutis meae) « Deo gratias agit pro rebus felicissime gestis et illi laudem omnem adscribens eum Deum auxilii sui ac salutis vocat » (*Ag.*) ; breviter colligit quae in psalmo pluribus exposuit eorumque summam quandam hic ponit v. 48 *Deus qui das vindictas mihi et subdis*, subdidisti, *populos sub me*, v. 49 *liberator meus de inimicis meis iracundis*, ἐξ ἐχθρῶν μου ὀργίλων, at generatim consideratur אף ut particula (ea caret 2 Sam) ; etiam *ab insurgentibus in me exaltabis me*. Hier elevas me, *a viro iniquo*, a viro violentiae *eripies me*, eripis me vel eripuisti (2 Sam a viro violentiarum) v. 50 *propterea confitebor tibi in nationibus*, laudes tuas celebrabo inter nationes ; cf. 9, 12 annuntiate inter gentes studia eius ; notat *Ag.* « insolite hoc loco dicit in gentibus, cum alibi semper soleat dicere in populis, in ecclesia magna, in consilio iustorum et his similia ». Cum ex opinione populorum victoria adscribatur deo victoris et clades etiam deo victi quasi infirmiori et a fortiore deo superato, res praeclare gestae a Davide apud tribus vicinas cedebant in honorem Iahve et dum David victorias suas celebrat et aliis annuntiat, eo ipso laudes Iahve apud eos promulgat ; *et nomini tuo psalmum dicam*, psallam, Hier cantabo. Quod in v. 51 dicitur magnificans, faciens, refer grammatice ad v. 50 Domine : *magnificans salutes regis eius*, Deus regem suum quem elegit multiplici salute donat et celebrem et eximium facit, *faciens misericordiam christo suo David et semini eius in saeculum*, sicut promisit 2 Reg. 7, 15. Ps. 88, 4, 27-38. Is. 55, 3. Davidi enim promissus erat thronus aeternus et simul ei dictum erat misericordiam a posteris eius non iri ablatum ; quare misericordiae David fideles appellantur Is. 55, 3 (cf. Ier. 33, 17). Hic versus postmodum additus est ; cf. 1 Mach. 2, 57 David in sua misericordia consecutus est sedem regni in saecula.

De bellis a Davide gestis legenda sunt 2 Reg. 5, 6-9 contra Iebusaeos, 5, 17-26 contra Philisthaeos et item 8, 1 sq contra Moab, regem Soba, contra Syriam, filios Ammon, Amalec, Edom ; 2 Reg. 10, 7 sq ; 12, 26 ; 18, 1sq. 2 1, 15-21.

Ps. 18.

1. *In finem Psalmus David.*

2. *Coeli enarrant gloriam Dei,* | *et opera manuum eius annuntiat firmamentum.* | 3. *Dies diei eructat verbum,* | *et nox nocti indicat scientiam.* | 4. *Non sunt loquelae neque sermones,* | *quorum non audiantur voces eorum.* | 5. *In omnem terram exivit sonus eorum,* | *et in fines orbis terrae verba eorum.*

6. — *In : sole posuit tabernaculum suum,* | *et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo ;* | *Exultavit ut gigas ad currendam viam,* | 7. *a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius,* | *nec est qui se abscondat a calore eius.*

8. *Lex Domini immaculata, convertens animas,* | *testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis.* | 9. *Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda ;* | *praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* | 10. *Timor Domini sanctus, permanens in saeculum — saeculi :* | *iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.* | 11. *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum,* | *et dulciora super mel et favum.*

12. — *Et : enim servus tuus custodit ea,* | *in custodiendis illis retributio multa.* | 13. *Delicta quis intelligit?* | *ab occultis -- meis : munda me,* | 14. *et ab alienis parce servo tuo.* | *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero,* | *et emundabor a delicto maximo.* | 15. — *Et : erunt ut complaceant eloquia oris mei,* | *et meditatio cordis mei in conspectu tuo — semper :* | *Domine adiutor meus et redemptor meus.*

Duos fontes cognitionis Deus nobis aperuit, duo magna luminaria dedit : creaturarum naturam et revelationem, solem et legem scriptam, subsidium unum naturale, supernaturale alterum. Ex utroque homo erudiatur oportet, utrumque admiratione dignum et ad gloriam Dei manifestandam factum. In hoc unitas carminis concluditur.

Semper et ubique coeli annuntiant gloriam Dei ; sol ab ortu usque ad occasum girans calore cuncta penetrat (v. 2-7) ; lex Domini perfecta est, illuminat, laetificat, fructificat ; utinam resplendeat in vita mea (v. 8-15).

« Sufficit vel sola coelorum quae cernitur pulchritudo atque magnitudo ad Opificis magnificentiam praedicandam ; si enim qui maximum et pulcherrimum aedificium inspicit, architectum miratur et qui navigium videt bene et eleganter constructum, artificem considerat, multo magis mundi fabrica quae cernitur ad Opificem videntes ducit » (Theodoretus). Docetur v. 2 idem quod Sap. 13 proponitur et Rom. 1,20 legitur : invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quippe eius virtus ac divinitas. Personificatio *coeli enarrant* satis frequens est ; cf. 49,6 ; 96,6 ; 97,4.8 ; 148,3 seq. Job 12,8 etc. ; v. 3 *dies diei eructat verbum* hebr scaturire facit, plenam et claram tradit notionem ; continuo, interdiu et nocte multiplici modo res crea-

tae gloriam Dei praedicant. Quomodo autem praedicent, exponitur in v. 4 et 5, et in priore quidem ita praedicare dicuntur, ut sermones non possint non audiri, in altero vero ita, ut vox per orbem universum usque ad extremos fines pertingat ; v. 4 *non sunt loquelae neque sermones* tales, *quorum non audiantur voces*, non sunt sermones obscuri, submissi, qui nequeant percipi, sed sunt clari, aperti, qui necessario sese auribus ingerant. Sunt qui hunc v. 4 ineptum existiment. At sententia videtur satis obvia, ut prius dicatur in hac personificatione verba seu sermones ita fieri, ut debeant audiri et dein quousque extendatur illa annuntiatio. Bene declarat v. 4 Eusebius : adeo vociferantur ipsis operibus illae dierum ac noctium voces ut eorum doctrina nullas aures lateat. Rem clare quoque expressit Sym : νὺξ νυκτὶ ἀναγγέλλει γνῶσιν, οὐ ῥήσεσιν οὐδὲ λόγοις, ὧν οὐκ ἀκούονται αἱ φωναί, ἀλλ' εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ ἦχος αὐτῶν et similiter Aq, annuntiant non sermonibus, quorum non audiuntur voces, sed v. 5 *in omnem terram exivit sonus eorum*, ὁ φθόγγος αὐτῶν, Aq ὁ κανὼν αὐτῶν, hebr legitur קָוָּם funis eorum ? vel sonus ? alii emendant קוֹלָם, *et in fines orbis verba eorum* ; ubique itaque et continuo haec annuntiatio gloriae divinae promulgatur.

Iam in coelis sidus consideratur dominans diei nobisque praeclarissimum, et quidem hebr : soli posuit tabernaculum in eis (Hier), in ipsis coelis posuit Deus tabernaculum seu tentorium soli ; ei sedem assignavit ; et ex tentorio singulis diebus splendens et gloriosus progreditur v. 6 *tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit*, iubilat seu laetatur *ut gigas ad currendam viam*, currere in descriptione herois fortis non deesse potest ; cf. 17,34 et Saul et Ionathan celebrantur in carmine aquilis velociores (2 Reg. 1,23) et Asael in narratione historica vocatur velox in pedibus (vulg cursor velocissimus, 2 Reg. 2,18). Uti in hebr, ita alii quoque Aq Sym Theod quinta, syr efferant : soli posuit σκήνωμα, σκηνὴν ἐν αὐτοῖς, solum LXX, vulg in sole posuit tabernaculum suum τὸ σκήνωμα, αὐτοῦ, id quod Diodorus ita explicat : « fecit Deus, ut sol nullo vehiculo ferretur, sed ut ipse a se gestaretur seque ipsum ferret ; hoc namque est : tabernaculum suum posuit in ipso, id est, solem ut sese ferret constituit » (*Ag.* Corderius, Catena I, p. 360 longiorem locum afferunt). Assentiendum est Theodoreto monenti hunc versiculum magis dilucide σαφέστερον tres interpretes (Aq Sym Theod) edidisse et ipsum divinum David dixisse ὅτι ἔθετο τὸ σκήνωμα ἐν τοῖς οὐρανοῖς τῷ ἡλίῳ. Peragit cursum suum v. 7 *a summo coelo egressio eius*, a fine, ab extremo coelorum egressus eius *et occursus eius*, circuitus eius usque ad fines eius (coeli), usque ad alterum coeli extremum — et cuncta calore perfunduntur ; « in omnes mundi partes pervenit vitalis eius calor ; non autem dixit : non

est qui se abscondat a lumine eius, id enim fortasse qui velit effugere posset; at calorem effugere nullo modo potest, cum ille etiam in abditas terrae partes penetret » (*Ag.*).

Qui per creaturas Deum ante laudaverat, nunc eum per dationem legis incipit praedicare (Hier). Iam altioris solis, lucis supernaturalis, praeconia recensentur. Nam mandatum lucerna est et lex lux (Prov. 6,23) et lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis (Ps. 118, 105). Vocatur autem haec lex divina populo per Moysen et prophetas proposita variis nominibus hic et in psalmo 118 : lex, testimonium, iustitiae, praeceptum seu mandatum, iudicia Dei ; v. 8 *lex Domini immaculata*, ἄμωμος, תמים dicitur de victimis in quibus nullus est defectus ; lex itaque sine ullo naevo, omnino sancta, Aq τέλειος, al καθαρός ; *convertens animas*, explica potius hebr : recreat, pacat, reficit animam, quasi reducens et restaurans vim et vigorem (erquicken, germanice) *testimonium Domini*, quo scil. Deus testatur quid a nobis exigat et de se et suis consiliis velut testimonium nobis exhibet ; arctius accipitur quasi protestatio quaedam ac denuntiatio seu mulctae ac poenae violatoribus legis irrogandae, seu commodi ac praemii observatoribus rependendi (*Ag.* sim. Theod.) ; *fidele*, firmum, verax, cui fidi omnino potest ac debet ; *sapientiam praestans parvulis*, simplicibus ; testimonium Dei, id quod Deus hominibus testatur, veram in se continet et piis et humilibus exhibet sapientiam ; v. 9 *iustitiae Domini rectae*, τὰ δικαιώματα, quae docent iustum τὸ δίκαιον et prohibent iniustum τὸ ἄδικον (Theod.) ; hebr iussa, praecepta (Hier), quae recta docent et per rectum iter ducunt, adeoque *laetificantes corda* ; nam qui rectum ac iustum ubique sequitur, pace ac laetitia animi fruetur et ipsa recti cognitio affert gaudium ; *praeceptum Domini* seu mandatum *lucidum*, hebr purum, Sym ἡ ἐντολὴ καθαρά, Aq ἐκλεκτή, sanctum, unice hominis integritatem morum spectans, *illuminans oculos*, veram tribuens cognitionem, lucem quandam divinam ex doctrina Dei mentibus afferens, qua dignoscatur quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta (Rom. 12,2).

Bene adnotat *Ag.* ad v. 10 timorem Domini solet scriptura τὴν εὐσέβειαν, id est, Dei cultum appellare, v. 10 *timor Domini sanctus* timor, quem Deus exigit, pietas, cultus, religio nihil habet et postulat nisi sanctum, hebr mundum, nihil habet admixtum impurioris materiae et eo iam longissime distat a cultu idolorum ; *permanens in saeculum saeculi*, officium hoc pro creaturis manet in aeternum ; nunquam Deus iuri suo ut colatur cedere potest nec creatura ab illo officio eximi ; *iudicia Domini vera*, statuta, iura a Deo stabilita, decreta sunt veritas (hebr) *et iustificata in semetipsa* ἐπὶ τὸ αὐτὸ, iusta sunt universa (hebr),

ad unum omnia, pariter iusta sunt. Quanto studio itaque haec Dei statuta et leges prosequenda sint, comparatione effertur v. 11 *desiderabilia super aurum* et aurum purissimum multum (hebr) maiore itaque aestimatione et ardentiore desiderio appetenda quam pretiosissima in rebus possidendis ; insuper afferunt summam quandam suavitatem et animi delicias *dulciora super mel et favum*, favum redundantem (Hier), super destillationem favorum (*Gen.* hebr ad verbum), itaque super mel optimum ac purissimum, quod scil. praebet favus mellis stillans.

Laudibus legis celebratis restat ut lex revera fiat et sit norma vitae instituendae ; v. 12 *etenim servus tuus custodit ea*, hebr etiam servus tuus monetur iis, docetur iis, *in custodiendis illis retributio multa*, merces magna. Lege quidem edocetur simulque perspectum habet praemium magnum observantibus propositum ; at quis tam cautus est et circumspectus, ut non per ignorantiam aut inconsiderantiam ei multi defectus obrepant (cf. *Ag.*). De eiusmodi negligentiis ait v. 13 *delicta quis intelligit?* nam שגג est deficere, errare, peccare « per ignorantiam » (cf. Lev. 5,18) in oppositione ad peccata, quae ex composito et formali rebellione, quasi de industria, « alta manu », manu quasi contra Deum erecta committuntur. Illos errores naevosque quis advertit ? quis omnium eorum sibi conscius est ? Isti defectus saepe sunt occulti et ipsos pios latent ; unde fit petitio : *ab occultis meis munda me* ; ignosce ea, ab eis me fac innocentem. Rite in v. 13 posuerunt Aq ἀγνοίας, Sym ἀγνοήματα.

Verum aliud idque maius periculum imminet : *et ab alienis parce servo tuo*, cum statim sequatur *si mei non fuerint dominati*, patet etiam secundum textum latinum postulari, ut liberetur ab hominibus alienis, inimicis ; ut Deus ab illis eum retineat, retrahat (hebr) ; hebr etiam ab insolentibus, superbis (Hier) contine servum tuum ; Sym ἀπὸ ὑπερηφάνων συντήρησον τὸν δοῦλόν σου. Petit, ne eiusmodi homines superbi sibi dominentur (hebr) ; LXX vulg *si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero* et immunis ero *a delicto maximo*, a rebellione contra Deum, ab apostasia. Indicatur periculum quod hominibus creatur a tyrannis, a facinorosis dominatoribus. Quod si autem absit iniqua oppressio ac dominatio scelerum ferax, vita quoque ex lege Dei facilius transigetur v. 15 *et erunt ut complaceant eloquia oris mei*, verba et cogitationes cordis erunt in beneplacitum coram Iahve, saxo meo et tutore meo (cf. hebr), qui scil. meam causam iusque meum tamquam vindex tuetur.

Ps. 19.

1. *In finem, Psalmus David.*

2. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis,* | *protegat te nomen Dei Iacob ;* | 3. *mittat tibi auxilium de sancto* | *et de Sion tueatur te.* | 4. *Memor sit omnis sacrificii tui,* | *et holocaustum tuum pingue fiat ;* | 5. *tribuat tibi secundum cor tuum,* | *et omne consilium tuum confirmet.* | 6. *Laetabimur in salutari tuo,* | *et in nomine Dei nostri magnificabimur.* | 7. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas !*

Nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus christum suum ; | *exaudiet illum de coelo sancto suo ;* | *in potentatibus salus dexterae eius.* | 8. *Hi in curribus, et hi in equis ;* | *nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* | 9. *Ipsi obligati sunt et ceciderunt,* | *nos autem surreximus et erecti sumus.* | 10. *Domine salvum fac regem,* | *— et : exaudi nos in die qua invocaverimus — te : .*

Imploratur pro rege auxilium Dei causa laetitiae subditorum (v. 2-7). Exprimitur spes exauditionis propter fiduciam in uno Domino positam (v. 7-10).

Petitio haec simul est laeta acclamatio ac fausta congratulatio regi facta ; *exaudiat* precibus tuis benigne annuat ; *protegat te*, hebr exaltet te, in loco alto ideoque tuto te ponat (cf. 17,3. 34) *nomen Dei Iacob*, scil. Deus qui se manifestavit Iacob patriarchae eumque duxit, protexit, ditavit, et de quo ipse Iacob olim professus erat : qui exaudivit me in die tribulationis meae et socius fuerit itineris mei (Gen. 35,3. *Ag.*). Ceterum Iacob etiam poni pro Israel notum est ; ideo invocari Deum Israel, populi a Deo in peculium sibi electi (Ex. 19,5), intelligi potest, quamvis in persona Iacob peculiaris exprimi ratio videatur. Auxilium exspectatur v. 3 de sanctuario, scil. terrestri, quia in membro parallelo explicite Sion designatur ; vide ad 13,7 ; et de Sion roboret te (Hier), ibi enim posuit Deus nomen suum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus (3 Reg. 9,3). Porro regem iam implorasse opem Dei sacrificiis oblatis eumque eo modo Deum solere colere, ex v. 4 colliges, quia efflagitatur a Deo, ut recordetur omnis oblationis et holocaustum *pingue fiat*, gratum et acceptum fiat ; hebr gratum habeat scil. Deus ; pariter v. 5 det tibi Deus sicut cor tuum desiderat, et impleat (Hier) omne consilium tuum ; consilium dicit, nam non temere, sed consilio res gerenda est et matura consideratione (cf. *Ag.*). Homo enim quantum prudenter potest sibi ipsi providere debet et ita opem Dei sibi fore fidenter exspectare. In salute regis continetur laetitia subditorum v. 6 *laetabimur*, potius ut reliqua per modum optativi laetemur, utinam iubilemus, *in salutari tuo* ; qui psal-

mum occasione expeditionis bellicae ortum esse censent, explicant : iubilemus in victoria tua ; *et in nomine Dei nostri magnificabimur*, per nomen i. e. per manifestationem Dei nostri, per eius opem nobis praestitam et regi collatam nos ipsi triumphemus et exaltemur ; LXX certe legerunt נגדל crescamus [1] ; textus mass נדגל vexillum erigamus, sed *Wellhausen* potius lectionem LXX adoptat vertens gloriemur. Vertit Hier ducemus choros, id quod *Wies.* adoptat emendans alia collocatione earundem consonantium נדלג. Cum in salute regis aliorum salus quasi contineatur, repetito efflagitant *impleat Dominus omnes petitiones tuas* ; mentioni propriae salutis apte adiungitur, quia ex salute regis ipsorum quoque salus dependet eique arcte est connexa.

Petitio ac desiderium iam assurgit ad spem et certam fiduciam v. 7 *nunc cognovi*, vertit Hier bene : nunc scio quoniam salvabit Dominus christum suum; unctum suum regem ; hebr perfectum melius hic vertes per praesens : quoniam salvat, per modum firmae assertionis vel sententiae quae iam aliunde experientia facta constat ; *exaudiet illum de coelo sancto suo*, nunc de coelesti sanctuario suo ; cavetur pro populo rudi ne de Domino cogitent more gentium esse deum certae regionis seu urbis (cf. v. 3) et quomodo exaudiet? *in potentatibus* per magna facinora *salutis dexterae eius*, dexterae suae, qua Deus salutem operatur. In solo Deo spem reponi, declaratur oppositione ad gentes ; alii aliis rebus fidunt seu potentes se putant : *hi in curribus et hi in equis*, *nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus*, nominis recordabimur (Hier), Aq Sym Theod μνησθησόμεθα, LXX μεγαλυνθησόμεθα, quare recentiores hebr emendant נגבור (cf. *Wies*), uti syr quoque : fortes erimus. Unde diversa sors utrisque contingit v. 9 *ipsi obligati sunt*, incurvati sunt (Hier), LXX συνεποδίσθησαν pedibus ligati erant ; quare Cyprianus : ipsis copulati sunt pedes ; Hier (in Amos) isti impediti sunt, Auct. l. de promiss : ipsis obligati sunt pedes (*Sabatier*, Bibl. s. versiones antiquae II, 40) ; *et ceciderunt*, ipsi inclinantur et cadunt, nos autem stamus et erigimur, Sym ὑπομένομεν. Petitione omnes et regem et subditos complectente concluditur v. 10 *Domine*, *salvum fac regem*, *exaudi nos in die qua invocaverimus te*, textum hebr etiam recentiores emendant secundum LXX (i. e. scribe ו pro י ante עגבו).

Carmen hoc pro expeditione quadam bellica esse compositum sat multi censent; id quoque potissimum suadetur v. 8. Reliqua tamen satis generalia sunt ; quare nolim carmen tam angusto sensu expli-

1. Explicat Theodoretus μεγαλυνθησόμεθα, περιφανεῖς καὶ περίβλεπτοι τῇ τοῦ Θεοῦ δυνάμει γιγνόμενοι.

cari, sed potius generatim ibi exprimi petitiones pro regis salute et victoria, ut consilia sua valeat rite concipere et exsequi.

Ps. 20.

1. *In finem, Psalmus David.*

2. *Domine in virtute tua laetabitur rex,* | *et super salutare tuum exsultabit vehementer.* | 3. *Desiderium cordis eius tribuisti ei* | *et voluntate labiorum eius non fraudasti eum;* | 4. *quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis* | *posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* | 5. *Vitam petiit a te, — et : tribuisti ei* | *longitudinem dierum in saeculum et in saeculum — saeculi :* | 6. *Magna est gloria eius in salutari tuo;* | *gloriam et — magnum : decorem impones super eum;* | 7. *quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum — saeculi :* | , *laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo* | 8. *quoniam rex sperat in Domino* | , *et in misericordia Altissimi non commovebitur.*

9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis;* | *dextera tua inveniat — omnes qui : te oderunt.* | 10. *Pones eos ut clibanum ignis* | *in tempore vultus tui,* | *Dominus in ira sua conturbabit eos* | *et devorabit eo ignis.* | 11. *Fructum eorum de terra perdes* | *et semen eorum a filiis hominum.* | 12. *quoniam declinaverunt in te mala,* | *cogitaverunt consilia quae non potuerunt — stabilire :* | 13. *Quoniam pones eos dorsum* | , *in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum.* | 14. *Exaltare Domine, in virtute tua* | ; *cantabimus et psallemus virtutes tuas.*

In priore parte David Deo gratias agit pro beneficiis sibi regi collatis, de quibus merito vehementer gaudet, quae beneficia in posterum quoque pro populi salute concessum iri speratur (v. 2-8). In altera parte vota ac gratulationes enuntiantur, ut hostes ei subdantur Deo opitulante, ut pro malitia consiliorum pereant, Deus autem exaltetur et omnes laetentur (v. 9-14).

Prospera rerum conditio supponitur. Rex expertus est Dei potentiam et opem eius salutiferam ; quare laetatur de potentia Dei et de opitulatione, de salute, quantopere exsultat vehementer (cf. ביה .. ביאד.) Et pro tali laetitia et salute laudatur Deus, dum beneficia concessa enumerantur v. 3 ; quae desideravit, Deus ei dedit, et pro quibus preces ad Deum fudit, ea non ei negavit : *voluntate labiorum eius non fraudasti eum*, desiderium labiorum eius, petitiones eius non denegasti ; bis exprimitur exauditio sententia scil. affirmante et negante, qua emphasis habetur. Et id dici merito, imo Deum magnis favoribus ei quasi obviam venisse eumque praevenisse, explicatur v. 4 *quoniam praevenisti eum in benedictionibus*, quibus bonum ei dedisti, bonitatis (Hier) ; *posuisti in capite eius coronam* auream (Hebr) ; expugnata urbe Rabbath filiorum Ammon et capta David « tulit diadema regis eorum

de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, et impositum est super caput David » (2 Reg. 12,30) ; ad eiusmodi victoriam certo in psalmo fit allusio, nisi illum ipsum eventum respici et Deo laudes dici pro favoribus Davidi datis assumere malueris. De sola coronatione regis, seu accessu ad regimen, seu de die eius anniversario mentionem fieri videtur mihi nimis ieiunum, cum talis caerimonia, utpote usu et consuetudine recepta, certe non ardenti precatione a Deo efflagitari soleat ; iam in v. 4 redditur ratio pro v. 3, quales preces Deus exaudierit.

Insuper quod petiit tamquam favorem valde desideratum ei vel certo promissum est vel iam partim expletum cernitur v. 5 *vitam petiit a te*, longam scil. ac felicem ; nam mors immatura consideratur ut calamitas et poena (cf. Ps. 54,24 ; 4 Reg. 20,3) *et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum* ; de eiusmodi hyperbolis vide 3 Reg. 1,31 vivat Dominus meus David in aeternum ; rex in aeternum vive Dan. 3,9 ; 5,10 ; cf. Ps. 60, 7.8. Ad David haec promissio spectat, cui scil. non quidem vita, at thronus aeternus promissus est (2 Reg. 7,14 seq. Ps. 88,29.30). Tempus vitae et regni erit felix et gloriosum v. 6 *magna est gloria eius in salutari tuo*, per opitulationem divinam ; Deus cum dignitate ac maiestate ornatum populo exhibet ; unde dicitur *gloriam et magnum decorem impones super eum* ; quae excelsa eius dignitas eo praeprimis cognoscitur, *quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi* ; « adeo felicem eum facies, ut optabile sit omnibus hominibus aliqua ex parte illius felicitatem adipisci, ita ut cum bene optare alicui velint, illum in exemplum rerum optabilium commemorent » (*Ag.*) ; ex eo formula benedictionis assumetur ; et hanc felicitatem ei largitur favor ac benignitas Domini : *laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, cf. 15,11 ; Sym παρὰ τῷ προσώπῳ σου apud vultum tuum (Hier) ; vultus, facies Domini, aspectus eius benignus fons est laetitiae. Talia autem bona regi eveniunt v. 8 *quoniam rex sperat in Domino* et favore divino et gratia (חסד) circumdatus et protectus *non commovebitur*, non titubabit ; firma erit eius felicitas.

Iam vota et gratulationes offeruntur, et v. 9 quidem, ut manus eius attingat omnes inimicos, ut eos scil. subiiciat ac perdat, hostes extraneos et *qui te oderunt*, fortasse ex rebellibus seu male affectis subditis et popularibus. Eos penitus ad internecionem conterat v. 10 *pones eos*, ut qui ponuntur in clibanum ; hebr verti quoque potest : pones eos, facies eis ut clibanus ignis ; sis eis quasi fornax ardens quo absumantur, *tempore vultus tui*, irae et ultionis ; et talem ultionem ipse Dominus pro te contra hostes tuos perficiet et eo aspirante tu sumes : *Dominus in ira sua* devorabit eos (hebr), praecipitabit eos (Hier), *et*

devorabit eos ignis incendio et devoratione igne facta designatur plena destructio, qua cuncta in fumum et cineres rediguntur. Simul cum ipsis tota peribit progenies v. 11 *fructum eorum*, sobolem *de terra perdes et semen eorum* delebis ex filiis hominum ; semen, posteri eorum non consistent inter homines. Et causa ruinae eorum est, v. 12 *quoniam declinaverunt in te mala*, inclinarunt super te malum (Hier), *cogitaverunt consilia*, scelus (Hier), dolos ac fallacias moliebantur — non praevalebunt; perficere non valebunt; v. 13 *quoniam pones eos dorsum*, humerum (hebr. Hier, ὅτι θήσεις αὐτοὺς ὦμον Aq), eos in fugam fugabis, facies ut tergum ostendant fugientes; et qui non statim coram te tergum vertent, hos sagittis tuis configes : in nervis tuis diriges (sagittas) contra vultus eorum ; nervi arcus tui cum sagittis aptati sunt ad configendos inimicos. LXX et vulg textus nequeunt intelligi.

Demum imploratur Deus, ut hisce votis benigne faveat, ut surgat in fortitudine sua : v. 14 *exaltare in virtute tua* : et si Deus se glorificat exserens suam potentiam in opem ac salutem regis et populi, non deficiet materies laudis et canticorum : *cantabimus et psallemus virtutes tuas*, fortitudinem tuam, qua ut heros, praeclara edit facinora.

Ps. 21.

1. *In finem pro susceptione matutina, Psalmus David.*

2. *Deus, Deus meus, — respice in me :, quare me dereliquisti ? | longe a salute mea verba delictorum meorum.* | 3. *Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies | et nocte, et non ad insipientiam mihi.* | 4. *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.* | 5. *In te speraverunt patres nostri,* | *speraverunt et liberasti eos,* | 6. *ad te clamaverunt et salvi facti sunt;* | *in te speraverunt et non sunt confusi.*

7. *Ego autem sum vermis et non homo;* | *opprobrium hominum et abiectio plebis.* | 8. *Omnes videntes me deriserunt me;* | *locuti sunt labiis, — et : moverunt caput.* | 9. *Speravit in Domino, eripiat eum;* | *salvum faciat eum, quoniam vult eum.* | 10. *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre,* | *spes mea ab uberibus matris meae;* | 11. *in te proiectus sum ex utero,* | *de ventre matris meae Deus meus es tu ;* | 12. *ne discesseris * a me :* | *quoniam tribulatio proxima est* | , *quoniam non est qui adiuvet.* |

13. *Circumdederunt me vituli multi ;* | *tauri pingues obsederunt me;* | 14. *aperuerunt super me os suum,* | *sicut leo rapiens et rugiens.* | 15. *Sicut aqua effusus sum,* | *et dispersa sunt omnia ossa mea ;* | *factum est cor meum tamquam cera* | *liquescens in medio ventris mei.* | 16. *Aruit tamquam testa virtus mea,* | *et lingua mea adhaesit faucibus meis,* | *et in pulverem mortis deduxisti me.* | 17. *Quoniam circumdederunt me canes — multi :* | *consilium malignantium obsedit me.* | *Foderunt manus meas et pedes meos,* | 18. *dinumeraverunt omnia ossa mea;* | *ipsi vero conside-*

raverunt et inspexerunt me ; | 19. *diviserunt sibi vestimenta mea* | *et super vestem meam miserunt sortem.* |

20. *Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me,* | *ad defensionem meam conspice ;* | 21. *erue a framea, — Deus : animam meam, — et: de manu canis unicam meam.* | 22. *Salva me ex ore leonis* | *et a cornibus unicornium humilitatem meam.* | 23.*Narrabo nomen tuum fratribus meis,* | *in medio ecclesiae laudabo te.* | 24. *Qui timetis Dominum, laudate eum,* | *universum semen Iacob, glorificate eum.* | 25. *Timeat eum omne semen Israel,* | *quoniam non sprevit neque despexit deprecationem pauperis ;* | *nec avertit faciem suam a me* | *et cum clamarem ad eum, exaudivit — me : —*

26. *Apud te laus mea in ecclesia magna ;* | *vota mea reddam in conspectu timentium eum.* | 27. *Edent pauperes et saturabuntur,* | *et : laudabunt Dominum qui requirunt eum ;* | *vivent corda eorum in saeculum — saeculi :* | 28. *Reminiscentur et convertentur ad Dominum* | *universi fines terrae ;* | *et adorabunt in conspectu eius* | *universae familiae gentium ;* | 29. *Quoniam Domini est regnum ;* | *et — ipse : dominabitur gentium.* | 30. *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae ;* | *in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.* | 31. *Et anima mea illi vivet ;* | *— et : semen — meum : serviet ipsi.* | 32. *Annuntiabitur Domino generatio ventura ;* | *et annuntiabunt coeli iustitiam eius* | *populo qui nascetur, quem fecit — Dominus :*

Me derelinquit Deus nec clamorem meum audit is qui tamen patres nostros in se sperantes liberavit (v. 2-6). Ego autem quam maxime contemnor ; mihi exprobrant meam in Deo spem — hanc spem utique ab initio vitae meae merito retinui ; quare mihi succurrere debes, Deus (v. 7-12). Tua ope indigeo, nam bestiae feroces me infestant ; iam vigor vitae meae deficit ; manibus pedibusque transfixus opprobriis exponor ; iam vestes meas, rei scil. ad mortem condemnati, inter se dividunt (v. 13-19). Nihilominus opem tuam efflagito ad me vindicandum et liberandum a furore inimicorum. Tum laudes tuas annuntiabo ; omnes te glorificabunt de praeclara salute mihi praestita (v. 20-25). Haec salus mea et vota a me persoluta afferent pauperibus saturitatem ; cultores Dei novo vigore donabuntur, gentes ad Deum convertentur ; coram eo prosternent se potentes et infimi ; ego vivam pro illo ; omnes generationes futurae Dei iustitiam praedicabunt (v. 26-32). — De inscriptione obscura vide Cornely (Introd. II n. 185,4).

In hebr habetur : Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti ? illud *respice in me*, πρόσχες μοι solum reperitur apud LXX nec habetur Matth. 27,46 ; Marc. 15,34. Verba sunt in angustiis clamantis, qui in tribulatione constitutus in ea relinquitur, quamvis liberationem expetierit. Quare declaratur ipsa derelictio : *longe a salute mea*, ab ope mea et liberatione, *sunt verba* rugitus mei (Hier), gemitus mei ; ideo vehementer gemo, quia auxilium meum longe a me remotum est. Quod vulg habet *verba delictorum meorum*, LXX οἱ λόγοι τῶν παραπτω-

μάτων μου declaratur errore interpretis graeci, qui שגיאה delictum legit pro hebr שאגה rugitus, gemitus ; eundem errorem syr commisit ; rectum habent Aq ῥήματα βρυχήματός μου, Sym τῶν ὀδυρμῶν μου, Theod et quinta τῆς βοήσεώς μου, sexta τῶν δεήσεών μου. Sensus itaque planus est : quantumvis clamem et rugiam, non liberor, sed maneo derelictus(*Gen.*). Id quoque v. 3 enuntiatur repetito ad dolorem designandum : *Deus meus, clamabo*, clamo, *per diem et non exaudies*, ego clamo, tu vero non respondes ; et clamo *nocte*, et non est silentium mihi (hebr, Hier), ita Sym καὶ νυκτὸς, καὶ οὐκ ἔστι σιγή μοι, reliqui καὶ οὐ σιγή. Recentiores voci attribuere volunt notionem, non est mihi lenimen, seu quaedam doloris mitigatio. Quod iuxta LXX legitur in vulg *et non ad insipientiam mihi*, Eusebius explicat, non mihi reputabitur ad insipientiam, cum tristes casus me circumstent. Continuo et perseveranter clamat, quia scit promissiones a Deo datas et sanctuario quasi annexas (cf. Ex. 25,22. Deut. 4,7. 2 Reg. 7,6. 3 Reg. 9,3) v. 4 *tu autem in sancto habitas, laus Israel*, vertit Hier : et tu, sancte habitator ; Deus saepius dicitur תהלה, laus, gloria populi Israel (Deut. 10,21 ; Ier. 17,14 ; Ps. 71,6; 109,1) ; LXX ὁ ἔπαινος, alii ὕμνος (teste Theodoreto : nam laudatur et decantatur a suis cultoribus), unde numerum singularem legisse videntur ; Sym ἐν ἁγίοις κατοικεῖς, quae veterum versio sensum planum praebet multo meliorem, quam quod recentioribus nonnullis placet : habitans super cantica Israel (quasi ad similitudinem illius : sedens super cherubim ?).

Comparat sortem suam cum sorte patrum et modum agendi quem Deus observavit cum patribus et quem nunc adhibet cum ipso v. 5 et 6 *speraverunt, clamaverunt*, ut ego ; *liberati sunt* ; spes illorum obtinuit effectum optatum ; *non sunt confusi*, pudore affecti et irrisioni expositi, sicut illi qui frustra sperant. At quid mihi obtingit comparatione cum illis instituta ? v. 7 *ego autem sum vermis et non homo* ; in tales deveni aerumnas, ut quasi vermis conculcari videar et iam nihil habeam humanae dignitatis ac sortis ; ut omnium contemptui et irrisioni exponar : *opprobrium hominum*, ignominia et despectione affectus ab iis, *et abiectio plebis*, despectio plebis (Hier). Et qualia documenta et signa despectionis exhibeantur, declaratur v. 8 *omnes videntes me* subsannant me (Hier), hianti, aperto ore in me maledicta coniiciunt, seu rictum diducunt (hebr ad verbum : hiant in labio ; cf. 34,21 dilataverunt super me os suum) *et moverunt caput*, movent, quassant caput, gestus est ludificationis (cf. 43,15) et contemptus et fastidii seu abominationis et taedii. Unum affertur exemplum irrisionis v. 9 *speravit in Domino, eripiat eum* ; se Domino commisit ; ita hebr quoque efferendum, scil. גל (perfectum), sicut LXX et syr (non, ut mass.

imperativ) ; mimesis est blasphema ; ei pietatem exprobrant (*Gen.*) ; cum irrisione falsam eius opinionem arguunt : iactavit suam in Deo spem ; nunc apparet, quam vane iactaverit ; *salvum faciat eum, quoniam vult eum*, iactavit se habere complacentiam Dei ; bene, si ita est, iam eripiat eum et liberet eum — ita cum acerba irrisione ; cf. Matth. 27,42).

Quod illi irridentes ei oggerunt *speravit*, hoc quasi ambabus manibus et toto corde complectitur v. 10 *quoniam tu es qui extraxisti me de ventre*, tu me ad hanc vitae lucem pervenire fecisti ; denotat curam Dei quae simul pignus est et documentum ulterioris protectionis, *spes mea ab uberibus matris meae*, mihi dans fiduciam a prima aetate ; mihi dans securitatem (cum adhuc essem) ad ubera matris (ita ex textu mass-) LXX substantivum מבטח legerunt, quod *Wellhausen* quoque restituit : Deus erat spes ac fiducia mea, is in quem omnis mea spes ferebatur, item substantivum syr effert ; *in te proiectus sum ex utero* ; tibi traditus sum egressus ex utero, statim ab utero ; « spectatur hic veterum mos super genua patris collocandi liberos, mox a matre editos ; legimus hoc Gen. 30,3 ; 50,22. Iob 3,12 etc. » (*Calm.*) Unde : *de ventre matris meae Deus meus es tu*, protector meus et largitor bonorum, cui tota devotione me devoveo ; cum itaque ab initio vitae commissus fuerit curae ac protectioni divinae, eam merito nunc sperare potest v. 12 *ne discesseris a me*, ne sis longe a me, qui a longinquo stat, non videtur esse paratus ad praesens auxilium, videtur potius tardare, inertem se praebere spectatorem ; nam *tribulatio est proxima*, angustia est prope ; ergo tu ne sis longe a me ! alius qui opem ferat non adest !

Et quam prope sit et quanta angustia, describitur v. 13-19. Quasi medius inter bestias feroces incursibus earum obiectus est v. 13 *circumdederunt me* tauri multi, fortes (tauri) Basan cinxerunt me, vallaverunt me (Hier) ; *tauri pingues* LXX, Sym, Hier ; cf. Amos 4,1 praebent LXX ἐλαφάλεις τῆς Βασανίτιδος, vaccae Basan, vulg vaccae pingues ; erat Basan regio valde fertilis, abundans pascuis (cf. Deut. 32,14. Ez. 39,18 hebr), enumeratur a prophetis simul cum regionibus amoenis ac frugiferis (Is. 2,13 ; 33,9. Ier. 50,19. Nahum 1,4) ; quale periculum immineat, comparatione indicatur v. 14 *aperuerunt super me os suum, (sicut) leo rapiens et rugiens* ; inimici mei aperiunt contra me os suum, calumniis et ludificationibus me proscindunt, rabiem produnt sicut leo rapax et fremens. Ad infestationes adversariorum accedit letalis virium defectio v. 15 *sicut aqua effusus sum*, omnis vis ac vigor vitalis diffluxit, evanuit, *et dispersa sunt omnia ossa mea*, separata sunt (Hier), disiuncta, disiunxerunt se ; violenter e sede sua mota sunt ; indicatur itaque supplicium quoddam esse inflictum, quo ipsa

corporis ossa et membra sint distorta ; *factum est cor meum tamquam cera liquescens*, liquefactum, *in medio ventris mei* ; cor dicitur diffluere, quando homo maxima angustia, ingenti timore ac stupore corripitur ; ita Ios. 2,11 ; 5,1 ; 7,5. Is. 13,7 ; 19,1. 2 Sam. 17,10 ; *aruit tamquam testa virtus mea ;* aerumnis, moerore, angoribus quasi ardoribus quibusdam vitalis vigor et succus exhauritur et exsiccatur ; ita dicitur Prov. 17,22 spiritus tristis exsiccat ossa ; *et lingua mea adhaesit faucibus meis*, palato meo (Hier) adhaerescit ; qua dictione etiam declaratur sitis ardor vehementissimus ; cf. Lament. 4,4 adhaesit lingua lactentis ad palatum eius in siti. In tanta virium defectione et consumptione vigoris vitalis nihil aliud relinqui videtur, nisi mors : *et in pulverem mortis deduxisti me*, et in sepulcro me pones ; ex tanta calamitate nihil aliud exspecto quam mortem (*Gen.*).

Et quantum sit mortis periculum, descriptione furoris adversariorum eorumque machinationum declaratur (v. 17-19) v. 17 *quoniam circumdederunt me canes multi*, rabies inimicorum, morsus, calumniae denotantur ; *consilium malignantium*, globus vel caterva scelestorum, *obsedit me*, circumsistit me ; et quale supplicium intulerint, indicatur : *foderunt manus meas et pedes meos*, LXX ὤρυξαν, syr ܒܕܥܘ perforarunt ; ex syr hexapl colligitur vertisse Aq ἐπέδησαν (seu συνεπόδισαν), Sym ὡς ζητοῦντες δῆσαι. Omnes itaque in hebr. legerunt non כארי sicuti leo, sed verbum כארו, Hier vinxerunt, et ab Aq fertur quoque altera versio ἤσχυναν, cui similis est una explicatio in Midrasch Tehillim : quam foedae sunt manus meae et pedes (Midrasch Tehillim, übersetzt von Aug. Wünsche 1892 I p. 205).

Qui retinere volunt lectionem mass sicut leo miras excogitarunt explicationes : inimici mei circumdant ut leo, ita ut neque manibus me defendere, nec pedibus aufugere possim — vel me circumdant, ut leo, quoad manus et pedes i.e. undique, ex omni parte ; vel censent aliud verbum esse supplendum : circumdant ut leo mordentes manus meas et pedes. Quae omnia valde coacta sunt. — Ex recentioribus acatholicis *Baethgen* omnino vertit, uti habetur in LXX et vulg : sie haben meine Hände und Füsse durchgraben. Verbum aramaicum כאר = כער esse foedum in auxilium vocat *Duhm* vertens : entstellt sind (deformes) meine Hände und Füsse, quem stichum collocat post illum : lingua mea adhaesit faucibus meis. Stichum in textu hebraeo plane non posse intelligi recte quidem affirmat *Wellhausen* ; at perperam asserit versionem graecam in hoc contextu eodem modo non posse explicari ; insuper censet vocem hebr quam graecus interpres sibi visus sit legere vix posse habere significationem transfigendi (to pierce through). LXX habent ὤρυξαν — quid legerint, facile potest erui ; nam Gen. 26,25 ; 50,5 et 2 Chron. 16,14 et Ps. 7,15 ; 56(57)6 ; 93(94)13 ; Prov. 26,27 exprimitur כרה graece

voce ὀρύσσειν, ita Gen. l. c. fodere puteum, fodere sepulcrum ; item 2 Chron ; et Ps lacum effodere ; foveam fodere (Ps. Prov.) ; quibus exemplis propositis satis certo asserere possumus interpretem legisse כרו — verbum ὀρύσσειν correspondet utique aliis quoque verbis hebr חפר, חצב, חתר aliisque cum simili notione fodiendi (cf. Hatch, Redpath, Concordance to the Septuagint II p. 1017, 1018) ; quae hic tamen considerato textu mass in quaestionem vocari non possunt. Hisce etiam responsum est ad dubitationem illam, positne verbum habere notionem quandam cognatam seu similem transfixioni. Ex Iudaeorum traditione habetur targum : mordentes sicut leo, ubi itaque illud כארי secundum duplicem lectionem redditur ; et in Massora Ochla w' Ochla 64,10 notatur כארי habere in psalmo aliam notionem atque apud Isaiam 38,13 ; in loco Is. autem solum significat : sicut leo (sic contrivit omnia ossa mea). Ergo ex ipsa Iudaeorum traditione in nostro Psalmo nullatenus habetur notio seu locutio : sicut leo ; et targum vocem ut participium explicat.

In lectione ὤρυξαν, *foderunt* exprimitur supplicium, crucifixio ; « quare merito dicit S. Augustinus (ep. 140 ; *M.* 33,555) : in his tamquam evangelium recitatur : fossae sunt enim clavis manus et pedes eius et cum extenderetur in ligno, quodammodo numerata sunt ossa eius ». Et Eusebius quoque hunc locum clarum et apertum esse et ipsis contentiosioribus (τοῖς λίαν φιλονεικοῦσιν) debere esse σαφὲς manifestum dicit, « nam in sacris evangeliis ipsum Dominum audimus sanctos discipulos suos sic alloquentem : videte manus meas et pedes meos ». Porro v. 18 *dinumeraverunt omnia ossa mea* ; ita extenderunt affigentes ut facile esset cuilibet ossium numerum computare (*Eus. Theod. Ag.*). Bene monent *Ag. Gen.* in hebr legi primam personam et quidem eo sensu : dinumerare possim omnia ossa mea אספר et *Ag.* bene explicat textum graecum esse corruptum et causam et indicia corruptionis hoc loco esse in graeco, non in hebraeo : « facilius enim ex ἐξηρίθμησα fieri potuit ἐξηρίθμησαν, praesertim cum adverteret lector praecedens verbum et subsequens eadem forma plurali esse posita : foderunt, consideraverunt, inspexerunt ; ac proinde existimaret eodem modo dicendum esse ἐξηρίθμησαν, dinumeraverunt ; difficilius est autem ex hebr iesapperu fieri asapper ». Vertit Hier : numeravi omnia ossa mea ; syr : plangunt omnia ossa mea (legit formam ex ספד pro ספר ; cf. *Ecker* p. 786).

In tanta miseria adversarii aspectu eius delectantur *ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me*, hebr ב ראה cum complacentia aspicere, oculos pascere tali spectaculo (*Gen.*), videlicet illudentes et irridentes (*Eus. Theod.*). Ab iis consideratur tamquam iamiam moriturus ; unde v. 19 *diviserunt sibi*, inter se partiti sunt, *vestimenta et super vestem*

meam miserunt sortem ; omni humano auxilio est destitutus ; spoliatus omni re ; cf. Matth. 27,35. Marc 15,24. Luc. 23,34. Ioan. 19,23,24.

In hac summa afflictione et inopia rerum omnium praeclara exprimitur spes ac fiducia v. 20 *tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me* ; vehementia affectus melius exprimitur hebr sententiis brevioribus et suspiriis : et tu Iahve, ne sis longe (Hier ne longe fias) fortitudo mea, in auxilium meum festina ! opem seu auxilium ἀντίλημψιν etiam LXX habent et eo modo etiam vulg *ad defensionem meam conspice* explicandum erit, ut scil. tutela et auxilium praestetur. Et quale auxilium a Deo expetat, declarat v. 21 *erue a framea*, a gladio, *animam meam, de manu canis unicam meam*, Hier solitariam meam ; me derelictum eripe ex potestate adversariorum ; iam totus eorum crudelitati est traditus quasi captus ore leonis v. 22 *salva me ex ore leonis et a cornibus unicornium humilitatem meam*, iam quasi cornibus bubalorum interimendus describitur : unde eripe me afflictum ; Hier et de cornibus unicornium exaudi me, veluti arreptus cornibus bubalorum efflagitat opem divinam. Describitur praesentissimum mortis periculum ; imo mors violenta iamiam imminens. In hebr fertur : exaudisti me i.e. exaudisti et liberasti me ; vel uti perfectum hebr verti potest (et saepius ita verti debet) et hoc loco melius vertitur tempore praesenti ad certam declarandam confidentiam : exaudis me ex cornibus i.e. exaudis et liberas me. Dictio vocatur praegnans, uti Ps. 118,5 exaudivit me in latitudinem et Is. 41,1 taceant ad me insulae et hebr Is. 38,17 me dilexisti ex fovea perniciei. LXX τὴν ταπείνωσίν μου, similiter syr, Sym. (legeruntne עניתי?) ; at textus hebr firmam exprimit fiduciam et ita versus antecedentes et deprecationes v. 20-22 bene absolvit et ad sequentia optime transitum praeparat.

Enuntiavit v. 22 in fine ex textu hebr se exaudiri ac liberari ; quare nunc profitetur quid pro tali liberatione polliceatur v. 23 *narrabo nomen tuum fratribus meis*, Dei nomen, eius cognitionem, potentiam, laudes et praeconia, opera Dei — hisce enim hominibus innotescit Deus — praedicare vult contribulibus suis ; *in medio ecclesiae laudabo te*, palam, in coetibus publicis praeconia laudesque Dei persolvens annuntiabit exhortans omnes Dei cultores ex gentibus et Iudaeis ad encomia Deo celebranda v. 24 *qui timetis Dominum laudate eum*, intelligi pios seu conversos ex gentibus *Eus. Theod.* explicant ; cum hisce admonetur *universum semen Iacob, glorificate eum, timeat eum omne semen Israel* ; cur autem et extranei et totus Dei populus, semen Israel provocentur ad Deo laudes celebrandas, ad honorem ei tribuendum et gloriam et cultum, *una* affertur ratio, quia petitio afflicti illius est exaudita v. 25 *quia non sprevit neque despexit deprecationem*

miseriam miseri (hebr), *nec avertit faciem suam*, nec abscondit faciem suam ab eo, et cum clamaret ad eum, audivit ; ita hebr, Hier ; bene videtur hoc loco notandum esse, afflictum hunc iam longissime efferri ultra ordinem hominum communem et simul aperte indicari, hanc eius liberationem rem esse summi momenti pro populis. Nam utrumque necessario collegeris ex eo, quia de salute ei praestita omnes insignem laudem ac gratiarum actionem Deo persolvere iubentur ; ergo exauditio et salus illi concessa debebit esse res summi momenti et utilitatis maximae pro populis. Idque etiam magis in subsequentibus proponitur.

Iam allocutio fit ad Deum v. 26 *apud te laus mea in ecclesia magna*, hebr a te, scil. ob salutem mihi concessam tu es quasi auctor carminis mei laudis et gratiarum actionis ; in coetu magno istud carmen a me cantabitur, « cum te per universum orbem, Ecclesia per fidem collecta, celebrabo, quod me excitaveris a mortuis » (*Ag.*). Haec laus Deo tribuetur simul cum sacrificiis gratiarum actionis : *vota mea reddam in conspectu timentium eum*, palam coram cultoribus Dei ; vota persolvere plerumque coniungitur cum oblatione sacrificii vel est ipsum sacrificium (cf. Lev. 1,16. Prov. 7,14), et hoc loco eo magis, quia statim mentio fit epularum sacrificalium ; unde bene explicavit *Ag.* : « iam sacrificia se oblaturum pro liberatione sua pollicetur ». Hisce sacrificiis accumbent miseri et afflicti, qui itaque ipsa sua sorte aliquam cum illo afflicto similitudinem prae se ferunt : *edent pauperes*, hebr afflicti, Hier mites, *et saturabuntur*, vera bona et stabilia percipient ; ceterum omnes Dei cultores votis illis ad laudes Dei incitabuntur : *et laudabunt Dominum qui requirunt eum* ; imo ex iis promanat vita aeterna : vivet cor vestrum in sempiternum (hebr, Hier), sed melius sine subitanea ista personae mutatione LXX, syr, vulg *vivent corda eorum in saeculum*, corda, animi hominum novo vigore recreabuntur vitamque beatam nunquam deficientem acquirent.

Porro quam late fructus et beneficia ex liberatione magni illius afflicti in universum orbem effundenda sint, declaratur v. 28 *reminiscentur*, memores erunt, *et convertentur ad Dominum*, seu redibunt, revertentur *universi fines terrae*, *et adorabunt*, prosternent se, *in conspectu eius universae familiae*, cognationes (Hier) *gentium* ; atque ita fieri debet v. 29 *quoniam Domini est regnum*, Domino debetur dominatio ; ipse est dominator gentium, *et ipse dominabitur gentium* ; regnum itaque atque dominium Dei universale statuetur ex liberatione illa ; ex annuntiatione et laude (v. 23.26) quam ille persolvet, fundabitur ac stabilietur universale regnum Dei. Quae regni universalitas denotatur v. 30 *manducaverunt et adoraverunt*, explica per tempus

praesens vel futurum : bonorum istius regni Dei participes sunt seseque prosternent *omnes pingues terrae*, vigore et robore valentes (cf. 92,15 hebr), seu potentes; Aug. praebet divites, et ita legunt plura psalteria vetera (cf. Sabatier, II, 45 : psalteria Rom. Corb. Mediolan. Carnut. Coislin. Moz.); *in conspectu eius cadent*, curvabunt genu (hebr, Hier); in oppositione ad pingues intelligi debebunt descendentes in pulverem vel debiles, homines infimae conditionis, vel omissa oppositione : generatim omnes mortales (pulvis es et in pulverem reverteris) curvabunt genu, maximam Deo exhibebunt venerationem et adorationem. Aliis offensioni esse videtur illud *manducaverunt ;* non patet quo referatur; effertur adeo solitarie ; mirum, quia de pinguibus explicite proponatur; quare pro אכלו malunt scribere אך לו : tantum ei se prosternunt. Alii oppositionem ita concipiunt, ut pingues terrae sint viventes omnes, et descendentes in pulverem mortui : regnum Dei Deumque adorabunt vivi ac mortui; dominium Dei complectitur terram et orcum, vivos ac mortuos.

Uti in v. 23 et 26, ita nunc quoque partes ipsius afflicti et liberati describuntur : *et anima mea illi vivet*, v. 31 *et semen meum serviet ipsi*; ita LXX, qui textus hic contra mass retinendus est; anima *mea* rite habet syr et versiones graecae 5.6.7; *illi* vivit praebet Aq. quoque; spondet itaque se magno amoris affectu totum pro Deo, pro causa et regno Dei victurum et quotquot habiturus sit posteros, imitatores et sequaces, hos omnes Deo fideliter fore addictos. Notat *Eus.* : quodnam illud semen sit, probe aperit commemorans generationem venturam et populum qui nascetur. Cognitio de Deo eiusque regno spargetur in generationes futuras ; ita hebr : annuntiabitur de Domino generationi, venient et annuntiabunt iustitiam eius populo qui nascetur, quia fecit i.e. annuntiabunt quid et quanta Dominus fecerit, vel annuntiabunt iustitiam Dei et Deum ipsum hanc iustitiam quam populo inesse vult esse effecturum. Est enim iustitia Dei ille status rectus, illa rerum omnium hominumque conditio quam Deus pro sua sanctissima voluntate et gratuita liberalitate exsistere vult.

In eum sensum etiam vulg verba accipienda erunt : *annuntiabitur Domino generatio ventura*, quomodo annuntiabitur Domino ? forte tamquam generatio plene Deo addicta, ad Deum pertinens; vel fortasse : annuntiabitur de Domino ? edocebitur generatio ventura de Domino? vel, ut *Ag.* explicat, annuntiabitur Domino, hoc est, populus Domini vocabitur, ei adscribetur (sim. *Gen.*); *et annuntiabunt coeli iustitiam eius populo*, non est in LXX *coeli* neque hebr, nec legitur apud *Aug.* (*M.* 33, 569), neque in Commentario *Arnobii* (*M.* 53,354), neque habet *Ag.* (de hac voce addita plura habet Lucas Brugensis in

Notationibus ad Ps. 21); videtur *coeli* fluxisse ex recordatione quadam : et annuntiabunt coeli iustitiam eius (Ps. 49,6 cf. 96,6). Per decursum sacculorum generationes generationibus annuntiabunt iustitiam Dei, totum quod Deus operatus est et operatur ad iustitiam suam largiendam et illam efficiendam rerum omnium conditionem, quam exsistere vult in *populo qui nascetur*, *quem fecit Dominus*, quem sibi elegit et praeparavit. Vertit Hier annuntiabunt iustitias eius populo qui nascetur, quas fecit (sed cum varia lectione quem fecit).

In hoc psalmo insigne nobis offerri vaticinium de passione Jesu Christi et de fructibus eius, luce clarius est. Orditur enim psalmus ab ipsis illis verbis, quibus in cruce uti voluit Christus; exhibentur nobis v. 7-9 irrisiones et opprobria ipsi in cruce pendenti crudeliter inflicta ; proponitur v. 16 alia eius vox in cruce emissa : sitio, ipsa illa descriptione; in transfixione manuum ac pedum, in divisione vestimentorum et in sortitione ds veste singula ad oculos etiam caecutientes demonstrantur. Quae omnia impletione in Christo facta sine ullo negotio perspecta habentur. Sed quid ante impletionem intelligi potuit ? In parte priore (v. 1-22) facile poterat quis sistere in contemplatione iusti alicuius seu prophetae quam maxime afflicti et iamiam in tormentis morituri; verum perlecta et expensa parte altera (v. 23-32) omnino aliter iudicandum erat. Nam in v. 24.25 tanta apparet et exhibetur dignitas afflicti illius, quae longe dignitatem prophetae superat. Insuper ex annuntiatione, carmine laudis, votis persolutis illius afflicti exsistere dicitur reditus universorum finium terrae ad Dominum eique adoratio pendetur a cognationibus universis gentium et regnum Dei in omnes gentes fundabitur et firmum consistet in generationibus futuris. Tales autem effectus nemo adscripserit supplicio alicuius prophetae; verum deprehendetur in carmine hoc ille idem qui in alio vaticinio servus Domini opprobriis saturatus, victima expiationis, exsecutor consilii Dei describitur (Is. 53,2-12).

Ex antiquitate commemoranda sunt quae Iustinus de hoc psalmo disputat in dialogo cum Tryphone n. 97 seq.; ita pollicetur n. 99 : « totum ergo psalmum hac ratione in Christum dictum esse demonstrabo » et in seq. per singulos versus id prosequitur (cf. *M.* 6, 706 seq.). Explicationem messianam et vera de Iesu Christo dicta vaticinia tuitus est Virgilius Papa contra Theodorum Mopsuestenum poena anathematis proposita (cf. Constitutum, *M.* 69, 84 seq.).

Ps. 22.

1. *Psalmus David.*

Dominus regit me — et : nihil mihi deerit, | 2. *in loco pascuae — ibi : me collocavit.* | *Super aquam refectionis educavit me,* | 3. *animam meam convertit.* | *Deduxit me super semitas iustitiae* | *propter nomen suum.* | 4. *Nam et si ambula-*

vero in medio umbrae mortis, | non timebo mala, quoniam tu mecum es. | Virga tua et baculus tuus, | ipsa me consolata sunt.

5. Parasti in conspectu meo mensam | adversus omnes qui tribulant me | ; impinguasti in oleo caput meum | — et : calix meus inebrians — quam : praeclarus — est : | 6. Et misericordia-tua : subsequetur me | omnibus diebus vitae meae; | et — ut : inhabitem in domo Domini | in longitudinem dierum.

Dominus optimi pastoris partes circa me agit (v. 1-4); optatis bonis et protectione divina abunde mihi provisum est (v. 5.6).

Dominus tamquam pastor, qui populum suum, gregem suum pascit, frequenter in sacris litteris describitur ; iam Iacob patriarcha, Deus, inquit, qui pascit me ab adolescentia mea usque in praesentem diem (Gen. 48,15), pastor Israel (Gen. 49,24), Dominus sicut pastor gregem suum pascet (Is. 40,11), custodit Israel sicut pastor gregem suum (Ier. 31, 10; cf. Ez. 34, 13. Os. 4, 16. Mich. 7, 14). Comparatio haec plane enascitur ex vita et consuetudine populi pastoritia, cuius opes et divitiae potissimum in gregibus consistebant. Sicut pastor curam agit gregis, ei providet bona pascua, eum ducit, protegit, defendit a lupis, ita Deus populo suo prospicere, ei terram bonam, fluentem lacte et melle, tradere, eumque tueri et ab hostibus protegere, optimi pastoris partes agere exhibetur. Hanc Dei laudem cum grati animi significatione David praedicat expertus curam et sollicitudinem et benignissimam providentiam; quare magno animi affectu cum iubilatione exclamat : Iahve pastor meus, non indigeo, vel nihil mihi deerit (hebr; Hier Dominus pascit me) LXX Κύριος ποιμαίνει με, vulg *Dominus regit me*, intelligi debere de pastore regente gregem suum, statim liquet ex v. 2; sub tali autem pastore sibi optime fore provisum cum gaudio et plena fiducia profitetur et agnoscit psalmista : *nihil mihi deerit;* habes, si placet, argumentum duarum partium psalmi : Iahve pastor meus, declaratur v. 2.3.4, nihil deerit v. 5.6.

Prima pastoris cura est de bonis pascuis v. 2 *in loco pascuae ibi me collocavit*, hebr in pascuis graminis (herbarum, Hier); me accubare facit, adclinavit me (Hier) ; hebr imperfectum explica, uti saepe assolet, de actione temporis praesentis continua; optima pascua mihi continuo tribuit. Praeter pascua opus est ut greges opportuno tempore aquatum ducantur et placida quiete fruantur ; unde *super aquam refectionis educavit me*, ad aquas requietionum me ducit (hebr), in calore scil. et aestu diei ; cf. Cant. 1, 6 indica mihi, ubi cubes in meridie; de aquatione cf. Gen. 29, 2; 30, 41; Ex. 2, 16; iam potu salubri et quiete vires recreantur et refocillantur : v. 3 *animam meam convertit* reficit, recreat ; novum vitae vigorem mihi largitur. Sub cura Dei magna usus est prosperitate ditatus bonis; insuper *deduxit me*, ducit me, *super*

semitas iustitiae in viis rectis, ne scil. aberrem, ne grex per avia et devia dispergatur, *propter nomen suum*, propter suam pastoris gloriam, ad quam pertinet, ne ullum pecus in solitudine aberrans perdatur; in viis rectis, in quibus scil. perveniatur ad pascua, ad puteos, ad loca quieta et tuta.

Sub tali pastore nihil est timendum, etsi grex quandoque per valles angustas et fauces caliginosas migrare debebit, ubi pericula et incursus bestiarum rapacium imminere possunt v. 4 *nam et si ambulavero in medio umbrae mortis*, in tenebris, hebr etsi incedo in valle tenebricosa, *non timebo mala*, non ullum timeo malum; et huius fiduciae ac securitatis ratio est, *quoniam tu mecum es; virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*, pedum pastorale (virga et fulcrum) signum est et symbolum directionis, protectionis, defensionis; itaque consolationi est tempore periculi ipse pastor, cuius promptitudo, robur, prudentia ad pericula avertenda et depellenda cognoscitur.

Iam exponitur alterum quod in v. 1 dictum est : nihil mihi deerit. Ad rem notat *Calm.* : « aliam nunc promit allegoriam psalmista, ut Dei erga se miserantis clementiam narret; hactenus pastor fuit gregem suum agens ac defendens; hic hospes est vel amicus amicum patrocinio adversus hostes fovens mensa, qua delicias et refectionem porrigit deficienti ». In conspectu inimicorum, ante oculos eorum, ita ut bona et prosperitatem eius et benedictionem a Deo ei factam cernere debeant, Deus pio suo cultori praestat abundantiam bonorum v. 5 *parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me*, hebr paras ante me mensam in conspectu hostium meorum, vel, ut Hier, ex adverso hostium meorum; isti itaque confunduntur, cum debeant videre, quanta bona praestet Deus illi quem ipsi persequi ac perdere volebant. In lauto enim convivio quod Deus psalmistae instruere dicitur, quam maxime depingitur benignitas et amicitia et liberalitas Dei. Convivium autem splendidum declaratur ex modo quo conviva susceptus ac salutatus est : *impinguasti in oleo caput meum*; ubere, imo abundanti unctione caput eius delibutum est; ita conviva honorari solebat; cf. Matth. 26, 7 : accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi et effudit super caput ipsius recumbentis, et Luc. 7, 46 oleo caput meum non unxisti. Convivium lautissime instructum declaratur exclamatione admirantis abundantiam : calix meus abundantia (hebr, vel ubertas), *et calix meus inebrians quam praeclarus est*, etiam Hier vertit calix meus inebrians, LXX καὶ τὸ ποτήριόν σου μεθύσκον; ergo רויה ut adiectivum explicatum est; quod LXX, vulg additur ὡς κράτιστον, hebr refertur אך טוב ad stichum sequentem.

Explicavit psalmista in convivio lauto quomodo pro praesenti tem-

pore nihil sibi desit; immo habet bonorum ubertatem, cuius testes inviti et invidi hostes sunt; nunc subdit quomodo etiam pro futuro nihil sibi defuturum sit; et quidem ex hebr tantum felicitas et gratia persequentur me, vel secundum Hier : sed et benignitas et misericordia subsequitur me; in רדף exprimitur notio studiose sequendi, cum fervore prosequendi; *et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae* et quid praeprimis exoptet, enuntiat : *et ut inhabitem in domo Domini* (Hier et habitabo) *in longitudinem dierum*, in sanctuario, in quo sacerdotes et levitae singulis diebus suis muneribus funguntur. Textus hebr uti nunc legitur, verti debet : et redibo in domum Domini; ita midrasch habet : redibo in templum, quod utinam diebus nostris mox exstruatur, amen, amen. Hac lectione psalmus adscribitur tempori exsilii; at huic tempori totum psalmi argumentum vehementer contradicit. Et revera LXX, syr, Sym exprimunt sicut Hier notionem habitandi, καὶ τὸ κατοικεῖν με LXX, ἡ κατοίκησίς μου Sym; habitabo syr; quare textus hebr non שבתי, sed בתי habitare שׁ meum legatur oportet, uti etiam Ps. 27, 4 hebr suadetur et recentiores assumunt.

Quaeritur, de quonam psalmus agere censendus sit. Quandoque monent, neminem esse pastorem ovis unius; itaque de grege, de populo debere esse sermonem. Aliqua in psalmo utique haud incongrue aptari possunt beneficiis populo vel in deserto vel in terra promissa collatis; ita v. 2.3 partim in migratione per desertum, potius autem in gubernatione populi dici possunt; in v. 4 habetur protectio in periculis deserti (cf. Deut. 8, 15. Ier. 2,6); ad v. 5 congruit quod Ps. 67, 11 de populo dicitur : parasti in dulcedine tua pauperi, Deus; item laus illa terrae fluentis lacte et melle. At quominus haec explicatio probari possit, impedimur ipso psalmo. Neque enim sermo est de narratione seu de tempore praeterito, verum constanter agitur de actionibus tempore praesenti durantibus, uti textum hebr inspicienti patet. Ceterum quam aegre, neglectis scil. et omissis quam plurimis, singula applicentur populo, quis est qui non sentiat? nullatenus ad populum congruit v. 6 ut inhabitem in domo Domini. Atque id unum sufficit, ut propter necessariam carminis unitatem dicamus, psalmo revera exprimi sensus et affectus unius alicuius, quos sensus et affectus utique pro sua quisque conditione prosequi vel in se excitare poterit. Depingitur David, pius Dei cultor, beneficiis divinis ditatus eaque animo laeto ac grato recolens, Deum laudans allegoria optimi pastoris et allegoria hospitis amicum convivio excipientis. « Nullae hic querelae, nulla doloris indicia; ubique mens tranquilla, quam occupat grata beneficiorum Domini confessio, totaque in laudes Domini beneficentissimi effunditur » (*Calm.*).

Applicatio ad Christum, ad Ecclesiam, ad Eucharistiam facile fit et legitur apud Eus. Theod. Aug. et veteres expositores et in Catenis.

Ps. 23.

1. *Prima sabbati, Psalmus David.*

Domini est terra et plenitudo eius, | *orbis terrarum et — universi : qui habitant in eo ;* | 2. * *quia : ipse super maria fundavit eum* | *et super flumina praeparavit eum.* | 3. *Quis ascendet in montem Domini* | *aut quis stabit in loco sancto eius ?* |

4. *Innocens manibus et mundo corde* | *qui non accepit in vano animam suam* | *nec iuravit in dolo — proximo suo :* | . 5. *— Hic : accipiet benedictionem a Domino* | *et misericordiam a Deo salutari suo.* | 6. *Haec est generatio quaerentium eum,* | *quaerentium faciem Dei Jacob.*

7. *Attollite portas principes vestras* | *et elevamini portae aeternales;* | *et introibit rex gloriae.* | 8. *Quis est iste rex gloriae?* | *Dominus fortis et potens;* | *Dominus potens — in : proelio.* |

9. *Attollite portas principes vestras* | *et elevamini portae aeternales ; et introibit rex gloriae.* | 10. *Quis est iste rex gloriae ?* | *Dominus virtutum, ipse est rex gloriae.*

Maiestate Dei postulatur hominis integritas et magnificentia sanctuarii.

Describitur v. 1.2 maiestas Dei proposito dominio in omnes et omnia quibus orbis terrarum impletur : *Domini est terra*, mea est omnis terra (Ex. 19,5. Ps. 49,12) *et plenitudo eius* i.e. et quidquid terram implet ; cf. Deut. 10,14 Dei est terra et omnia quae in ea sunt ; et eius dominium et proprietatem speciatim extendi ad homines membro parallelo declaratur : orbis et habitatores eius (Hier). Et assignatur titulus huius dominationis et proprietatis ex opere creationis : *quia ipse super maria fundavit eum*, est quippe infra terram oceanus ; cf. Gen. 7,11 rupti sunt omnes fontes abyssi magnae ; Gen. 8,2 ; Prov. 8,27 certa lege et gyro vallabat abyssos ; ita *Eus.* concipit, voluisse Deum orbem ferri super maris dorsa et hac ratione eum fundari ; et *Calm.* notat : veteres Hebraei sentiebant tellurem aquis innatare ; *et super flumina praeparavit eum*, hebr imperfectum explica de conditione perdurante ; in priore membro habes perfectum tempus i.e. creationem seu primam institutionem, in hoc autem continuam rei in statu illo conservationem, et dicitur varietatis causa : et super flumina eum stabilit, firmat. Est poetica rei consideratio, vel, ut aliis explicare placet : terram mari fluviisque supereminentem condidit atque servat (cf. *Ag. Gen.*). Ceterum memento verbi Iob : appendit terram super nihilum (26,7), psalmista autem precatur : qui firmavit terram super aquas, quoniam in aeternum misericordia eius (135,6).

Iam quis audere potest prope accedere ad tantam Dei maiestatem

iam nobis propositam in creatione, conservatione, summo omnium dominio ? vel appropinquare ad tantae maiestatis sanctuarium ? v. 3 *quis ascendet in montem Domini* ; cf. 14, 1 seq. quem psalmum ad hunc psalmum pertinere eumque complere et absolvere docent *Peters* (Zeitschrift für kath. Theologie XXIII, 364 seq.) et *Wies.* ; *aut quis stabit in loco sancto eius ?* sancti eritis, quia ego sanctus sum (Lev. 11,45) ; non Deus volens iniquitatem tu es neque habitabit iuxta te malignus (Ps. 5,5) : *innocens manibus et mundo corde*, ad Deum et sanctuarium accedere potest, qui operibus et cogitationibus se immunem servat a peccato ; *qui non accepit in vano animam suam*, qui non exaltavit ad vanum animam suam (hebr), cuius desideria non feruntur in res vanas, *nec iuravit in dolo* (*proximo suo*), qui itaque cogitationibus, operibus, verbis se praestat virum probum, absque macula. Talis acceptus est Deo, et accedens ad sanctuarium v. 5 *hic accipiet benedictionem a Domino et misericordiam* (iustitiam, hebr Hier) *a Deo salutari suo*, a Deo salutis suae, a Deo qui est auctor et largitor salutis pro tali viro. Notiones : benedictio, iustitia, salus, declarant beneplacitum divinum, fontem omnis probitatis et felicitatis.

Et tales sunt et esse debent veri cultores Dei v. 6 *haec est generatio quaerentium eum, quaerentium faciem Dei Iacob*, quaerentium faciem tuam, Iacob (hebr, Hier), sed corrige : faciem tuam, Deus Iacob (cf. LXX, syr) ; talis est indoles animorumque dispositio eorum, qui vere et sincere Deum colere desiderant et ad eum accedere appetunt ; quaerere faciem, eius vultum benignum, favorem exquirere, coram eo assistere ac servire, ut eius aspectu frui liceat.

Quale autem sanctuarium requiritur pro tanta Dei maiestate ? Respondetur adhortatione ad aedificium magnificum erigendum v. 7 *attollite portas, principes vestras* (ita LXX et Sym μετάρατε πύλας, οἱ ἄρχοντες ὑμῶν) : portas altas erigite ; in hebr autem audaci quadam sed iucunda personificatione statim ipsis rebus inanimatis sensus et affectus tribuitur et ipsae portae admonentur, ut maiestatem Dei sentientes et venerantes in maiorem sese erigant molem et altitudinem : levate, portae, capita vestra (Hier, syr, Aq. ἄρατε, πύλαι, κεφαλὰς ὑμῶν) *et elevamini, portae aeternales*, in maiorem sublimitatem erigimini, portae aeternae, iam Aeterno habitaculum praebentes ideoque in aeternum mansurae, seu veneranda antiquitate nobiles ; scribi vult *Perles* אילם portae vestibuli ; cf. 2 Par. 29,7 ; *et introibit rex gloriae*, elevamini, ut prout decet regem gloriae, introeat in aedificium magnificum per arcum et portam triumphalem sua insignem magnificentia. Cum admiratione interrogant portae ; v. 8 *quis est iste rex gloriae ?* et respondetur : Iahve, *Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio*, Iahve fortis, heros,

Iahve heros belli. Ad dignitatem et maiestatem Dei efferendam repetitur cum magna sollemnitate illa ad portas facta admonitio v. 9 *attollite* etc. ; repetitur interrogatio v. 10 et respondetur : *Dominus virtutum*, Iahve exercituum (Dominus sabaoth), *ipse est rex gloriae*; describitur Deus tamquam vir pugnator pro suo populo, qui currus Pharaonis et exercitum eius proiecit in mare (Ex. 15,3); in nomine Domini exercituum progreditur David contra Goliath : dabit te Dominus in manu mea, ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel (1 Reg. 17,45); et suscitabit super Assur Dominus exercituum flagellum (Is. 10,25; 63, 1 ego propugnator ad salvandam; cf. Hab. 3,13); est quippe Dominus Deus agminum Israel (1 Reg. 17,45) et nova bella elegit Dominus et portas hostium ipse subvertit (Iud. 5,8) et bella Israel dicuntur bella Domini (1 Reg. 18,17. 1 Par. 5, 22), Deus enim ipse pugnabit pro populo (Ex. 14,25. Deut. 1,30; 3,22; 28,7. Ios. 10,42. 2 Par. 20,29. Neh. 4,20. Iudith 5,16. 20.

Uti Iustinus refert, Iudaei psalmum hunc ad Salomon, alii ad Ezechiam regem applicarunt (Dialog c. Tryph. n. 81); alii pariter cogitarunt de translatione arcae in civitatem David, vel de dedicatione templi salomonici et arcae collocatione, vel de ingressu in sanctuarium post reditum ex expeditione militari victoria parta. Equidem fateor mihi nullam ex hisce sententiis satis probari. Nam non video quomodo ad eiusmodi occasionem accommodetur prima et altera pars v. 1.2 et v. 3-6. Celebratur enim Dei maiestas et dominatio et affirmatur virum ab omni scelere purum admitti in montem Domini. Haec non est descriptio neque dedicationis templi neque translationis arcae; ergo solum remanet pars tertia v. 7-10, quae itaque ab antecedentibus et a contextu avellitur. Sed tum peribit unitas psalmi et haberemus, uti aliqui putabant, duo fragmenta (*Ewald*, *Baethgen*). Ad hanc unitatem habendam argumentum psalmi puto cerni posse in maiestate Dei, qua requiratur in homine sanctitas, in sanctuario magnificentia; vel exponitur cultus internus et quaedam eius exhibitio externa, qualis deceat maiestatem Dei. Quam acceptionem fere etiam in argumento proponit *Ag.* — Tertiam psalmi partem iam Iustinus exposuit de ascensione Christi in coelum (l. c. n. 51), item *Eus. Theod. Gen.* etc. Graeco titulo τῆς μιᾶς σαββάτων in hebr nihil respondet.

Ps. 24.

v. 1. *In finem, psalmus David.*

א *Ad te levavi animam meam.* | 2. *Deus meus...* | ב *in te confido, non erubescam* | *neque irrideant me inimici mei.* | ג 3. *Et — enim : universi qui sustinent te non confundentur,* | *confundantur — omnes : iniqua agentes supervacue.*

ד 4. *Vias tuas. Domine, demonstra mihi* | — *et : semitas tuas edoce me;* | ה 5. *dirige me in veritate tua et doce me,* | *quia tu es Deus salvator meus* ו — *et : te sustinui tota die.* | ז 6. *Reminiscere miserationum tuarum, Domine* | *et misericordiarum tuarum quae a saeculo sunt ;* | ח 7. *delicta iuventutis meae et ignorantias meas ne memineris,* | *secundum misericordiam tuam memento mei* tu :* | *propter bonitatem tuam Domine.*

ט 8. *Dulcis et rectus Dominus ;* | *propter hoc legem dabit delinquentibus in via;* | י 9. *diriget mansuetos in iudicio* | , *docebit mites vias suas.* | כ 10. *Universae viae Domini misericordia et veritas* | *requirentibus testamentum eius et testimonia eius.* ל 11. *Propter nomen tuum, Domine,* | *propitiaberis peccato meo ; multum est enim.* מ 12. *Quis est homo qui timet Dominum ?* | *legem statuit ei in via quam elegit ;* | נ 13. *anima eius in bonis demorabitur* | *et semen eius hereditabit terram.* | ס 14. *Firmamentum est Dominus timentibus eum* | *et testamentum ipsius, ut manifestetur illis.* | ע 15. *Oculi mei semper ad Dominum* ; *quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos;* | פ 16. *respice in me et miserere mei,* | *quia unicus et pauper sum ego.*

צ 17. *Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt* | *de necessitatibus meis erue me!* | ר 18. *vide humilitatem meam et laborem meum* | *et dimitte universa delicta mea;* | ר 19. *respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt* | *et odio iniquo oderunt me.* | ש 20. *Custodi animam meam et erue me;* | *non erubescam, quoniam speravi in te.* | ת 21. *Innocentes et recti adhaeserunt mihi* | *quia sustinui te.* | *Libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis.*

In ordine alphabetico, quo hic psalmus est compositus, bis deprehenditur defectus in hebr ; deest distichon ו, deest distichon ק cuius loco unum distichon ר abundat. Prior defectus facile sanatur ; nam in v. 5 legitur LXX, syr, vulg disticho iam completo : *et* te sustinui tota die ; ibi ergo etiam in hebr ו erit ponendum ; alter autem stichus promendus erit ex fine v. 7, ubi stichus ille tertius abundat. Unde conficitur distichon ו et te sustinui tota die | propter bonitatem tuam, Domine. Stichus ק coniectura restitui postet ; nam, uti *Duhm* proponit, pone v. 19 ante v. 18 et corrige v. 19 קָדַם praeveni inimicos meos (uti habetur Ps. 17,13 praeveni eum et 18,19 hebr) i.e. iis resiste. Cum cuivis litterae attributum sit distichon, apparet in primo versu aliquid deesse.

Magna cum fiducia petit David, ut protegatur ab inimicis, ut in via recta dirigatur, veniam peccatorum et liberationem ab angustiis accipiat.

Primum distichon mancum est ; potest cum Bickell suppleri ex ultimo sticho v. 5 : Deus meus, te sustinui tota die. Tali autem suppletione amittitur stichus pro ו ; sed etiam in Ps. 34 alphabetico deest distichon ו, quare haec littera omitti posse videtur.

Cum fervore et fiducia mentem ad Deum dirigit psalmista v. 1 *ad te Domine, levavi animam meam*, hebr imp. melius explicabis de tempore praesenti ; ad te extollo, dirigo animam meam ; « forma seu per-

fectio orationis est in mentis elevatione » (*Gen.*) repetitur cum affectu: *Deus meus*; iam spem firmam enuntiat fore ut ope divina immunis evadat ab ignominia et opprobriis inimicorum v. 2 *in te confido, non erubescam* ne permittas me obrui confusione, *neque irrideant me inimici mei*, ne laetentur (Hier), ne iubilent inimici mei mihi i.e. de me, in meum opprobrium. Et quanta firmitate spei id se obtenturum esse confidat sibique promittat, enuntiatur sententia generali v. 3 *etenim universi qui sustinent te*, qui sperant in te (Hier), sustinere in vulg haud raro induit notionem exspectandi, sperandi v. 5.21; 26,14; 36,9 ubi exprimitur LXX ὑπομένειν, *non confundentur;* Deus enim sperantes in se non derelinquit; horum est ipse firmum subsidium; sed merito *confundantur omnes iniqua agentes supervacue*, hebr rebelles, seu apostatae, ut *Eus.* refert, quinta habet, οἱ ἀποστατοῦντες, supervacue, scil. qui nulla utilitatis ratione ducti aut nihil ab altero violati, ultro illum lacessunt (*Ag.*), LXX διακενῆς frustra, sine successu; *Theod.* videtur eos intelligere, qui non ob aliquam calamitatem vel naturalem imbecillitatem labuntur, sed qui ipsis sceleribus delectantur; hebr ריקם vacuis manibus i.e. ut nihil prosperi successus habeatur (cf. Gen. 31,42. Ex. 3,21. 2 Sam. 1,32. Is. 55,11 etc.).

Quo tutius servetur a confusione et ab opprobriis, petit a Domino, ut edoceatur de viis rectis v. 4 *vias tuas, Domine, demonstra mihi;* recte ac probe vivendi rationes, quas Deus exigat, fac me scire (hebr), *semitas tuas edoce me*, quibus scil. nos incedere tu vis, proin practicam praeceptorum legisque Dei cognitionem et intelligentiam efflagitat; atque idem instantius exorat v. 5 *dirige me*, deduc me (Hier, hebr) *in veritate tua*, in vera doctrina quae in lege a Deo data est, *et doce me*, ne unquam a recto tramite aberrem; *quia tu es Deus salvator meus*, Deus salutis meae (hebr), in uno Deo tota ratio salutis meae consistit; quam fidem iterum profitetur: *et te sustinui tota die*, in te spero semper; cf. v. 3. Psalmista quo efficacius petitiones has Deo commendet v. 4. 5, Deo quasi in memoriam revocat, quae beneficia olim contulerit; ne itaque haec quasi frustra collata sint, opus est ut recta via in omnibus servetur. Hac vero commemoratione beneficiorum ex priscis temporibus iam satis clare indicatur psalmistam gerere personam totius nationis et nomine totius populi fundere preces vel populo typo orationis praeire; v. 6 *reminiscere miserationum tuarum Domine, et misericordiarum tuarum quae* (quia) *a saeculo sunt*, scil. quomodo olim populum sibi elegerit, eduxerit ex Aegypto, per saecula benigne foverit. Verum quoties populus in Deum contumacia sua peccavit? quare quam maxime opus est implorare veniam v. 7 *delicta iuventutis meae*, aetatis prioris, iuventus populi est prisca periodus in Aegypto,

in deserto, in occupatione terrae *et ignorantias meas*, hebr et scelera mea, quae patrata sunt postea et quae adhuc in populo perstant, *ne memineris*; pro qua petitione nihil aliud relinquitur, nisi recursus ad Dei misericordiam et gratuitum favorem : *secundum misericordiam tuam memento mei tu* ; non ullo meo merito veniam hanc et misericordiam assequi peto, verum *propter bonitatem tuam, Domine*, eam consequi unice spero (cf. *Theod.* qui peccata iuventutis de populo in Aegypto explicat; cf. Ez. 20, 6 sq.).

In huius Dei benignitatis laude et praeconio merito diutius immoratur v. 8 *dulcis et rectus Dominus*; quare non statim peccatores perdit; sed *propter hoc legem dabit delinquentibus in via*, peccatoribus viam ostendit, qua ab errore et peccatis revertantur; *diriget mansuetos in iudicio*, afflictos deducit, ut in iudicio, in via recta, secundum normam veri et recti vitam agant mediis in tribulationibus; *docebit mites vias suas*, miseros peculiari cura instruit, ne a viis Domini, a lege et praeceptis aberrent. Quare totus agendi modus Dei dulcis est et rectus v. 10 *universae viae Domini misericordia et veritas*, benignitatem et veritatem, qua scil. promissiones suas implet abundanter, semper et ubique praestat *requirentibus testamentum eius et testimonia eius*, iis qui foedus Dei et legem eius servant; legem vocat testimonia seu testificationes Dei, quia lex clare testatur, quaenam sint normae ac praecepta et voluntas Dei pro hominibus. Pacti, foederis, legis seu testificationis mentione facta non possunt non memoriae obversari multiplices populi transgressiones; unde funditur oratio v. 11 *propter nomen tuum, Domine, propitiaberis, peccato meo, multum est enim*; quia nomen tuum invocatum est super nos; quia nos vocamur populus Dei et tu Deus Israel, gloria et honor nominis tui agitur, ut culpam et poenam peccati a nobis removeas, ne scil. iusta tua indignatione reddamur miseri, id quod maculam tuae gloriae inferret apud gentes. Quo magis agnoscitur et sentitur peccatorum multitudo, eo maiore fervore venia est exoranda.

Venia peccatorum concessa Deus in suos maxime benignum se exhibet : v. 12 *quis est homo qui timet Dominum ? legem statuit ei*; iam *Ag.* bene monuit (quod recentiores monent) : « non tam interrogat quam in universum pronuntiat, Deum homini ipsum timenti, quisquis ille sit, legem statuere ac ducem se viae rectae praebere; sic dictum in Deuteronomio : quis est homo qui aedificavit domum novam ? vadat. » Iam recensentur bona quae Deus suis largiturus est : docet eum in via; quam eligat (hebr), Deus erit doctor et ductor viae; quam agendi rationem in singulis conditionibus sequi debeat, quivis lege divina et Deo opitulante discet. Haec institutio divina et doctrina primum est

bonum; alterum assignatur v. 13 *anima eius in bonis demorabitur*; prosperitas enim ex lege merces est pietatis (Lev. 26, 2-13. Deut. 28, 1-14) et non solum ipse fruetur bonis, etiam filii eius in beata possessione proprietatis paternae vitam degent : *et semen eius hereditabit terram* (cf. Ex. 20, 12. Deut. 4, 1; 5, 33. Prov. 2, 21). Aliud bonum continetur familiaritate quadam cum Deo v. 14 hebr סוֹד bene vertit Sym ὁμιλία timentibus Deum contingit familiaris quaedam consuetudo cum Deo qua illis amice utitur; vertit Hier : secretum Domini timentibus eum, item Theod; amicitiae quippe est consilia cum amico communicare; alia amicitiae exhibitio exprimitur in LXX et vulg *firmamentum est Dominus timentibus eum*; firmum eorum fulcrum et certissima opitulatio, invictos videlicet illos superioresque hostibus reddens (*Theod.*) *et testamentum ipsius, ut manifestetur illis*, LXX καὶ ἡ διαθήκη αὐτοῦ τοῦ δηλῶσαι αὐτοῖς foedus quasi cum timentibus iniit, ut manifestet illis, ut illos doceat secreta sua, ut notum illis faciat quid vel ipsi agere debeant vel Deus ipse facturus sit (*Ag.*); hebr vertunt Sym Theod καὶ τὴν συνθήκην αὐτοῦ δηλώσει αὐτοῖς, item Hier et pactum suum ostendet eis i.e. bona et promissa quae pacto continentur; hebr verte : ut pactum suum eis notum faciat, i.e. familiaritas Dei cum suis in eo praecipue manifestatur, ut bona et promissa foederis iis largiatur.

Cum itaque talis sit Deus, v. 15 *oculi mei semper ad Dominum*, omnis spes, exspectatio, fiducia in Deum dirigitur, *quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, de rete (hebr, Hier); ipse me eruet incolumem ex insidiis hostium, quas mihi struunt. Spes autem haec firma comitem habet et incitamentum precationem v. 16 *respice in me et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego*, solus (Hier, Sym μόνος, omni ope destitutus (*Theod.*), et afflictus. Idque in sequentibus explicat v. 17 *tribulationes cordis mei multiplicatae sunt*; ita veteres LXX ἐπληθύνθησαν, similiter Aq quinta, Theod sexta, Sym πλατεῖαι, itala: dilatatae sunt (cf. Sabatier). Textum hebr corrigunt : הרחב tribulationes dilata (?); emendat *Baethgen* (ex Cant. 6, 5) הרהיבו angustiae conturbant cor meum; *de necessitatibus meis erue me*, de angustiis meis educ me (hebr, Hier). Ut hoc impetret, obsecrat Deum v. 18 *vide humilitatem meam*, afflictionem meam (hebr, Hier) *et laborem meum*, molestiam qua laboro, *et dimitte universa delicta mea*; precatur veniam, ne scil. peccata impedimento sint quominus exaudiatur. Alia affertur ratio, cur deprecatio apud Deum admittenda sit v. 19 *respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt* et praeter numerum, quam maxime odio et inimicitiis invalescunt, *et odio iniquo oderunt me*, odio violentiae, oppressionis (hebr) me oderunt. Quare eo magis flagitare oportet v. 20 *custodi animam meam*, vitam meam, me *et erue me*, salva me ab inimicis; *non*

erubescam, ne sinas me pudore suffundi, *quoniam speravi in te*; cum ad te confugerim et in te sperem, tuae partes sunt, ut vitam meam tuearis; ne in te sperasse mihi pudori sit; tibi parum decorum, salutem servi tui neglexisse (*Ag.*).

Bene autem adiungitur quaenam sint partes ipsius hominis orantis et ad quid ipse omnibus viribus adniti debeat : v. 21 integritas et rectitudo servabunt me, quia exspectavi te; ut scil. mereatur exaudiri a Deo et protegi, ipse homo ex sua parte operam dare debet integritati morum et rectae vitae suae dispositioni; vel sequi debet simplicitatem et aequitatem (uti verba hebr Hier vertit hic et 3 Reg. 9, 4) et in isto studio probitatis opus est firmam in Deo spem retinere eiusque opem exspectare. Similiter vertit Sym : τελειότης καὶ ἁπλότης φυλάξει με. Aliter LXX et vulg : *innocentes et recti adhaeserunt mihi*, *quia sustinui te*; explica cum *Gen.* hi socii mei sunt.

Alphabeto versibus descripto et finito additur suspirium : v. 22 *libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis*; breviter tota psalmi precatio comprehenditur. Simul hoc additamentum indicium esse potest, in psalmo hoc non unum aliquem orare, verum totius populi supplicationem exprimi. Atque id quidem in ipso psalmo innui videtur; cf. v. 6. 7. 17-19. Simile additamentum cernitur in psalmo alphabetico 34 (33) v. 23.

Ps. 25.

1. *In finem Psalmus David.*

Iudica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum | et in Domino sperans non infirmabor. | 2. Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum; | 3. quoniam misericordia tua ante oculos meos est, | et complacui in veritate tua.

4. Non sedi cum concilio vanitatis, | et cum iniqua gerentibus non introibo; | 5. odivi ecclesiam malignantium, | et cum impiis non sedebo; | 6. lavabo inter innocentes manus meas; | et circumdabo altare tuum, Domine; | 7. ut audiam vocem laudis | et enarrem universa mirabilia tua; | 8. Domine, dilexi decorem domus tuae | et locum habitationis gloriae tuae.

9. Ne perdas cum impiis Deus animam meam | et cum viris sanguinum vitam meam; | 10. in quorum manibus iniquitates sunt; | dextera eorum repleta est muneribus. | 11. Ego autem in innocentia mea ingressus sum, | redime me et miserere mei; | 12. pes meus stetit in directo; | in ecclesiis benedicam te Domine.

David probitatem suam coram Deo affirmat et vitae suae ratione probat; quare salutem efflagitat.

Psalmistam in calamitate quadam versari, ab impiis opprimi (cf. v. 9.10), patet quia immediate Deum alloquens efflagitat : *iudica me Domine*, ius meum tuere, ius meum mihi redde ; iam vero ex indole veteris foederis eiusque promissis vita felix et beata contingere debet viro probo (cf. Lev. 26. Deut. 28) ; quare se posse fidenter ad Deum iudicem recurrere ostendit ex vitae suae integritate : *quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*, ambulavi, vitam egi in integritate mea, Aq Hier in simplicitate mea, Sym ἐν ἀμωτότητί μου, quinta ἐν τῇ τελειότητί μου, ex hac vitae probitate ob divina promissa firmam capit fiduciam *et in Domino sperans non infirmabor*, Hier et in Domino confidens non deficiam ; hebr in Iahve spero, non vacillabo, sexta οὐ μὴ σαλευθῶ, simili notione Sym οὐ περιτραπήσομαι, non avertar, non perturbabor, et ita explica LXX οὐ μὴ ἀσθενήσω spes mea nullatenus imminuetur ; fortis manebo in fiducia. Atque fidenter provocat ad iudicium Dei v. 2 *proba me, Domine*, ut peritus argentarius, qui argentum et aurum explorat, et vide, an iniquitatis et fraudis ullius scoria in me resideat, *et tenta me*, periculum fac de me, ut quod in animo lateat prodatur ; *ure renes meos et cor meum*, excoque, examina et explora mentem meam, affectus meos motusque animi. Tanta vero fiducia tale examen a Deo postulare potest v. 3 *quoniam misericordia tua ante oculos meos est*, hebr חסד benignitas, gratia Dei ; semper ei obversabatur quam benigne Deus agat cum suis ; omnes enim viae Domini misericordia et veritas (24,10), *et complacui in veritate tua* hebr et ambulavi in veritate tua ; cf. 24,5 ; memor benignae Dei providentiae et gubernationis, seu misericordiae populo praestitae in omni vitae conditione et afflictione vitam instituit secundum veram normam a Deo in lege propositam.

Atque se non cum simulatione quadam sed in veritate versatum esse (*Eus.*), vitae ratione enarrata probat v. 4 *non sedi cum concilio vanitatis*, hebr, Hier cum viris vanitatis, cum viris iniquis, *et cum iniqua gerentibus non introibo*, verte non intravi, hebr cum occultis, qui in occulto dolos machinantur, quorum mores lucem fugiunt et vitant ; v. 5 *odivi ecclesiam malignantium*, coetum sceleratorum, *et cum impiis non sedebo*, non sedeo ; non eorum consuetudine seu familiaritate utor. Vario modo excludit ullum cum iniquis commercium. Dein affirmat se immunem, purum a culpa v. 6 *lavabo inter innocentes manus meas*, in innocentia (hebr, Hier), Aq. ἐν ἀθῳότητι, Sym. ἐν καθαρότητι lavo manus i. e. me purum a scelere profiteor (cf. Deut. 21,6. P. 72,13). Antequam ingrederentur tabernaculum testimonii, sacerdotes iubebantur manus et pedes lavare (Ex. 30,19) ; psalmista alludens ad hunc usum eiusque significationem indicans profitetur se pura mente acce-

dere ad sacra : *et circumdabo altare tuum, Domine* ; in midrasch tehillim refertur ex tractatu mischnico Succa, singulis diebus viros gestantes ramos cinxisse altare cantantes hosanna (p. 231).

De tali pompa nulla quidem mentio fit in lege ; at eius vestigium cerni potest Ps. 42 (41) 5 et 118,27 ; sacram saltationem ante arcam olim peregit David ; sacerdotes Baal circa altare transiliebant (3 Reg. 18,26). Quare ipsis psalmi verbis nobis patefit vel choros actos esse circa altare holocaustorum, vel solitos esse levitas circumstare altare, dum sacrificia offerebantur (*Ag.*) ; *ut audiam vocem laudis*, dum sacra fiebant, carmina cantabantur ; hebr ut audire faciam voce laudem, Hier ut clara voce praedicem laudem, et similiter Sym. quoque. Ipse itaque cantica laudis etiam cum ceteris canit ; ad quam acceptionem omnino congruit *et enarrem universa mirabilia eius*, in piis illis canticis, uti in psalmis, praedicantur et celebrantur magnalia et miracula Dei (cf. Ps. 135, 4-25 ; 134, 8-13). Psalmista se prodit cantibus sacris delectatum et deditum ; benedicite Dominum, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri (Ps. 133,1) ; psallite Deo nostro in cithara (Ps. 146,7) ; laudate eum in psalterio et cithara, laudate eum in tympano et choro etc. (Ps. 150,3). Atque quanta animi pietate sacris carminibus decantandis operam det, declarat v. 8 *Domine, dilexi decorem domus tuae*, hebr diligo habitaculum domus tuae (Hier), Sym. ἀνάκτορον (palatium regium) posuit ἀντὶ τῆς εὐπρεπείας (*Theod.*) *et locum habitationis gloriae tuae* ; cf. 3 Reg. 8,11 impleverat gloria Domini domum Domini et 2 Par. 5,14 ; 7,3. Quomodo David cantica sacra instituerit, vide 1 Par. 16,4 seq. 25,1 sq. 2 Par. 29,25 ; de canticis in dedicatione templi, vide 2 Par. 5,12.13 et 7,6.

Cum itaque tot proferre possit documenta probitatis et pietatis, merito orare potest v. 9 *ne perdas*, ne auferas (hebr, Hier) *cum impiis, Deus, animam meam*, me, vitam meam, *et cum viris sanguinum vitam meam*, cum iniustis oppressoribus (cf. Mich. 3, 2, 3 ; Ps. 5,7. Prov. 29,10) ; impii enim non dimidiabunt dies suos (Ps. 54,24). Atque viros sanguinum sensu generali de iniustis vexatoribus dici, ostenditur quoque declaratione facta in v. 10 *in quorum manibus iniquitates sunt*, manibus eorum turpe scelus (hebr) adhaeret, *dextera eorum repleta est muneribus*, iudices iniusti designantur, qui libenter munera accipiunt et corrumpuntur ad iura pervertenda ; quare munera accipere lege prohibitum erat iudicibus (Ex. 23,8. Deut. 16,19). Uti igitur a moribus illorum quam maxime remotus est, ita non poterit esse particeps sortis ac poenae eorum ; v. 11 *ego autem in innocentia mea ingressus sum*, verte ingredior, gradior ; vitam duco immaculatam ; redit precatio ad initium ; *redime me*, libera me a vexatione impio-

rum, *et miserere mei*, restitue mihi pro tua benignitate ius meum. Quare confidenter se tutam ac securam habere viam atque planam affirmat v. 12 *pes meus stetit in directo*, stat in plana via, ubi ingredi licet sine offendiculo, sine periculo; et pro tali securitate ac protectione divina *in ecclesiis benedicam te, Domino*; in coetibus ad Dei cultum celebrandum et laudes eius canendas institutis; pro variis occasionibus ac festis coetus sacer lege erat praescriptus (cf. Ex. 12,16. Lev. 23,3.7.21.24.27 35. Num. 28,18.25, etc., ubi scil. in hebr legitur מקרא קדש).

Ps. 26.

1. *Psalmus David — priusquam liniretur :*

Dominus illuminatio mea et salus mea | quem timebo? | Dominus protector vitae meae, | a quo trepidabo? | 2.dum appropiant super me nocentes, | ut edant carnes meas; | qui tribulant me inimici mei | ipsi infirmati sunt et ceciderunt. | 3. Si consistant adversum me castra, | non timebit cor meum : | si exsurgat adversum me proelium, | in hoc ego sperabo.

4. Unam petii a Domino, | hanc requiram; | ut inhabitem in domo Domini | omnibus diebus vitae meae; | ut videam voluptatem Domini, | et visitem templum eius; | 5. quoniam abscondit me in tabernaculo suo, | in die malorum protexit me; | in abscondito tabernaculi sui, | 6. in petra exaltavit me; | et nunc exaltavit caput meum | super inimicos meos. | Circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis; | cantabo et psalmum dicam Domino.

7. Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi — ad te :; | miserere mei et exaudi me. | 8. Tibi dixit cor meum : exquisivit te facies mea; | faciem tuam, Domine requiram. | 9. Ne avertas faciem tuam a me, | ne declines in ira a servo tuo; | adiutor meus esto, ne derelinquas me, | neque despicias me, Deus salutaris meus; | 10. quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, | Dominus autem assumpsit me. | 11. Legem pone mihi, Domine, in via tua | et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos; | 12.ne tradideris me in animas tribulantium me, | quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, | et mentita est iniquitas — sibi :; | credo videre bona Domini in terra viventium.

14. Exspecta Dominum, viriliter age, | et confortetur cor tuum et sustine Dominum.

David ope Dei munitus nihil esse timendum intrepido animo testatur exoptans ut in cultu sacro secure liceat versari; quare rogat, ut continuo Dei favore contra inimicorum insidias protegatur. — In titulo hebr non legitur illud πρὸ τοῦ χρισθῆναι, et iam *Theod.* immerito id addi affirmat neque reperiri in hexaplis.

Cum animi exsultatione benevolentissimum opitulatorem Deum

praedicat : *Dominus illuminatio mea*, lux mea (hebr, Hier), Aq Sym φῶς μου, i.e. felicitas, gaudium, prosperitas (*Calm.*) ; lucis metaphora favor, vita beata, laetitia declaratur, *et salus mea*, salutare meum (Hier), Aq Sym σωτήριόν μου, in quo scil. tota spes salutis reponitur, qui solus servare potest. Iam si Deus ut talis toto animi affectu compellatur et salutatur, quid magis consequens est quam ut triumphantis in morem exclametur *quem timebo*? ; si Deus pro nobis, quis contra nos (Rom. 8,31)? *Dominus protector vitae meae*, fortitudo (Hier), munimentum vitae meae, Aq quinta κραταίωμα, *a quo trepidabo*? Et quam merito has Dei laudes annuntiet, ostendit ex iis quae iam expertus est ; v. 2 *dum appropiant super me nocentes*, cum contra me appropinquarent facinorosi, *ut edant carnes meas*, ut me penitus perderent et opprimerent (cf. 13,3. Mich. 3,3), *qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt*, ipsi impegerunt et corruerunt ; « mea spe, ait, minime frustratus sum ; sic tuo auxilio fretus » (*Theod.*) ; me nihil contra eos aggrediente, ipsi viribus destituti corruerunt debellati lucis meae ac servatoris arcana virtute (cf. *Eus.*). Unde tali experientia edoctus laeto animo asserere potest v. 3 *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*, si totus quasi exercitus contra me unum in aciem progreditur, manebo impavidus ; exaggeratione quadam respicere videtur promissionem in lege datam : persequentur quinque de vestris centum alienos et centum de vobis decem millia (Lev. 26,8) ; imagine bellica vexationes inimicorum effert : *si exsurgat adversum me proelium*, bellum (hebr, Hier), *in hoc ego sperabo*, i.e. nihilominus, in ea quoque conditione plenus sum fiduciae ; per castra et proelium intelligit quidquid potest terrorem incutere (*Gen.*). Bene hebr. בוטח explicat Sym ἄφοβός εἰμι.

Ubinam praecipue se habitaturum esse in adiutorio Dei confidit? v. 4 *unam petii a Domine*, hanc requiram, explica ex hebr cum Hier : unum petivi, hoc requiro, hoc desidero, *ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae* ; cf. 22,6, ob quam repetitionem stichum hunc *Duhm* deleri vult, *ut videam voluptatem Domini*, τὴν τερπνότητα amoenitatem, Hier pulchritudinem. Sym τὸ κάλλος, Aq τοῦ ὁραματίζεσθαι ἐν εὐπρεπείᾳ, locum illum intelligit sacri tabernaculi, in quo maiestas quaedam divinae praesentiae relucebat (*Ag.*) et sollemnitates sacras et oblationes et pompam festivam, totam scil. pulchritudinem ac decorem cultus Domini, *et visitem templum eius*, ἐπισκέπτεσθαι τὸν ναὸν αὐτοῦ, Hier et adtendam templum eius ; hebr בקר Ez. 34, 11. 12 legitur notione curandi, curam gerendi, providendi ; unde desiderat et petit, ut rebus ad cultum pertinentibus provideat, vel ut *Theod.* explicat ἐπισκοπεῖν ἅπαντα τὰ κατὰ νόμον γινόμενα. Ergo ministerium

sacrum ei curae est et res sacras curare in beneficii divini loco habet. — Ceterum de usu et notione templi היכל vide 1 Sam. 1,9 ; 3,3 et Ps. 5,8.

In domo Domini, ubi Deus habitat in medio populo suo (Ex. 25,22. 3 Reg. 9,3. Ier. 7,7), maxima praebetur securitas ac protectio v. 5 *quoniam abscondit me in tabernaculo suo*, in umbraculo suo, *in die malorum protexit me*, lege : protegit me, *in abscondito tabernaculi sui*, in protectione tabernaculi, in tutela quam praebet tabernaculum, domus Dei et templum ; ibi quasi in arce seu in loco sublimi in tuto collocatur : *in petra exaltavit me*, exaltat me (cf. 17,3) ; estne allusio ad montem templi ? et *nunc exaltavit caput meum super inimicos meos*, hebr elevatur caput meum, Aq ὑψωθήσεται ἡ κεφαλή μου, quinta ὑψωθήτω, bene vertit Hier : super inimicos meos qui sunt in circuitu meo, item Aq ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς μου τοὺς περικύκλῳ μου, et eodem modo syr (LXX legunt sobabti ἐκύκλωσα, inde vulg circuivi). Et pro tali protectione sacrificia gratiarum actionis offert : *circuivi*, quae notio hoc loco non congruit ; nam qui offert, non circumit altare — *et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis*, hostias clangoris, hebr תרועה, sacrificia, in quibus tubis canebatur, uti Num 10,10 dicitur : canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis ; habetur graece lectio varians : θυσίαν αἰνέσεως καὶ ἀλαλαγμοῦ, Hier vertit hostias iubili (cf. 46,6 ascendit Deus in iubilo ; 88,16 ; 150,5) ; *cantabo et psalmum dicam Domino* : cf. 25,7 et 2 Par. 29,27 cum offerrentur holocausta, coeperunt laudes canere Domino et clangere tubis. In sacrificiis privatis vix probabile est tubis esse cantum ; quare hoc loco indicium habetur, non unum Davidem animi sui sensus aperire, verum per psalmistam voces et sensus exponi nomine piorum Dei cultorum.

Quae divina protectio ut continuo in futurum quoque concedatur, rogatur in subsequentibus v. 7 etc. Quare minime opus est hanc partem (cum *Duhm*, *Baethgen*) quasi fragmentum considerare alienum a psalmo antecedente, ac si in istis versibus plane alius in alia conditione positus loqueretur, ita ut sensus expressi nullatenus cohaererent cum iis qui v. 1-6 descripti essent. Sed nexus satis facile statui potest : nam quod v. 4 tam ardenter desiderat, idem nunc efflagitat iis verbis ab initio, quibus clare petitionem iam enuntiatam iterum in memoriam revocans instanter Deo commendat v. 7 *exaudi Domine, vocem meam, qua clamavi ad te*, Hier audi vocem meam invocantis, *miserere mei et exaudi me*. Quod desiderium etiam fortius declaratur v. 8 *tibi dixit cor meum*, tecum colloquitur cor meum, de te assidue cogitat ; *exquisivit te facies mea*, ita Sym. quoque habet σὲ ἐζήτει τὸ πρόσωπόν μου, intentio et studium meum ad te dirigitur, vultus meus, oculi mei te exquirunt ;

occupor in eo ut me tibi probem; hoc desiderium et haec mea inquisitio constans est: *faciem tuam, Domine, requiram*, favorem, gratiam tuam, tuam voluntatem et approbationem sedulo quaero et expeto. LXX hanc sententiam bis expresserunt: ἐξεζήτησά τὸ πρόσωπόν σου, τὸ πρόσωπόν σου, κύριε ζητήσω; hebr; tibi dixit cor meum: quaerite faciem meam, qui textus certe corruptus est. Bonus sensus habetur ex LXX tibi dixit cor meum (ad te loquor, te rogo), faciem tuam exquiro; et ita textus hebr erit emendandus; subtilius vertit *Baethgen*: tuum, dicit cor meum, est (verbum): « quaerite faciem meam ».

Hanc Dei gratiam sibi continuo praesto esse exoptat v. 9 *ne avertas*, ne abscondas (hebr, Hier) *faciem tuam a me*, ne mihi subtrahas tuum favorem, *ne declines in ira a servo tuo*, ne me a te reiicias; *adiutor meus esto*, hebr, Hier auxilium meum fuisti, ita quoque Aq βοήθειά μου ἐγένου, ratio affertur: eousque meum semper fuisti auxilium, inde fulcitur petitio: ne me repellas; quod semper mihi praestitisti, pro fidelitate tua praesta continuo; *ne derelinquas me neque despicias me*, hebr ne me repellas neque derelinquas me *Deus, salutaris meus*, Deus salutis meae scil. largitor, in quo tota spes salutis meae reponitur. Et quam verum sit in Deo salutem nostram collocari, exprimitur hebr conditione posita: etsi parentes mei me reliquerint, Dominus me colligit; et in hunc modum etiam accipe v. 10 *quoniam* (hebr כִּי conditionem quoque inducit) *pater meus et mater mea dereliquerunt me*, Dominus autem *assumpsit me*; sententia est eadem, quae habetur Is. 49,15 numquid oblivisci potest mulier infantem suum? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Amor Dei eiusque fidelitas fortior est illo affectu, quo fortiorem natura non novit, scil. affectu materno.

Ut autem mereatur protectionem divinam, rogat v. 11 *legem pone mihi, Domine, in via tua*, hebr, Hier *ostende mihi viam tuam*, seu doce me viam tuam, doce me, ut vitam agam sicut tu vis; nam qui in omnibus normam a Deo propositam sequitur, is habebit opem divinam; vita a culpis libera etiam requiritur, ne inimicis insidiatoribus occasio calumniarum praebeatur, *et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos*, vide ad 5,9. Et quam necessarium hoc sit, exponitur v. 12 *ne tradideris me in animas tribulantium me*, anima ponitur pro affectu animae; hic ergo: ne tradas me furori inimicorum meorum; *quia insurrexerunt in me testes iniqui*, testes falsi (Hier) *et mentita est iniquitas sibi*, iniqui in suam ipsorum perniciem mentiti sunt; hebr et (qui) efflat oppressionem; Aq sexta ἐξεφάνη ἀδικία, similiter Hier et apertum mendacium. Quamvis itaque falsi testes, calumniatores, et viri violenti contra eum insurgant, tamen firma fiducia

profitetur v. 13 *credo videre bona Domini in terra viventium*, in terra seu regione, in qua homines vivunt, ergo in vita hac mea ; cf. Ps. 51,7 emigrabit te de tabernaculo tuo et radicem tuam de terra viventium et Is. 38,11 ; infernus est regio mortuorum, haec nostra terra autem est terra viventium.

In hebr ponitur ab initio לוּלֵא nisi ; tunc explicandum est per aposiopesin : nisi crederem... (tunc perirem) cf. Ps. 118,92 nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea. At vocem illam iam antiqui Iudaei punctis superpositis delendam esse significarunt. LXX legebant solum לִי et referebant ad antecedens ἐχυτῇ ; inde in vulg. illud *sibi* in fine v. 12.

Concluditur psalmus generali exhortatione v. 14 *exspecta Dominum, viriliter age et confortetur cor tuum et sustine Dominum*, spera in Dominum ; simili modo fit allocutio et adhortatio ad totum fidelium coetum in fine Ps. 30.

Ps. 27

— Psalmus ipsi : David.

1. *Ad te, Domine, clamabo, | Deus meus, ne sileas a me ; | ne quando taceas a me | et assimilabor descendentibus in lacum.* | 2. *— Ex : audi, Domine, vocem deprecationis meae, | dum oro ad te, | dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* | 3. *Ne — simul : trahas me cum peccatoribus | et cum operantibus iniquitatem — ne perdas me ; | qui loquuntur pacem cum proximo suo, | mala autem in cordibus eorum.*

4. *Da illis secundum opera eorum | et secundum nequitiam adinventionum ipsorum ; | secundum opera manuum eorum tribue illis ; | redde retributionem eorum ipsis ;* | 5. *quoniam non intellexerunt opera Domini, | et in opera manuum eius destrues illos | et non aedificabis eos.*

6. *Benedictus Dominus, quoniam — ex ; audivit | vocem deprecationis meae ;* | 7. *Dominus adiutor meus et protector meus ; | in ipso speravit cor meum et adiutus sum, | et refloruit caro mea, | et ex voluntate mea confitebor ei.* | 8. *Dominus fortitudo plebis suae | et protector salvationum christi sui est.* | 9. *Salvum fac populum tuum — Domine : | et benedic hereditati tuae; | et rege eos et extolle illos usque in aeternum.*

David enixe efflagitat opem divinam pro se et retributionem inimicis suis debitam. Gratias agit pro exauditione et toti populo bona apprecatur.

Magna vehementia effunditur oratio : *ad te, Domine, clamabo*, clamo, *Deus meus*, hebr petra mea, quo titulo Deus ut firmissimum populi sui fulcrum ac subsidium declaratur ; cf. 17, 3 ; Hier fortis meus, ne obsurdescas mihi, *ne sileas a me*, ne sis quasi mutus ad cla-

morem meum, *ne quando taceas a me et assimilabor*, i. e. ne, si mihi non respondes, si petitionem meam negligis, similis fiam *descendentibus in lacum*, in orcum, ad inferos. Tanta est afflictio mea et persecutio ab inimicis mihi facta, ut vita mea summo sit periculo exposita et fere iam desperata, nisi tu cito iuveris. Et quantopere urgeat necessitas, declaratur v. 2 *exaudi, Domine, vocem deprecationis meae*, non tacita supplicatione, sed ministerio vocis Deum adit, dum clamo ad te (hebr), et insuper manibus elevatis, *dum extollo manus meas* ad sanctum sanctorum, ad oraculum sanctum tuum (Hier), ad intimum et sacratissimum templi locum manus protendens levat; quam instantissime Deum obsecrare desiderat; cf. Ps. 140, 2. Lam. 3, 41. Procul sit a me sors et poena impiorum v. 3 *ne simul trahas me cum peccatoribus*; vide ad 25, 9; describuntur isti *operantes iniquitaten* veluti vafri hypocritae: *loquuntur pacem*, amice, pacifice, cum aliis, dum tamen *mala in cordibus eorum* quam maxime versantur.

Iniquitas non debet serpere impune; quare petit a Deo, ut secundum iustitiam et ex norma retributionis in lege promissa cum impiis agatur v. 4 *da illis secundum opera eorum*, sicuti supplicia merentur, secundum *nequitiam adinventionum* seu actionum; cf. Is. 3, 11 vae impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei; Prov. 12, 14; 13, 6. 9. 18. 21. Atque iustam retributionem eo magis illis fieri convenit, quia iudicia Dei et supplicia impiis inflicta non attendunt v. 5 *quoniam non intellexerunt opera Domini*, Deus poenis impositis, sterilitate terrae, morte immatura, praedicatione prophetarum suam declaravit indignationem contra impios; at *in* eiusmodi *opera* potentiae Dei seu *manuum eius* mentem non dirigunt; cf. Is. 5, 12 opus Domini non respicitis nec opera manuum eius consideratis. Quare *destrues illos et non aedificabis eos* dicitur per modum proverbii; cf. Ier. 1, 10; 18, 7. 9; 24,6; 31, 28; duplici assertione ruina impiorum maxima cum emphasi et certitudine praedicitur: destrues illos sine spe futurae restaurationis; metaphora est ab aedificiis petita (*Gen*). At psalmista intelligit opus Domini; scit et confidit Deum tandem aliquando acturum esse ex norma iustae retributionis; quare hac certa spe innixus in Dei laudes prorumpit v. 6 *benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meae*; simili modo certa spes exauditionis ut iam praestita exauditio annuntiatur 6, 9; 19, 7; 25, 12. Quae si perpendantur, haec pars neque alteri poetae est adscribenda (uti *Duhm* vult), neque transitus videri potest abruptus et nimis repentinus. Hoc alterum evitare conantur aliqui coniungendo Ps. 25 et 27 in unum carmen choricum, in quo collocetur v. 6-9 post 25, 8-12. Deum animo grato celebrat; hebr Iahve (est) fortitudo mea et scutum

meum (Hier) : *Dominus adiutor meus et protector meus*. bene retinuerunt abstracta Aq. κράτος μου, θυρεός μου (scutum magnum, ianuae instar), Sym. ἰσχύς μου ὑπὲρ κεφαλῆς μου, *in ipso speravit cor meum et adiutus sum* ; ope divina impletur gaudio animus : et iubilat cor meum (hebr), et *refloruit caro mea*, σάρξ μου LXX, sed ἡ καρδία μου Aq Sym Theod quinta ; item ex LXX *et ex voluntate mea confitebor ei*, animo prompto et alacri, mea sponte offero ei hymnum (*Theod.*) ; hebr vertit Hier et in cantico meo confitebor illi, Aq. ἀπὸ ᾄσματός μου ἐξομολογήσομαι αὐτῷ, Sym ἐν ᾠδαῖς μου ὑμνήσω αὐτόν. Et tale praeconium statim effertur v. 8 *Dominus fortitudo plebis suae et protector salvationum christi sui est* et robur salutarium christi sui (Hier) ; mentione populi (ita LXX et hebr emenda לעמו pro לבו) et uncti (regis) iam ostenditur psalmum non esse precationem privatam, sed publicam, qua Deus imploratur, ut causam sui populi fortiter et efficaciter tueatur, et ut uncto regi munimentum sit salutis continuae. Idque variis titulis a Deo efflagitatur v. 9 salva populum tuum (hebr, Hier), primus est titulus quasi iuris, ut populus a Deo protegatur cf. Ex. 19, 5 ; vocatur populus Iahve, unde ex sententia gentium honor, opprobrium populi et Dei sui intime inter se cohaereant ; *et benedic hereditati tuae*, alter est titulus quo Dominus pro felici conditione populi maximam gerere debet curam ; et qualem habere debeat curam, statim exponitur *et rege eos*, hebr, Hier et pasce eos (cf. 23, 1 hebr) *et extolle illos usque in aeternum*, porta eos, Hier subleva eos, iuva eos, fove eos pro omni tempore futuro ; LXX et Aq ἔπαρον αὐτούς, Sym ὕψωσον αὐτούς, Is. 40, 11 (ex imagine pastoris? cf. Deut. 1, 31 hebr ; 32, 11 portavit in humeris suis) ; vel extolle i. e. exalta eos super hostes ; nam tua agitur gloria et honor nominis tui apud extraneos.

Ps. 28.

1. *Psalmus David. — In consummatione tabernaculi:*

Afferte Domino — filii Dei, | afferte Domino : filios arietum ; | 2. afferte Domino gloriam et honorem, | afferte Domino gloriam nomini eius, | adorate Dominum in atrio sancto — eius : |

3. *Vox Domini super aquas, | Dominus maiestatis intonuit, | Dominus super aquas multas ; | 4. vox Domini in virtute, | vox Domini in magnificentia ; | 5. vox Domini confringentis cedros, | et confringet Dominus cedros Libani, | 6. et comminuet eas tamquam vitulum Libani, | et dilectus quemadmodum filius unicornium ; | 7. vox Domini intercidentis flammam ignis, | 8. vox Domini concutientis desertum, | et commovebit Dominus desertum Cades ; | 9. vox Domini praeparantis cervos, | et revelabit condensa.*

Et in templo eius omnes dicent gloriam; | 10. *Dominus diluvium inhabitare facit,* | *et sedebit Dominus rex in aeternum.* | 11. *Dominus virtutem populo suo dabit; Dominus benedicet populo suo in pace.*

Tonitrua et fulmina praedicant maiestatem Domini. Introductione quadam v. 1. 2 admonentur angeli ad laudes Deo persolvendas. Dei maiestas tunc ita describitur, ut septemplici tonitru exhibeatur tempestas, quae orta super mare progreditur super montes et devolvitur in desertum relinquens potentiae suae documenta v. 3-9. Regis Domini maiestatem laudant omnes; ipse est protector populi sui v. 9-11. In hebr legitur solum : Psalmus David; neque aliter in hexaplis; graece ἐξοδίου σκηνῆς videtur usum liturgicum psalmi in fine festi tabernaculorum designare.

In hebr solum habetur v. 1 afferte Domino filii Dei, afferte Domino gloriam et honorem. Proponuntur angeli, testes et spectatores operis Dei in quo eius relucet maiestas; de angelis esse sermonem, indicatur ipsa dictione *filii Dei* ita abrupte illata (89, 7 hebr; cf. Iob 1, 6; 2, 1; 38, 7); ita explicat targum : tribuite laudem coram Domino coetus angelorum, filii Dei; idem suadetur v. 3 in ornatu sacro (hebr) et v. 9 omnes in palatio eius dicent gloriam. Exhibentur itaque angeli spectatores operis Dei eodem modo, quo sunt testes et spectatores fundationis terrae : cum iubilarent omnes filii Dei (Iob 38, 7). Legitur hebr אלים nomen in plurali ; debetne verti filii deorum ? ita vertit *Baethgen* ; at ceteroquin inauditum est mentionem fieri de filiis deorum. Neque necesse est ita vertere; cogita de אלהים ; dein pluralem cerni in utraque voce vide v. g. Is. 42, 22 בתי כלאים et 1 Chron. 7, 5. 2 Chron. 26, 14 et 2 Reg. 14, 14 hebr. Aliter explicat Hier : adferte Domino filios arietum (אלים pro אילים) et ita quoque syr; utramque versionem praebent LXX et vulg ; ad quam notat *Eus.* : « in hebr nequaquam effertur illud : afferte Domino filii Dei ; quare haec in LXX obelo notantur, quod neque in hebraico exemplari neque apud reliquos interpretes compareant » ; ex reliquis habet quinta υἱοὺς ἰσχυρῶν, sexta υἱούς+κρατειλων (sic !).

Admonentur itaque angeli : *afferte Domino gloriam et honorem*, ut laudibus celebrent gloriam Domini eiusque potentiam (hebr ; Hier imperium) ; bene hebr commemoratur potentia, quae in tonitru et fulmine adumbratur; repetito fit adhortatio : *afferte Domino gloriam nomini eius*, date ei gloriam nominis sui, talem gloriam, quam requirat nomen Dei, ipse Deus qui nomine praestantissimo Iahve ὁ ὤν populo innotescere voluit (Ex. 3, 14 et 6, 3). Gloriae significatio ex parte creaturae est cultus adorationis, qui prostratione exhibetur : *adorate Dominum* (prosternite vos, hebr) in decore sancto (hebr, Hier,

targum, et similiter Aq. ἐν διαπρεπείᾳ ἡγιασμένῃ, Sym ἐν εὐπρεπείᾳ ἁγίᾳ, quinta item, sed ἁγίου), quo ipse cultus sollemniore quo fieri potest modo exhibendus declaratur ; LXX, syr. vulg *in atrio sancto eius* (cf. הדרה ornatus ; חדר cubile).

Primum tonitru *vox Domini* auditur *super aquas* ; tempestas itaque e regione maris mediterranei appropinquat et auditur ; alii generatim concipiunt, uti (*Gen*). : « vox Domini, tonitru a Domino productum, e medio nubium percipitur et inter densas pluvias ; de meteoris et iis quae fiunt in coelo, vel alibi, et praecipuis fragoribus aeris terraeve, quorum effectio mirabilis est, sic loqui solet Scriptura, quoniam illorum causae ita occultae sunt, ut immediate et proxime et ex tempore a Deo fieri videantur, neque creatam ullam habere causam ; hinc Iob 38, 22 : Deus pater nivis et glaciei ; Ps. 134, 7 producens ventos de thesauris suis » ; explicatur clare vox Domini : *Deus maiestatis intonuit*, intonat, *Dominus super aquas multas* ; et crebro et fragore magno inter se excipiunt tonitrua v. 4 *vox Domini in virtute*, in fortitudine, *vox Domini in magnificentia*, in maiestate ; uti vehementi tonitru homo sacro quodam horrore afficitur, ita terribilis quaedam magnitudo et sublimitas Dei annuntiari videtur.

Tempestas a mari progreditur versus montes terrae v. 5 *vox Domini confringentis cedros*, *Gen.* : « est ubi *vox Domini* signet fulmen, quod coniunctum esse solet cum tonitru » ; bene Sym quoque habet συγκατεάξοντος ; et crebris ictibus cedros magnas prosterni, repetitione indicatur *et confringet*, confringit, *Dominus cedros Libani* ; arbores sunt altitudinem 25-40 m attingentes (*Hagen*, Lex. bibl. s. v.) ; explicatur quam merito dictum sit : vox Domini in virtute. Cedri fulmine percussae scinduntur in truncos et fragmenta : *et comminuet eas* ; at hebr depingitur, quomodo arbores cadentes impetu quodam repercutiantur : et facit eas subsilire sicut vitulum ; et crebris arborum casibus et quasi saltibus repercussionis ipsi montes subsilire videntur : Libanum et Schirjon tamquam pullum bubalorum ; nisi tremorem montium ad terrae motum quasi tempestatis socium referre malueris, vel montes explica de silvis montium. Nominatur hebr Schirjon, melius autem Sirjon, quod est nomen Hermon montis apud Sidonios (Deut. 3, 9). Poetica licentia saltus quidam ipsis montibus seu silvis tribuuntur ; hisce sane efficacissime depingitur, quanti effectus fulminibus et tempestate producantur. Verum si hae imagines subsilientium montium tibi nimis exaggeratae videntur neque placent, accipere poteris emendationem ab aliis factam : vox Iahve emittit flammas ignis — et facit eas salire instar vitulorum et agitat eas sicut pullos bubalorum ; emissiones et discursus in varias partes vibrati fulminum hisce com-

parationibus illustrantur, id quod magis accedit ad sobrium loquendi genus.

Textus LXX et vulg nequit intelligi; LXX v. 6 καὶ λεπτυνεῖ αὐτὰς ὡς τὸν μόσχον τὸν Λίβανον, etiam deterius vulg *et comminuet eas tamquam vitulum Libani*, LXX καὶ ὁ ἠγαπημένος ὡς υἱὸς μονοκερώτων legerunt non שריון sed ישרון quod est nomen ὑποκοριστικῶς usurpatum pro Israel (Deut. 32, 15; 33, 5. 26. Is. 44, 2); unde vulg *et dilectus quemadmodum filius unicornium*. Vertit Hier : et disperget eas quasi vitulus Libani, et Sarion quasi filius rinocerotis ; Aq. καὶ σκιρτώσει αὐτὰς, Sym. καὶ ὀργεῖσθαι ποιήσει αὐτὰς ὡς μόσχον Λιβάνου, quinta καὶ σκιρτοποιήσει αὐτὰς ὡσεὶ μόσχον.

De fulminibus explicite infertur mentio v. 7 *vox Domini intercidentis flammam ignis*, hebr diffindentis flammas ignis, seu exscindentis flammas i. e. fulgura. De montibus progreditur tempestas versus desertum v. 8 *vox Domini concutientis desertum*, tonitru tremere facit desertum ; cf. Ps. 113, 7 a facie Domini mota est terra ; Mich. 1, 4 Domino descendente scinduntur valles et Hab. 3, 6 montes conteruntur ; desertum potest dici concuti, tremere, quia animalia deserti tonitru pavefacta contremiscunt seque in latebras abdunt (*Ag.*) *et commovebit*, tremere facit, *Dominus desertum Cades*, est pars deserti Arabiae Israelitis nota ; uti v. 6 montes nominibus designantur, ita hic etiam certa pars deserti nominatur ; artis enim poeticae est imaginationi praebere imagines plane determinatas, et rei veritas exigit, ut tempestas sistatur in una regione clare circumscripta ; et qualiter animalia quoque tempestate afficiantur, exemplo ostenditur v. 9 *vox Domini praeparantis cervos*, ad partum praeparantis cervas, scil. terrore tonitruum perculsae partum citius fundunt ; vertit Hier : vox Domini obstetricans cervis, Aq. ὠδίνοντος ἐλάφους, quinta μαιευμένου ἐλάφους (cervas partu levantis), hebr parere facit cervas ; *et revelabit condensa*, denudat, decorticat condensa, arbusta, silvas ; fulmine arbores decorticari saepe contingit ; Hier vertit : et revelans saltus ; hebr decorticat silvas. At in deserto mentionem fieri silvarum satis mirum esse videtur ; silvae iam v. 5. 6 commemoratae sunt ; forma יערות est plane singularis ; post cervas potius exspectamus de alio aliquo animali fieri sermonem ; quare commendatur emendatio : יעלות et fugat rupicapras. Qui retinent : decorticat silvas, legunt in priore membro vocem אלה (pluralis : אילות ?) et explicant : quercus detorquet [1], facit quercus cadere (rotare ?).

1. *Utramque lectionem* (*de cervis et terebinthis*) *etiam praebet Midrasch tehillim* (*l. c. p. 245-6*).

Dum haec in regione terrestri geruntur, angeli hymnos laudis concinunt, uti v. 1. 2 admoniti sunt : *et in templo eius*, in palatio coelesti, *omnes dicent gloriam* ; manifestationem maiestatis ac potentiae divinae, quae in tempestate, in tonitru et fulguribus apparet, celebrant angeli, gloriam Domini conclamantes. Dubito, num recte configant ac deleant aliqui hanc partem tamquam ieiunam ac tenuem ; iis enim qui carmen stricto numero versuum vinciri ac determinari opinantur, iste stichus impedimento est. Uti Dominus olim supra diluvium in throno coelesti sedit, ita sese regem ac dominum continuo manifestat ; simili modo habet thronum suum supra tempestatem ; v. 10 Dominus diluvium inhabitare facit, sedit, thronum habuit, supra diluvium, *et sedebit Dominus rex in aeternum* et populo suo peculiarem curam impendet v. 11 *Dominus virtutem*, fortitudinem, robur, *populo suo dabit* ; *Dominus benedicet populo suo in pace* ; dominium Dei pro populo suo non est afferens vastationem, sed benedictionem et pacem.

Vocem Domini explicat *Eus.* sacram doctrinam in Scripturis contentam et praesertim praedicationem evangelicam, qua totus orbis, antea vacuus Dei cognitione ac pietate atque desertus, salubriter sit commotus. Etiam magis per singula *Theod.* applicationem prosequitur : vox Domini super aquas est vox Domini e coelo delata apud Iordanem ; super aquas multas : ubique baptismatis mysterium perficitur ; vox in virtute : congruentia his Actuum historia nos edocet ; confringet cedros : idola evertentur ; Libanus est Jerusalem : vitulus Libani est ille vitulus quem in Horeb fecerunt ; vox Domini dirimentis flammam ignis : apostolorum chorus accipit ignis speciem referentem Spiritus gratiam ; desertum concutitur : gentes convertuntur ; praeparat cervos : dedit potestatem calcandi super serpentes, et vanam philosophorum scientiam per idiotas redarguit etc.

In voce Domini et aquis multis cernit *Ag.* innumeros hostium exercitus contritos et fugatos variis in periodis historiae populi Dei ; in cedris homines superbos et principes fortes ; et insuper totum psalmum intelligendum esse vult de Christi victoria quae Dei voce perfecta sit, quae tam valide insonuerit verbo Dei et evangelica praedicatione, ut aquas multas gentilium perterrefecerit, cedros, terrenae potestatis culmina straverit ; in cervis agnoscit apostolos et martyres Ecclesiae etc.

Vox Domini super aquas ab aliis refertur ad vocem Domini : fiat firmamentum in medio aquarum et dividat aquas ab aquis Gen. 1, 6 et : extende manum tuam super mare et revertantur aquae super Aegyptios (Ex. 14, 26) et ad vocem Domini super Iordanem et ad Ioannem, vocem clamantis in deserto etc.

Ps. 29.

1. *Psalmus David. In dedicatione domus David.*

2. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, | nec delectasti inimicos meos super me; | 3. Domine Deus meus, clamavi ad te, | et sanasti me. 4. Domine, | eduxisti ab inferno animam meam, | salvasti me a descendentibus in lacum.*

5. *Psallite Domino sancti eius, | et confitemini memoriae sanctitatis eius; | 6. quoniam ira in indignatione eius, | et vita in voluntate eius; | ad vesperum demorabitur fletus, | et ad matutinum laetitia.*

7. *Ego autem dixi in abundantia mea: | non movebor in aeternum; | 8. Domine, in voluntate tua, | praestitisti decori meo virtutem; | avertisti faciem tuam a me, | et factus sum conturbatus. | 9. Ad te, Domine, clamabo, | et ad Deum — meum: deprecabor; | 10. quae utilitas in sanguine meo, | dum descendo in corruptionem? | numquid confitebitur tibi pulvis, | aut annuntiabit veritatem tuam?*

11. *Audivit Dominus et misertus est mei; | Dominus — factus: est adiutor meus; | 12. convertisti planctum meum in gaudium mihi, | conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia; | 13. ut cantet tibi gloria — mea: et non compungar, | Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi.*

Persolvitur actio gratiarum pro ereptione ex summo periculo, in quod David incaute prolapsus opem divinam imploraverat. Adnotat *R. Cornely*, Psalmorum Synopses, Paris 1899, p. 29 : « Iuxta inscriptionem (v. 1) Psalmus ad loci futuro templo destinati consecrationem recte refertur (cf. ergo 2 Reg. 24) ».

Non tam agi de unius periculo quam de calamitate quadam publica, qua ipsius populi ruina instare videbatur, suadetur ipsa illa v. 5 adhortatione ad omnes facta et v. 8 mentione montis in textu hebr. Ereptione ex discrimine percepta exclamat psalmista nomine omnium: *exaltabo te, Domine*, quia extraxisti me (hebr), seu in altum me levasti, quasi ex profundo miseriae puteo me hausisti; quare congrue dicitur *exaltabo te*; et altera ratio laudis Dei est, *nec delectasti inimicos meos super me*; quod in magni beneficii loco reputatur: effecisti, ne laetari possent de mea pernicie; tripudium enim et exsultatio inimicorum maximam addit misero afflictionem et sensum miseriae plurimum auget. Idque maxime valet, quando agitur de contentione inter nationes. Liberatio animo grato adscribitur Deo clamores suorum benigne suscipienti v. 3 *clamavi ad te et sanasti me*; recolitur in gratiarum actione magnitudo periculi v. 4, in tanto discrimine versabatur populus, ut interitus

eius instare videretur : *eduxisti*, ascendere fecisti, *ab inferno animam meam*, vitam meam, me ; *salvasti me*, vivificasti me, *a descendentibus in lacum*; magna calamitas quasi mors designatur ; cf. Os. 13, 1 Israel deliquit in Baal et mortuus est ; Deus dicitur vivificare, suscitare, quando populum periculo eripit (cf. Ez. 37, 1 seq. Os. 6, 2). Hier : vivificasti me ne descenderem in lacum ; ita Aq Sym targum quoque (qeri?) ; ceterum cf. 9, 4 ; 27, 1.

Pro qua liberatione debitae persolvendae sunt Deo laudes v. 5 *psallite Domino sancti eius*, pii Dei cultores, qui Dei benevolentiam et gratiam experti sunt ; *et confitemini memoriae* et laudate memoriam seu celebrate monumentum quod Deus suis operibus sibi condidit, ut exstaret memoria *sanctitatis eius*, quia sibi et nomini sancto suo id tribui debuit, ne populus interiret. Hac liberatione suae sanctitati memoriam et monumentum erexit ; nam ut sanctus debuit et reum castigare et populum suum electum eripere. Verum multo magis elucet eius in suos benevolentia, v. 6 quoniam ad momentum est ira eius (hebr, Hier), sym. ὅτι ἐπ' ὀλιγοστὸν ἡ ὀργὴ αὐτοῦ, indignatio eius per brevissimum quasi tempus durat ; *ira in indignatione eius* nequit intelligi, vel qui elici potest sensus, non est ad rem ; dum ira eius est solum per momentum, *vita in voluntate eius*, gratia eius et benevolentia durat per vitam, perennis est ; ita Is. 54, 7 ad punctum in modico dereliqui te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui ; Ps. 102, 9 non in perpetuum irascetur etc., misericordia autem ab aeterno et usque in aeternum. Et quam celeriter Deus suis in afflictione opem ferat, declaratur per modum proverbii : *ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum laetitia*, si vespere fletus contingat, mane iam adest laetitia (*Gen.*), qui vespere in fletu pernoctat, mane iam laetitia perfunditur (*Ag.*) ; cf. Is. 17, 14.

Iam psalmista mentem et oculos dirigit ad tempus praeteritum, ad occasionem calamitatis v. 7 *ego autem dixi in abundantia mea*, in quiete mea, dum omnia iucunde ac suaviter mihi fluerent, cogitavi mecum audacter mihi promittens stabilem securitatem ac felicitatem : *non movebor in aeternum* ; atque videbatur exsistere ratio huius confidentiae : v. 8 Domine, in beneplacito tuo posuisti monti meo fortitudinem (hebr, Hier), ita quoque Aq et sexta ; populus coece confidebat fieri non posse, ut Deus montem suum sanctum et populum periculo exponi permitteret. Similiter tempore Michaeae, Ieremiae populus sibi promisit securitatem : numquid non Dominus in medio nostrum ? non venient super nos mala ; nolite confidere in verbis mendacii dicentes : templum Domini (Mich. 3, 11 ; Jer. 7, 4). Pro הדרי legerunt LXX הררי unde v. 8 *Domine, praestitisti decori meo virtutem*, i. e. conditioni meae

florenti et rebus meis praeclaris *in voluntate tua*, secundum tuum beneplacitum, largitus es robur, rationem stabilem.

Verum incaute praesumentibus irruit calamitas: *avertisti faciem tuam a me*, favorem tuum mihi subtraxisti, hebr abscondisti faciem tuam, *et factus sum conturbatus*: firma est persuasio nihil calamitatis posse contingere nisi Deo ob culpam se avertente. In rebus arctis populus ad Deum clamat v. 9 *Deum meum deprecabor*, tuam gratiam implorare volo; iam Deo proponuntur rationes quibus ad opem ferendam moveatur. Neque enim quidquam lucri pro Dei gloria ex populi ruina exsurget v. 10 *quae utilitas in sanguine meo*, in morte mea quid lucri? *dum descendo in corruptionem*, in foveam, in sepulcrum. Neque enim in orco promovebitur laus et gloria Dei: *numquid confitebitur tibi pulvis? aut annuntiabit veritatem tuam?* cf. 6, 6. Is. 38, 18 non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: vivens, vivens ipse confitebitur tibi. In hebr continuatur precatio in v. 11 audi Iahve et miserere mei, Iahve esto adiutor meus; eodem modo Aq Theod Hier, syr, quinta, sexta, targum. Cum allocutio ad Deum etiam in v. 12 habeatur, uti in v. 10, etiam eam haberi in v. 11 neque modum loquendi subito interrumpi, assumendum erit; insuper longiorem texi orationem congruit rerum conditioni. Sed LXX, Sym, vulg statim subiungunt exauditionem v. 11 *audivit Dominus et misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus*; et quomodo factus sit adiutor, explicat v. 12 *convertisti planctum meum in gaudium mihi*, εἰς χορόν Aq Sym quinta, sexta, in chorum Hier): festiva saltatione celebratur liberatio: *conscidisti*, solvisti hebr, Hier *saccum meum*, vestimentum luctus lugubre et asperum, *et circumdedisti me laetitia*, accinxisti hebr, Hier: cf. Is. 61, 3: de choris et saltatione cf. Ex. 15, 20; 32, 19. Iud. 11, 34; 21, 21; 1 Sam. 18, 6. Jer. 31, 4 etc. Hoc autem beneficium nullo unquam tempore oblivioni dandum erit, *ut cantet tibi gloria mea*, anima mea; cf. 7, 6, et laus haec debet esse continua; ita hebr et non taceat; item Hier, Aq Sym Theod; syr canam tibi gloriam et non silebo; LXX οὐ μὴ κατανυγῶ, ut non doleam i. e. neque unquam me pigebit; *et non compungar*, neque unquam me poenitebit, nunquam intermittam laudes tuas (*Ag. Gen.*); nam hoc psalmistae enuntiatur propositum: *Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi*, laudabo te.

In Midrasch Tehillim refertur v. 2 ad exsilium babylonicum: exaltabo te quia extraxisti me ex captivitate babylonica, nec delectasti Medos et Persas super me. At v. 3 refertur ad tempus Machabaeorum: clamavi ad te in captivitate Graecorum; et sanasti me per Hasmonaeos eorumque filios; v. 5 intelligitur de filiis Mathathiae: exemplum ad v. 6 cernitur in historia Mar-

Ps. 30.

1. In finem, Psalmus David. — pro extasi:

timentibus te, | *perfecisti eis qui sperant in te,* | *in conspectu filiorum hominum;* | 21. *abscondes eos in abscondito faciei tuae* | *a conturbatione hominum proteges eos* | *in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.* | 22. *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam* | *mihi in civitate munita.* | 23. *Ego autem dixi in excessu mentis meae :* | *proiectus sum a facie oculorum tuorum;* | *ideo exaudisti vocem orationis meae,* | *dum clamarem ad te.*

24. *Diligite Dominum, omnes sancti eius,* | *—quoniam : veritatem requiret Dominus* | *et retribuet abundanter facientibus superbiam.* | 25. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum,* | *omnes qui speratis in Domino.*

David cum magna fiducia efflagitat opem divinam (v. 2-9), describens necessitatem et pericula cum repetita petitione (v. 10-19), demum concludit praeclara laude Dei et admonitione (v. 20-25). Graeco ἐκστάσεως nihil respondet in hebraeo.

Statim ab initio profitetur psalmista firmam suam in Deum fiduciam : *in te Domine*, collocavi refugium meum (חסה), *speravi*; et haec fiducia affertur tamquam ratio petitionis : ne Deus permittat, ut confundatur ; hebr אל *ne confundar in aeternum*, ne unquam, ne ullo tempore futuro erubescam, scil. oppressus ab inimicis ; quare *in iustitia tua*, secundum tuam iustitiam. secundum normam, qua bonis ac probis felicitas promissa est, *libera me*, salva me (Hier) et instanter id efflagitatur v. 3 *inclina aurem tuam, accelera*, velociter erue me ; afferuntur in hebr tituli Dei : esto mihi in saxum protectionis seu munimenti, in domum arcium, munitionum ad me salvandum ; Hier vertit : in lapidem firmissimum, in domum munitam, ut salves me ; LXX, vulg *in Deum protectorem, in domum refugii* ; cf. 17,3. Et ut talem Deus se debet praebere v. 4 quia petra mea et munitio mea tu es (hebr, Hier), *fortitudo mea et refugium meum* ; cum Deus eiusmodi nominibus notus sit et invocetur, iam eius agitur gloria in salute suis largienda ; unde sequitur *propter nomen tuum deduces me et enutries me* i.e. curam mei ages, Sym τηρελήσεις με, Aq διαβαστάξεις με, et qua ratione Deus debeat ducere et curam agere, exponitur in petitione v. 5 *educes me de laqueo*, de rete (Hier), *quem absconderunt mihi* ; me servabis ab occultis insidiis inimicorum, quia tu es munimentum meum (hebr), fortitudo mea (Hier), propugnaculum meum (*Gen.*). Et cum Deus sit talis, cum omni fiducia tamquam depositum ei committit atque apud eum deponit vitam suam v. 6 *in manus tuas commendo spiritum meum*, metaphora a depositariis petita (*Gen.*) ; atque vitam totumque se eo maiore fiducia Deo committit quia iam saepius Deum esse liberatorem expertus est : *redemisti me, Deus veritatis* « opportune et congruenter ad rem Deum veritatis vocat ; neque enim contingere potest, ut is qui in te speravit vel qui promissis tuis fidem habuit, spe

labatur » (*Eus.*). Monet *Theod.* mentem precantis esse considerandam, qui non ob propriam virtutem petat, verum propter Dei nomen et Dei iustitiam et quia in ipso speraverit. In v. 7 legitur hebr odi observantes vanitates (seu idola vana) ; sed legendum erit cum LXX, Hier *odisti observantes vanitates supervacue*, nam ita solum cum emphasi efferri intelligitur : *ego autem in Domino speravi*, Deus odio habet eos qui serviunt idolis vanis ; ab huiusmodi vana observantia longe abest, qui spem unice in Deo ponit et qui propterea merito opem divinam exspectare potest. Vanitates, vel halitus vocantur saepe idola, Deut. 32,21. Ier. 8,19 ; 14,22.

Et quia firma spe imbutus est, petit a Deo, ut sibi liceat exsultare, et hanc suam laetitiam iam profitetur certus de exauditione ac liberatione v. 8 *exsultabo et laetabor in misericordia tua*, secundum formam hebr אגילה etc. se ipsum excitat et exhortatur ad gaudium de divina gratia, benignitate חסד, Sym ἀγαλλιάσομαι ἐν τῇ χάριτί σου, *quoniam respexisti humilitatem meam*, afflictionem meam, cognovisti tribulationes animae meae (hebr, Hier) ; advertisti ad angustias meas, unde LXX vulg exprimunt efficaciam huius advertentiae seu cognitionis : *salvasti de necessitatibus animam meam* ; idque declaratur v. 9 *nec conclusisti me in manibus inimici*, non me tradidisti in potestatem inimici, pro angustiis et conclusione *statuisti in loco spatioso pedes meos* ; cf. 17,20 eduxit me in latitudinem ; locum tutum, securum mihi parabis.

Quaenam sint animae necessitates, declarat invocata misericordia Domini, v. 10 *miserere mei, quoniam tribulor* quia angustia mihi (hebr) ; *conturbatus est in ira oculus meus*, idem dicitur 6,8 ; prae moerore, moestitia oculus meus Aq ἠχμώθη squalidus factus est, Hier caligavit in furore oculus meus, Sym ἐδολώθη διὰ παροργισμόν ob irritationem, et *Theod.* deformatos oculos refert ad continuas lacrimas ; *anima et venter meus*, mens et corpus, animi curis et corporis angustiis premor (*Ag.*) ; v. 11 *quia defecit in dolore vita mea*, consumitur in moerore ; transiguntur *anni mei in gemitibus ; infirmata est*, labitur, impingit *in paupertate virtus mea*, hebr in iniquitate mea, ob peccatum meum fortitudo mea concidit, corruit robur meum (*Gen.*) ; Aq ἐν ἀνομίᾳ μου, idem Theod ; Sym διὰ τὴν κάκωσίν μου, targum in culpis meis ; agnoscitur afflictio ut poena peccati ; cf. 39,13 ; *et ossa mea conturbata sunt*, ossa, corporis fulcra languent ; magna designatur debilitas viriumque defectus, quibus declaratur magnitudo moeroris. Accedit opprobrium et contemptus v. 12 *super omnes inimicos meos factus sum opprobrium*, LXX παρὰ πάντας, hebr ex omnibus vel ab omnibus, Hier apud omnes ; neque solum ab inimicis, verum quod multo gravius

est *et vicinis meis valde*; aliis factus est causa et materia terroris *et timor notis meis*; eum tamquam virum a Deo percussum et tamquam malum omen timent, vitant, ne eius propinquitate consortes fiant maledictionis; *qui videbant me foras fugerunt a me*, qui videbant me in plateis (Hier), tamquam ab homine pestifero fugerunt. Qui antea amici mei et noti erant, mei iam non recordantur v. 13 *oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde*, a corde eorum memoria mei recessit; alii utique, inimici me non obliviscuntur, illis utique sum *vas perditum*, quod abiicitur et conteritur, tamquam res vilissima et penitus delenda. Et ita se haberi probat v. 14 *quoniam audivi vituperationem multorum*, calumniam, infamiam, hebr terror in circuitu; omnia circa me plena sunt terrore, insidiis; Sym ἤκουον γὰρ διαβολὴν πολλῶν (cf. Ier. 20,10 eadem verba hebr leguntur); *dum convenirent simul adversum me*, cum consultarent contra me, id consilii ceperunt ut me perderent; *accipere animam*, vitam mihi eripere, *consiliati sunt*, statuerunt.

Dum inimici talia contra me molirentur, v. 15 *ego in te speravi, dixi: Deus meus es tu*, v. 16 *in manibus tuis sortes meae*, in manu tua tempora mea, (hebr, Hier, et alii), vitae meae curriculum, dies et anni cum rerum vicissitudinibus. Agnoscitur universalis Dei gubernatio, cui psalmista se, prospera et adversa committit; *eripe me de manu inimicorum*; v. 17 *illustra faciem tuam* cf. 4,7; repetitur v. 18 precatio v. 2; *erubescant impii et deducantur in infernum*, hebr taceant ad infernum, pudore affecti obmutescant et descendant in orcum (targum); haec postulatio intelligitur ex norma retributionis, quae etiam ob oculos habetur in v. 19 *muta fiant labia dolosa*, labia mendacii (hebr, Hier) *quae loquuntur adversus iustum iniquitatem*, protervum (עתק vertitur 1 Sam. 2,3 μεγαλορημοσύνη; sed Ps. 75,5 et 94,4 ἀδικία) in *superbia et in abusione*, in insolentia et despectione, i.e. cum contemptu.

Eadem norma retributionis iustae obversatur menti psalmistae, dum iubilantis in modum exclamat v. 20 *quam magna multitudo dulcedinis tuae quam abscondisti*, reposuisti, apud te condidisti, *timentibus te*, et quam *perfecisti* praeparasti *eis qui sperant in te*; qui ad te confugiant; et haec exhibitio bonitatis divinae iis continget *in conspectu filiorum hominum*, palam, ad eorum honorem et Dei approbationem omnibus declarandam et ad confusionem inimicorum. Experientur bonitatem Dei insigni protectione v 21 *abscondes eos in abscondito faciei tuae*, in absconsione seu tutela, protectione (Hier) quam facies Dei, favor divinus, praebet (cf. 4,7; 15,11); *a conturbatione hominum*, ἀπὸ ταραχῆς a vexatione, Hier a duritia viri; ceterum hebr רכס incertum est; Sym ἀπὸ παραδειγματισμοῦ ἀνθρώπων, targum: a turbis virorum; *proteges*

eos in tabernaculo, cf. 26,5 *a contradictione linguarum*, a iurgio, a calumniis hominum.

Pro tali protectione gratiae et laudes Deo persolvuntur v. 22 *benedictus Dominus*, εὐλογητός, laudibus sit celebratus, *quoniam mirificavit misericordiam suam mihi*, miro, insigni modo mihi exhibuit benevolentiam, me scil. in tuto collocando, sicuti fieri solet *in civitate munita*: additur hoc quasi per similitudinem, sicut clare exhibet Sym ὡς ἐν πόλει περιπεφραγμένῃ, et est aptum quoque complementum ad v. 21 in tabernaculo et cf. 20 in abscondito faciei. Grato in Deum animo in memoriam sibi revocat quas sustinuit angustias v. 23 *ego autem dixi in excessu mentis meae*, in stupore meo (Hier), Aq ἐν θαμβήσει μου, Sym ἐν τῇ ἐκβλήξει μου, in perturbatione mea: *proiectus sum a facie oculorum tuorum*, quando eram in extrema tentatione putavi me esse reiectum: Sym ἐξεκόπην ἐξ ἔμπροσθεν τῶν ὀφθαλμῶν σου, excisus sum e conspectu oculorum tuorum, quinta ἐκβέβλημαι ἀπέναντι τοῦ ὀφθαλμοῦ σου. Verumtamen cum clamarem ad Dominum, exauditus sum; quod legitur *ideo*, non congruit; hebr אכן, profecto, at *exaudisti vocem orationis meae*, *dum clamarem ad te*, sicut descripta necessitate oravit in v. 15 seq.

Tali experientia edoctus concludit ad omnium institutionem v. 24 *diligite Dominum, omnes sancti eius*, illud *quoniam* non legitur hebr neque apud Hier: *veritatem requiret Dominus* LXX ἀλήθειαν ἐκζητεῖ: hebr, Hier fideles servat Dominus, item Aq πιστοὺς διατηρεῖ, item targum; exprimitur norma retributionis, scil. quomodo Deus se habeat erga fideles, probos; hos tuetur, servat, custodit (per auxesim, *Gen.* et simili modo explica vulg: requirit qui faciant veritatem, fidem ac fidelitatem servent, — dein quomodo se gerat contra superbos: *et retribuet abundanter facientibus superbiam*; τοῖς περισσῶς ποιοῦσιν ὑπερηφανίαν, Hier his qui satis operantur superbiam. Superbis enim resistit Deus 1 Petr. 5,5. Iac. 4,6; retribuet abundanter, uti v. g. dicitur Lev. 26,21 addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra, Ps. 78,12 redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum. Demum adnectitur v. 25 adhortatio, fere ut 26,14, quode vide; cf. Deut. 31,7. Ios. 1,6. 3 Reg. 2,2.

Ps. 31.

Ipsi David intellectus.

1. *Beati, quorum remissae sunt iniquitates,* | *et quorum tecta sunt peccata;* | 2. *beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum,* *nec est in spiritu eius dolus.* | 3.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, | *dum clamarem tota die;* | 4. *quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua,* | *conversus sum in aerumna — mea : dum configitur spina.* | 5. *Delictum meum cognitum* tibi : feci,* | *et iniustitiam meam non abscondi;* | *dixi : confitebor* adversum me : iniustitiam meam Domino;* | *et tu remisisti impietatem peccati mei.* | 6. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus* | *in tempore opportuno;* | *verumtamen in diluvio aquarum multarum* | *ad eum non approximabunt.* | 7. *Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me;* | *exsultatio mea, erue me a circumdantibus me.*

8. *Intellectum tibi dabo et instruam te* | *in via hac, qua gradieris;* | *firmabo super te oculos meos.* | 9. *Nolite fieri sicut equus et mulus,* | *quibus non est intellectus;* | *in camo et freno maxillas eorum constringe,* | *qui non approximant ad te.* | 10. *Multa flagella peccatoris,* | *sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* | 11. *Laetamini in Domino et exsultate iusti,* | *et gloriamini omnes recti corde.*

Confitentibus peccata tribuitur remissio et pax : in posterum prompte divinis monitis obsequantur. Vide Rom. 4,7.

Praedicat David beatitudines, statum ac conditionem felicissimam eorum qui veniam peccatorum a Deo impetrarunt. Ipsa venia declaratur eo quod scelus sit ablatum ; cf. נשׂא, et peccatum sit tectum, i.e. oculis subtractum, itaque invisibile, adeoque iam non exsistens ; dein ita in v. 2 ut Deus illud iam non cogitet, reputet (חשׁב) et demum, ut iam in mente illius non sit falsum quid. Quattuor itaque modis ablatio et deletio peccatorum vera exprimitur : peccatum aufertur ; fit invisibile ; Deus iam non reputat ; animus in quo antea erat peccatum iam nihil doli seu falsi continet. Exclamatio *beati*, hebr beatitudines (cf. 1,1) satis declarat psalmistam hanc in se felicitatem expertum esse et nunc grato animo recolere, qua tandem conditione ad eam pervenerit.

Et primo quidem fatetur, ut *Theod.* dicit, accepta plaga non statim medico vulnus se ostendisse, sed conticuisse tentantem illud occultare, v. 3 *quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea*, Hier attrita sunt ossa mea, marcida facta sunt; animi dolores et poenae corporalis morbi designatione exhibentur, uti 6,3.8 ; 30,10 ; *dum clamarem tota die* prae malis et animi afflictionibus, quibus tacens et non agnoscens peccata, afficiebar : clamare refertur ad dolores, tacere ad peccata. Et ratio clamoris et doloris affertur v. 4 *quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua*, castigatio ac percussio Dei, qua animus peccatoris mirum in modum cruciatur ablata pace et variis angoribus ac molestiis immissis; cf. 37,3 sagittae tuae infixae sunt mihi et confirmasti super me manum tuam ; *conversus sum in aerumna mea*, ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν, in aerumnam deveni, devolutus sum in miseriam (attende in vulg coniungi *in* promiscue quandoque cum ablativo loco accusativi et vice versa), *dum configitur spina*, dum mihi quasi aculeus

seu spina infigitur, ἐν τῷ παγῆναί μοι ἄκανθαν. LXX legerunt קוץ, hebr קיץ aestas ; vertitur hebr : sucus meus (robur meum) mutabatur in ardores aestatis, i.e. defecit, consumptus est ardoribus aestatis : vires meae aestu dolorum exhaustae sunt. Particulam comparationis exhibet Sym μετεστράφη μοι εἰς διαφθορὰν ὡς καῦσος θερινόν.

Cum silentium ac dissimulatio tantas mihi calamitates importaret, erranti mihi fuit medicina confessio (*Gen.*) v. 5 *delictum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi*, LXX τὴν ἀνομίαν, τὴν ἁμαρτίαν, firmum cepit propositum : *dixi : confitebor adversum me* κατ' ἐμοῦ, hebr, Sym Hier confitebor sceles meum Domino, et Sym ita adiungit sententiam ἵνα σὺ ἀφέλῃς τὴν ἁμαρτίαν μου, ut tu auferres peccatum meum, quae interpretatio laudatur ab *Eus.* ; at hebr et reliqui praebent *et tu remisisti impietatem peccati mei*, reatum, culpam peccati mei ; exemplum et rem ipsam vide 2 Reg. 12,13 et dixit David ad Nathan : peccavi Domino ; dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum.

Psalmista ex sua experientia conclusionem et admonitionem proponit v. 6 *pro hac* propter hoc, ideo *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*, hebr in tempore inveniendi, cf. Is. 55,6 quaerite Dominum, cum inveniri potest ; targum in tempore beneplaciti ; cf. Is. 61,2 ; Sym Hier orat omnis sanctus ad te tempus inveniens, ut cum inundaverint aquae multae, ad illum non accedant ; *verumtamen*, πλήν. praeterea oratione sua obtinebit pius cultor Dei) *in diluvio*, in inundatione *aquarum multarum ad eum non approximabunt*, aquae inundantes sunt calamitates ; et si tales irruunt, ad pium cultorem Dei non appropinquabunt, hebr רק potest reddi : tantum eum non attingent. En fructus orationis : venia et insignis protectio. Malis inundantibus securus ac tutus est חסיד expertus favorem divinum et exclamat v. 7 *tu es refugium meum*. Hier tu es protectio mea, *a tribulatione quae circumdedit me*, hebr ab angustia (ab hoste, Hier) custodies me ; *exsultatio mea, erue me a circumdantibus me* ; hebr vertit Hier : laus mea, salvans circumdabis me, uti habet Aq αἴνεσις μου. διασώζων περικυκλώσεις με, hebr plerumque vertunt : exsultationibus liberationis circumdabis me— at num Deus adducet amicos congratulantes ? quare aliqua emendatione opus erit, quam Aq Hier indicant, vel LXX ?

Quis loquitur in v. 8 ? veteres iam in medio relinquunt *Ag. Gen.* , ut vel Deum vel psalmographum audiamus admonentem ; recentiorum aliqui Deum (*Hoberg*, *Baethgen*) alii poetam (*Riehm*, *Duhm* etc. agnoscunt v. 8 *intellectum tibi dabo*, hebr docebo te (Hier doceam te *et instruam te in via* (*hac*) *qua gradieris* ; idque studio et cura assidua : *firmabo super te oculos meos*, « metaphora ducta ab iis qui erga ali-

quem bene affecti in ipsum respicere continuo volunt ; sic qui irascitur faciem avertere videtur, ita benevolentiam suam convertendo faciem ostendit » (*Theod.*). Lectio haec LXX est retinenda et secundum eam corrigit *Baethgen* textum mas., *Duhm* : consulam, dirigam oculos meos ad te (addit ad hebr LXX). Monet itaque, ut consilio suo obtemperent, ne per vim et verbera ad viam rectam revocari opus habeant et erudiri flagellis ; ne sint similes animalibus quae camo et freno ad rectum iter adiguntur (cf. *Ag.*) v. 9 *nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, in camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*, alias tibi non obediunt, ad tuum servitium non accedunt. LXX et Hier praebent *maxillas*, hebr ornatum habent Aq Sym targum ; ex voce assyriaca adû aliqui explicant de apparatu : in camo et freno (est eius ornatus (apparatus, Geschirr) ad domandum ; notionem superbiae putat *Baethgen* tribui posse voci : cuius superbia camo et freno domanda est. Qui Domino non serviunt, ei obsistunt, se ipsos onerant miseriis v. 10 *multa flagella peccatoris*, multi dolores (sunt) impio ; iterum indicatur norma retributionis : *sperantem autem in Domino misericordia circumdabit* ; gratia, benignitas. Quare exsultandum est probis ac piis, v. 11 *laetamini in Domino et exultate iusti, et gloriamini*, iubilate, *omnes recti corde* ; cf. 5,12 ; 63,11. De hoc psalmo vide Rom. 4,6 ; colligit apostolus ex primis verbis Deum largiri iustitiam sine operibus legis — atque revera psalmista non ad sacrificia legis, sed ad unius Dei misericordiam refert remissionem peccatorum.

Ps. 32.

— Psalmus David :

1. *Exsultate iusti in Domino,* | *rectos decet collaudatio ;* | 2. *confitemini Domino in cithara,* | *in psalterio decem chordarum psallite illi ;* | 3. *cantate ei canticum novum,* | *bene psallite — ei : in vociferatione,* | 4. *quia rectum est verbum Domini,* | *et omnia opera eius in fide ;* | 5. *diligit misericordiam et iudicium,* | *iudicium, misericordia Domini plena est terra.* | 6. *Verbo Domini coeli firmati sunt,* | *et spiritu oris eius omnis virtus eorum ;* | 7. *congregans sicut in utre aquas maris,* | *ponens in thesauris abyssos.*

8. *Timeat Dominum omnis terra,* | *ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem ;* | 9. *quoniam ipse dixit et facta sunt ;* | *ipse mandavit et creata sunt.* | 10. *Dominus dissipat consilia gentium* | *reprobat — autem : cogitationes populorum* | *— et reprobat consilia principum :* | 11. *consilium autem Domini in aeternum manet,* | *cogitationes cordis eius in generatione et generationem.* | 12. *Beata gens, cuius -est : Dominus Deus eius,* | *populus quem elegit in hereditatem sibi ;* |

13. *de coelo respexit Dominus,* | *vidit omnes filios hominum;* | 14. *de praeparato habitaculo suo respexit* | *super omnes qui habitant terram;* | 15. *qui finxit sigillatim corda eorum,* | *qui intelligit omnia opera eorum.*

16. *Non salvatur rex per multam virtutem* | *et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae :* | 17. *fallax equus ad salutem,* | *in abundatia autem virtutis suae non salvabitur.* | 18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum,* | — *et : in eis qui sperant super misericordia eius,* | 19. *ut eruat a morte animas eorum* | *et alat eos in fame.* | 20. *Anima nostra sustinet Dominum,* | — *quoniam : adiutor et protector noster est;* | 21. *quia in eo laetabitur cor nostrum* | *et in nomine sancto eius speravimus.* | 22. *Fiat misericordia tua, Domine, super nos,* | *quemadmodum speravimus in te.*

Laudes Deo dicuntur, tum ex opere creationis, tum praesertim ex eius de hominibus providentia et de cura sui populi. — In hebraeo non legitur ullus titulus. Iam *Eus.* vidit psalmum hunc arcte cohaerere cum praecedenti et quae dicantur ; exsultate iusti, referri ad eos qui per salutarem gratiam remissionem peccatorum consecuti sint. Et revera primus versus fere iisdem verbis orditur, quibus in v. 11 alter psalmus finitur. Poteris igitur duos psalmos in unum carmen choricum coniungere.

Admonentur iusti, ut iubilent in Domino, propter Dominum; ei itaque maxima cum laetitia praeconia dicant; cf. 31, 11 ; *rectos decet collaudatio*, laudes Dei celebrare convenit piis et probis, est eorum munus, neque enim est speciosa laus in ore peccatoris (Eccli. 15, 9), peccatori dixit Deus : quare tu assumis testamentum meum per os tuum (Ps. 49, 16) ; ut *Eus.* refert, vertit Aq τοῖς εὐθέσιν ὡραιοῦται ὑμνησις, rectis pulcra est cantatio. Et qualis laus deceat pios, monet psalmista v. 2 *confitemini*, laudantes gratias agite *Domino in citharа, in psalterio decem chordarum psallite illi,* in nablio decachordo ; imo duodecim chordas tribuit nablio Josephus (Ant. 7, 12, 3). Cantus igitur postulatur sollemnis in coetu magno instrumentis musicis sonantibus v. 3 *cantate ei canticum novum* cf. Is. 42, 10, ibi annuntiata sunt nova, unde novum quoque canticum apte postulatur; at qua ratione dicitur hic novum canticum ? pro novis beneficiis acceptis ? canticum admirabile, insolitum (*Ag. Gen*) ? Aliquid novi deprehendi potest in subsequentibus in laude de opere creationis, de providentia plane universali, de destruendis consiliis gentium. Ceterum fortasse intelligi potest canticum : cantemus denuo, iterum cum nova quadam animi erga Deum affectione et cum singulari laudis affectu. Ita dicitur novum canticum Deus in os immisisse post insigne beneficium collatum (39, 4); novum dicitur (95, 1), ubi cunctis gentibus maiestas Dei eiusque iudicium annuntiatur; item 97, 1 et 149, 1 ; at 143, 9 novum videtur referri ad beneficium quod psalmista efflagitat et pro quo novum can-

ticum se cantaturum spondet: *bene psallite ei in vociferatione*, in clangore tubae scil. cf. 26,6. En canticum hoc loco eo quoque novum est cum tot ei iungantur instrumenta musica.

Talis laus Deo persolvi debet v. 4 *quia rectum est verbum Domini* sincerum, verum, sine ullo dolo aut ulla fallacia, *et omnia opera eius in fide*, in fidelitate ; cf. Deut. 32, 4 Deus fidelis et absque ulla iniquitate, iustus et rectus; *diligit* iustitiam (hebr, Hier, Aq quinta) *et iudicium*, ubique ius valere vult; opera iusta et iudicia iusta ei placent: *misericordia Domini plena est terra*, חסד gratia eius et benignitate impleta est terra; cuncta enim communicatione quadam ac participatione eius bonitatis exsistunt et continentur (unde bene quinta τῆς χάριτος πλήρης ἡ γῆ). Praeclarum huius communicationis documentum est ipsum creationis opus v. 6 *verbo Domini coeli firmati sunt* facti sunt (hebr Hier, syr, Aq ἐποιήθησαν, Sym ἐγένοντο); alluditur ad modum narrandi in Gen. 1 : dixit Deus : fiat, et factum est (inde quoque originem ducit Memra in targumim), et *spiritu oris eius omnis virtus eorum*, spiritus oris eius est ipsum verbum, prolatum, quare hoc membrum ad verbum, mandatum, voluntatem Dei etiam refert omnem exercitum eorum, omnem ornatum eorum (Hier) ; at melius intelliges : omnes stellas, « quae exercitus instar ordinatae et et instructa acie progrediuntur » (*Ag.*) et *Gen.* notat : « Clemens alexandrinus in Protrept. et Hebraei intelligunt stellas in coelo tamquam in acie ordinatas ». E coelorum altitudine nos ducit ad considerationem profundi maris, ita complectens totum universum : *congregans sicut in utre aquas maris*, eas continuo colligens, posito scil. termino ne transirent fines suos (Prov. 8, 29); cf. 103, 9 terminum posuisti quem non transgredientur neque convertentur operire terram. Veteres omnes exprimunt כאד ἐν ἀσκῷ Sym ; textus mas. fert נד vallum, cum allusione ad Ex. 15,8 ; sed prius hoc loco unice consentaneum est: *ponens in thesauris abyssos*, dans, collocans in cellis promptuariis fluctus; habet Deus in thesauris, sicut nives et grandinem (Iob 38, 22), ita fluctus ; utrem et thesauros appellat maris locum et molem (*Gen.*) ; cf. Gen. 7, 11 rupti sunt omnes fontes abyssi magnae.

E consideratione operum Domini perveniendum est ad eius maiestatis venerationem v. 8 *timeat Dominum omnis terra, ab eo commoveantur omnes inhabitantes orbem*, prae reverentia formident, sacro quodam timore eum prosequantur et obstupescant ob eius potentiae magnitudinem, quae praeclaro modo ob oculos ponitur v. 9 quoniam *ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt;* cf. Gen. 1, 3. 6. 9. 11 etc. Uti res inanimatas suo imperio subiectas habet, ita consilia quoque et conatus gentium ; v. 10 *Dominus dissipat consilia gentium*,

dissolvit consilium gentium (Hier), irritum reddit; cf. Is. 8, 10 inite consilium et dissipabitur; loquimini verbum et non fiet; *reprobat*, inanes facit, *cogitationes populorum;* tertium membrum : *reprobat consilia principum*, alii non habent; solum ex sexta affertur λογισμοὺς ἀρχόντων. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt (93, 11); v. 11 *consilium autem Domini in aeternum manet, cogitationes cordis eius in generatione et generationem;* Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare ? et manus eius extenta, et quis avertet eam (Is. 14. 27) ? Quia igitur Dominus, Iahve, adeo est potens, merito *beata* praedicatur *gens* v. 12, cuius Deus est Iahve, *populus quem elegit in hereditatem sibi;* cf. Ex. 19, 5.6. Deut. 32,9. Ps. 46, 5; 67, 10. Quae hic leguntur v. 10-12, videntur dici de eventu simili ei, de quo agitur 47, 5-9.

Insigni modo exhibetur nobis divina providentia atque gubernatio v. 13 *de coelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum;* unusquisque ita oculis eius sistitur, ac si esset unicus terrae habitator : attente respicit « ita unico intuitu, ut nihil esset in singulis quod unicum illius aspectum fugeret (*Ag.*); v. 14 mutabilia immobiliter gubernat ita prospiciens de sua sede firma, ut ipse de sua immutabili natura nihil moveatur (*Ag.*). Et quomodo eum quidquam posset latere v. 15 *qui finxit sigillatim corda eorum*, fingens pariter per singulos corda eorum (Hier), LXX κατὰ μόνας ἀντὶ τοῦ ἀφωρισμένως, παρὰ τὰ λοιπὰ ζῶα (*Eus.*), *sigillatim*, singillatim (uti legitur apud *Aug. Ag.*) seu singulatim, unumquodque cor discretim creavit : « singula quaedam corda dans nobis » (*Aug. M.* 36, 296, et explicat : singillatim membra formata sunt omnia, singillatim habent opera sua); et qui finxit corda, pariter *intelligit omnia opera eorum;* « habes ergo omnipotentem, omnia scientem, omnia gubernantem, omnibus providentem, stabilem, firmum, immutabilem Deum » (*Ag.*).

Quomodo providentiam suam erga populum suum exhibet ? Ad hoc respondetur in subsequentibus ; et priore loco quidem docetur, in quanam re spes salutis ac liberationis non sit ponenda v. 16 *non salvatur rex per multum virtutem*, in multitudine exercitus (Hier) seu magnitudine exercitus (hebr), neque *gigas* in magnitudine roboris salvabitur, alia subsidia, quae homo accersit, pariter vana sunt : uno exemplo id demonstratur v. 17 *fallax equus ad salutem*, et in magnitudine roboris sui non salvabit (hebr); quamvis sit robustus, equitem suum tamen periculo non eripiet; Sym c') διασώσει; item sexta; syr non liberans sessorem suum; minus bene LXX vulg non salvabitur.

Vana salus hominum (59, 13); nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua et brachium

tuum et illuminatio vultus tui (43, 4) hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Domini invocabimus (19, 8) ; nunc positive docetur, ubinam sit salus v. 18 *ecce oculi Domini super metuentes eum*, cura assidua ac tenera — oculi duces in amore — est ei de piis, et de iis qui sperant gratiam eius, *ut eruat a morte animas eorum* et vivificet eos in fame (Hier) ; piis suis cultoribus qui spem suam in gratia et benignitate Dei collocant, providet, ne periculo mortis neve annonae inopiae exponantur. Fitne allusio ad liberationem a peste et fame, vel tempore invasionis, obsidionis hostilis ad liberationem a gladio et fame ? Impiis quippe multoties pestem, gladium, malas bestias, famem minatur; cf. Deut. 32, 23-25. Ier. 24, 10; 29, 17. Ez. 5, 12.

Cum haec sit Dei agendi ratio cum suis, reliquum est, ut omnes plena fiducia se Deo committant. Hunc animorum sensum nomine omnium psalmista exprimit v. 20 *anima nostra sustinet Dominum*, exspectat Dominum fiducialiter; anima nostra, id est : nos, vel hic potius ad animi affectum designandum et intimum desiderium; et ratio affertur : auxilium nostrum et clipeus noster est (hebr. Hier); LXX et vulg *adiutor et protector noster est*, et in tali adiutorio *laetabitur cor nostrum et in nomine sancto eius speravimus ;* modo enim auxilium, clipeus, alias petra, saxum, arx, munimentum appellatur, quibus appellationibus unum illud nomen essentiale, Iahve, aliqua ratione in sua pro populo significatione declaratur. Concluditur : *fiat misericordia tua*, hebr gratia tua, *super nos, quemadmodum speravimus in te*, sicuti speramus in te (perf. hebr notione praesentis temporis ad designandum statum permanentem, vel actionem saepe repetendam). Sensus est : speramus in te; ergo fiat nobis tua gratia. Subtilius mihi videtur, quod *Ag.* sentit : « ut ad spei rationem misericordiae quoque mensura reddatur » — ut ita largiatur Deus quemadmodum sperant. Vix puto precantibus talem commensurationem in mentem venire, neque eos, si venerit, eam efflagitaturos esse, sed potius, ut Deus ultra mensuram spei nostrae nobis propitius sit : adauge fidem, adauge spem, ita oramus ! vix quisquam petierit : da mihi tantum, quantum meretur spes mea !

Ps. 33.

1. *David, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum et abiit.*

2. א *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo.* | 3. ב *In Domino laudabitur anima mea : audiant mansueti et laetentur,* | 4. ג *Magnificate Dominum mecum,* | *et exaltemus nomen eius in idipsum.* | 5. ד *Exquisivi Domi-*

num et exaudivit me | *et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* | 6. ה *Accedite ad eum et illuminamini* | *et facies vestrae non confundentur.* | 7. ז *Iste pauper clamavit et Dominus — ex : audivit — eum :* | *et de omnibus tribulationibus eius salvavit eum ;* | 8. ח *immittet angelus Domini* | *in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* 9. ט *Gustate et videte quoniam suavis — est : Dominus ;* | *beatus vir qui sperat in eo.* | 10. י *Timete Dominum — omnes : sancti eius,* | *quoniam non est inopia timentibus eum.* | 11. כ *Divites eguerunt et esurierunt,* | *inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

12. ל *Venite filii, audite me ;* | *timorem Domini docebo vos.* | 13. מ *Quis est homo qui vult vitam* | *diligit dies videre bonos ?* | 14. נ *prohibe linguam tuam a malo* | *et labia tua ne loquantur dolum ;* 15. ס *diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.* | 16. ע *Oculi Domini super iustos* | *et aures eius in preces eorum ;* | 17. פ *vultus—autem : Domini super facientes mala,* | *ut perdat de terra memoriam eorum.* | 18. צ *Clamaverunt — iusti : et Dominus — ex : audivit — eos :* | *et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.* | 19. ק *Iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde* | *et humiles spiritu salvabit.* | 20. ר *Multae tribulationes iustorum* | *et de omnibus his liberabit eos Dominus ;* | 21. ש *custodit — Dominus : omnia ossa eorum,* | *unum ex his non conteretur.* | 22. ת *Mors peccatorum pessima,* | *et qui oderunt iustum delinquent.*

23. *Redimet Dominus animas servorum suorum* | *et non delinquent omnes qui sperant in eo.*

Inscriptione refertur psalmus ad eventum 1 Reg. 21, 10-15 narratum. In ipso carmine directe nihil indicatur de illa re gesta ; sed habetur solum gratiarum actio de liberatione a magno periculo concessa (v. 5-9).

In hoc psalmo alphabetico (v solum deest) laudatur Deus de ope praestita cum invitatione, ut alii socios se praestent laudis et inde bonorum consortes fiant (v. 2-11). Dein psalmista plene induit personam doctoris religionis : dicite iusto quoniam bene : vae impio in malum (Is. 3, 10. 11).

Ex ope praestita (v. 5) bonam infert David poeta conclusionem, quam v. 2-4 enuntiat : Deum continuo, quasi sine intermissione laudare vult ; id ergo assignat negotium suum praecipuum, maxime excellens : quare v. 3 hebr in Iahve gloriatur anima mea ; laudes et praeconia eius annuntio et me ipsum beatum dico ob Dei opem ac benignitatem : haec omnia audiunt *mansueti*, afflicti et laetabuntur ; ex mea experientia scil. spem concipiunt auxilii Dei mox futuri, et inde laetitiam. Quare v. 4 *magnificate mecum, in idipsum* i. e. pariter (Hier), exaltemus nomen eius una, simul omnes. Apposite statuitur ad omnium doctrinam, precibus praemissis secutam esse liberationem v. 5 *exquisivi Dominum* etc., hebr ex omnibus terroribus meis eripuit me. Monet, ut ex sua experientia capiant utilitatem v. 6 *accedite ad Deum*, respicite ad eum (Hier), et ita quoque Aq προσέλθατε et ita cum LXX

etiam hebr emendant (*Baethgen*, *Duhm*) ; legitur hebr tertia persona pluralis. Si oculos vestros direxeritis ad Dominum, *illuminamini*, hebr gaudio splendetis, nacti scil. opem divinam et precum exauditionem, et ab omni ignominia seu confusione (coram inimicis) tuti estis.

Et quam verum hoc sit, confirmat narratione v. 7 in qua suam ipsius refert historiam tecto nomine quasi de alio quodam v. 7 *iste pauper clamavit* ; et qua ratione vir probus servetur, decclaratur v. 8 *immittet* est translatio vocis παρεμβάλλειν, qua voce edicitur : castra ponit (uti hebr) *angelus Domini in circuitu timentium eum*, undique eos tuetur angelus, vel uti Hier vertit : circumdat angelus Domini in gyro timentes eum ; cf. Ios. 5,14 angelus, princeps exercitus Domini, castrametatur circa Dei cultores, sicut angelus populum praecessit ac custodivit (cf. Ex. 23,20 ; 32,34). En, si Deus angelum mittit ad eruendum iustum, nonne concludendum est v. 9 *gustate et videte*, *quoniam suavis*, bonus, benignus, *est Dominus*, colite eum ; et fructus verae pietatis est : *non est inopia timentibus eum* ; homines violenti, hebr leones egent et esuriunt. LXX vulg *divites eguerunt et esurierunt*, cum divite haud raro iungitur notio impii, seu hominis sibi sufficientis parumque de Deo et de pietate curantis ; *inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, explica : quaerentibus Dominum non deest ullum bonum, vel pii nullo carebunt bono. In hebr colligitur sensus : fieri potest et fit, ut leones (adeo agiles, potentes egeant et esuriant (cf. Iob 4,11), at pii nullo carebunt bono.

Modum loquendi sapientis (Prov. 1,8 ; 4,1 etc.) nunc assumit v. 12 timorem Domini, pietatem, religionem se docturum promittit. Exordium ponit ad animos alliciendos aptissimum. Omnes enim quam maxime (ipsa natura duce) optant felicitatem v. 13 *quis est homo qui vult vitam*, scil. beatam, *diligit dies videre bonos* ? hebr qui delectatur vita, diligens dies ad videndum bonum ? Si itaque vitam beatam desideras, v. 14 *prohibe*, custodi (hebr. Hier) *linguam tuam a malo* ; una scil. re, iusta et recta vita, acquiri potest felicitas ; hanc vitae rectitudinem describit recto sermone, vitatione mali, operatione boni : *et labia tua ne loquantur dolum*, hebr et labia tua (custodi) a loquendo fallaciam ; v. 15 recede *a malo et fac bonum*, *inquire pacem et persequere eam* studiose eam sectare et eam ubique retinere nitere, diligenter fove pacem, concordiam, animorum unionem « universa lex his versiculis continetur » (*Gen.*).

Et ad recte vivendum efficaciter invitat ostenso discrimine sortis bonorum et malorum v. 16.17 : *oculi Domini super iustos*, continuo gerit teneram eorum curam (32,18) ; *aures eius in preces eorum*,

« clamabis et dicet : ecce adsum » (Is. 58,9) ; declaratur magna attentio Dei et promptitudo ad explenda desideria iustorum. Plane diversa est sors malorum v. 17 *vultus autem Domini super*, lege et explica, contra *facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*, ita excidentur, delebuntur, ut ne eorum memoria quidem maneat ; spes posteritatis adimitur ; cf. 9,6, 7 ; 20,11 ; 108,13 ; delentur de terra Israel, ut in censu illius nullum nomen ex illorum genere ac familia censeatur, id quod exsecrabile illi populo ac dirum supplicium videbatur (*Ag.*). In LXX et vulg legitur v. 18 *clamaverunt iusti*, unde ordo versuum 16.17 retineri potest ; hebr, Hier : clamaverunt, *Dominus exaudivit eos* ; ita collocare oportet 17.16 ; exponitur v. 16 (ס poni ante ע habes quoque Lam. 2.3.4). Fieri quidem etiam solet, ut iusti affligantur ; verum Deus iis minime opem subtrahit ; nam v. 19 *iuxta est*, prope est, *iis qui tribulato sunt corde* et confractos spiritu salvabit (hebr, Hier), qui tristitia et moerore animos gerunt afflictos ; etsi in multas incidant tribulationes, v. 20, certam enuntiat psalmista spem fore ut *ex omnibus* eos eruat Dominus ; imo v. 21 *custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*, nullum confringitur ; de peccatoribus dicitur : brachia peccatorum conterentur (36,17) i. e. eorum robur ac potestas peribit ; iustis ergo integram, perfectam incolumitatem servabit Deus. Aliter agitur cum impiis v. 22 (hebr, Hier) interficiet impium malitia ; immatura morte abripietur (54,24) ; et odio habentes iustum poenas luent. Uti 24,22, ita hic quoque alphabeto finito additur versiculus a ס incipiens v. 23 ; forte ne psalmus comminatione finiatur.

Ps. 34.

1. *Ipsi David.*

Iudica, Domine, nocentes me, | expugna impugnantes me ; | 2. apprehende arma et scutum, | et exsurge in adiutorium mihi ; | 3. effunde frameam et conclude adversus eos qui persequuntur me, | dic animae meae : salus tua ego sum. | 4. Confundantur et revereantur quaerentes animam meam, | avertantur retrorsum et confundantur cogitantes mihi mala ; | 5. fiant tamquam pulvis ante faciem venti, | et angelus Domini coarctans — eos : | 6. fiat via illorum tenebrae et lubricum, | et angelus Domini persequens eos : | 7. quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, | supervacue exprobraverunt animam meam. | 8. Veniat illi laqueus quem ignorat | et captio quam abscondit apprehendat eum, | — et : in laqueum cadat in ipsum. | 9. Anima autem mea exsultabit in Domino | et delectabitur super salutari suo ; | 10. omnia ossa mea dicent : Domine quis similis tibi ? | eripiens inopem de manu fortiorum eius, | egenum et pauperem a diripientibus eum.

11. *Surgentes testes iniqui* | *quae ignorabam interrogabant me ;* | 12. *retribuebant mihi mala pro bonis,* | *sterilitatem animae meae.* | 13.*Ego autem cum mihi molesti essent, inducbar cilicio ;* | *humiliabam in ieiunio animam meam,* | *et oratio mea in sinu meo convertetur ;* | 14.*quasi proximum et quasi fratrem nostrum sic complacebam,* | *quasi lugens et contristatus, sic humiliabar.* | 15. *Et adversum me laetati sunt et convenerunt,* | *congregata sunt super me flagella et ignoravi ;* | 16. *dissipati sunt nec compuncti,* | *tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione,* | *frenduerunt super me dentibus suis.* |

17. *Domine, quando respicies?* | *restitue animam meam a malignitate eorum,* | *a leonibus unicam meam ;* | 18. *confitebor tibi in ecclesia magna,* | *in populo gravi laudabo te ;* | 19. *non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique,* | *qui oderunt me gratis et annuunt oculis ;* | 20. *quoniam mihi quidem pacifice loquebantur,* | *et in iracundia* terrae loquentes : dolos cogitabant ;* | 21. *et dilataverunt super me os suum,* | *dixerunt : euge, euge, viderunt oculi nostri.*

22. *Vidisti Domine, ne sileas ;* | *Domine ne discedas a me ;* | 23. *exsurge et intende iudicio meo,* | *Deus meus et Dominus meus in causam meam ;* | 24. *iudica me secundum iustitiam tuam, Domine Deus meus,* | *et non supergaudeant mihi ;* | 25. *non dicant in cordibus suis : euge, euge, animae nostrae,* | *nec dicant : devoravimus eum ;* | 26. *erubescant et revereantur simul qui gratulantur malis meis,* | *induantur confusione et reverentia qui magna loquuntur super me.* | 27. *Exsultent et laetentur qui volunt iustitiam meam, et dicant semper ;* | *magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi eius ;* | 28. *et lingua mea meditabitur iustitiam tuam* | *tota die laudem tuam.*

Instanter petit David, ut Deus inimicos dissipet eosque pro malitia puniat in gaudium petentis et in laudem Dei (v. 1-10) ; dein exponit pravitatem inimicorum insertis obsecrationibus, ut Deus opem ferat, ne fiat illis in irrisionem (v. 11-28).

David causam suam Domino quasi potenti bellatori (Ex. 15,3) commendat : litiga, Domine, cum litigantibus mecum (*Gen.*), ita hebr : *iudica nocentes me*, in lingua vulgari latina nocere aliquem, noceri dicitur (cf. Num. 5,19 ; Sap. 14,29 ; Apoc. 11,5 ; vide lexica) ; *expugna impugnantes me*, Hier pugna contra pugnantes me. ita imitatur hebr ; Deum bellatorem invocat v. 2 aprehende clipeum et scutum ; scil. arma ad tegendum apta minora et maiora ; צנה scutum totum tegens corpus dicitur ; Dominus egredietur sicut vir proeliator (Is. 42,13) ; quare exhibetur armis instructus ad defendendum aptis et ad aggrediendum : *exsurge in adiutorium mihi*, vel (hebr ב essentiae) tamquam auxilium meum ; v. 3 evagina gladium (Hier), hebr potius : exprome lanceam ; *effunde frameam*, exprome hastam ; framea autem hoc loco dicitur pro ῥομφαία, pro gladio magno et lato, *et conclude adversus eos qui persequuntur me*, Hier praeoccupa ex adverso persequentem me ; LXX σύγκλεισον, Aq Sym Theod quinta περίφραξον ἐξ ἐναντίας, conclude viam et perge in occursum persequentium me ; alii durio-

rem hanc ellipsin evitantes assumunt novam vocem סָגַר σάγαρις, bipennis, securis utrimque habens aciem (in usu apud Persas, Scythas, num apud Hebraeos?) : exsere lanceam et bipennem contra persequentes me (*Duhm*) ; *dic animae meae*, mihi, *salus tua ego sum* ; dicere apud Deum est facere : dixit et facta sunt ; unde : salva me.

Et quomodo cupiat audire a Deo et experiri : salus tua ego sum, sequentibus exponit v. 4 *revereantur* pudefiant, erubescant, hebr ignominia afficiantur *quaerentes animam meam*, insidiantes vitae meae ; fac, ut confundantur, ut *avertantur retrorsum*, victi retrorsum eant et repellantur cum ignominia ; v. 5 *fiant tamquam pulvis*, celeriter abripiantur (ne mala moliri possint), dum *angelus Domini* eos coarctet, impellat (Hier) ; in fuga autem alia iis mitte impedimenta v. 6 *fiat via illorum tenebrae et lubricum*, ut errent, offendant, cadant, dum *angelus Domini* eos persequatur. Cur eiusmodi poenas mereantur, exponitur aliquatenus v. 7 sine causa mihi insidias struxerunt : *quoniam gratis*, nulla mea culpa, nihil a me laesi, occulte tetenderunt mihi laqueum perniciosum ; hebr absconderunt mihi rete suum ; gratis foderunt foveam animae meae, me tamquam feram capere et perdere volebant. In hebr שחת fovea facile suo loco reponitur ; sed versiones eam vocem retinent ante rete suum ; unde vulg *interitum laquei sui* LXX, Sym διαφθοράν, Hier, insidias retis ; quare in altero membro « fodere » explicarunt : *exprobraverunt animam meam*, Aq διέρρηξαν τὴν ψυχήν μου, Sym ὑπώρυξαν, fodere discindere? LXX ὠνείδισαν, חרף loco חפר ?. Cum emphasi effertur bis gratis, sine ulla causa, talia eos fecisse.

Quare iustam retributionem expetit v. 8 *veniat illi laqueus*, pernicies, improviso, inopinato ; ita hebr : non scit, interpretaberis, *et captio*, et rete suum quod abscondit (hebr, Hier) *apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum*, quasi repetitionis causa additur in ipsum scil. incidat, hebr. in perniciem cadat in eam (intro?). Legem igitur talionis invocat contra adversarios, modo plures, modo collective unum nominat. LXX tamen in v. 8 ubique pluralem habent, uti *Theod.* quoque ; singularem efferunt cum hebr Aq Sym Hier, singularis quoque legitur in editione *Eus. Theod.* Altera pars retributionis pro psalmista qui ita oppugnatur : v. 9 *anima mea exsultabit*, ego autem iubilabo et gaudebo de salute a Domino accepta ; v. 10 *omnia ossa mea dicent* : totus homo, anima et corpus, pro sua quisque parte sentient opem divinam ; quare Dei laudes annuntiantur : *quis similis tibi*? Sine ulla comparatione, infinite maior omnibus ; qui suam potentiam et benevolentiam et iustitiam praeprimis manifestat : *eripiens inopem*, afflictum, *de manu fortiorum eius*, a validiore et pauperem et mendicum a

violento (Hier) hebr et afflictum et pauperem a diripiente eum. Curam oppressorum Deus agit.

Iam incipit ulterius exponere malitiam inimicorum ; « redit ad sua mala narranda » (*Ag.*) v. 11 duo genera malorum hebr nominat : surgunt testes iniuriae seu violentiae, testes falsi committentes violentiam et iniuriam falso testimonio ; dein calumniatores : *quae ignorabam, interrogabant me*, me de criminibus rebusque, quae nunquam mihi in mentem venerant, interrogabant, seu inquisierunt ; hebr etiam intelligi potest : ea quae ignorabam, a me exigebant vel postulabant ; scil. diripientes seu spoliantes illi (v. 10) debita a me exigebant, quorum nihil mihi conscius eram (ita *Duhm*), quam nonnullorum veterum acceptionem *Ag.* non probat, quia propter surgentes testes censet de solis iudiciis forensibus agi ; ex textu hebr, syr id non necessario sequitur. LXX, targum, Hier, habent solum (uti vulg) surgentes testes.

Aliud habet gravamen : v. 12 *retribuebant mihi mala pro bonis* ; quod additur *sterilitatem animae*, habet quidem hebr, LXX, ἀτεκνίαν. Aq ἀτέκνωσιν, Hier, targum : quaerentes orbare animam meam ; at explicatio quae sano modo probari potest nondum est reperta ; syr perdunt animam meam ex hominibus ; alii : me tradunt derelictioni, cum notione hebr nequeunt conciliari. Sym praebet ἀντεστραμμένα κατὰ τῆς ψυχῆς μου, contraria contra animam meam, seu opposita, perversa ; potestne cum *Ag.* versio Sym explicari ex *Gen.* 48,14 (שכל)? Emendationem textus facilem proponit *Duhm* una littera mutata, scribit שכול pro שכול : unde aptus gignitur sensus : dolose insidiantes (proprie insidiari) animae meae. Quid boni ipse tribuerit, exemplo enarrat v. 13 *ego autem*, cum aegrotarent, *induebar cilicio*, vestimentum meum erat saccus, vestem lugubrem in signum luctus induit ; insuper *humiliabam*, affligebam, *in ieiunio animam meam*, vota, ieiunia, precationes pro eorum salute Deo obtulit *et oratio mea in sinu meo convertetur*, LXX ἀποστραφήσεται, qui hoc modo legunt, explicant : exaudietur oratio mea ; id quod postulo, mihi in sinum dabitur ; « in sinum enim accipimus quod nobis datur atque rependitur, uti Is. 65,6. Luc. 6,38 » (*Ag.* sim. *Theod.*) ; sed verte : convertebatur ; explicant : capite orantis in sinum inclinato oratio dici potest converti in sinum ; est gestus orationis ferventis haec capitis inclinatio (cf. 3 Reg. 18,42. Is. 58,5 ; *Baethgen*, *Duhm*) ; clam, secreto, submissa voce apud me orabam (*Gen.*). Plane aliter *Riehm* concipit : et nunc oratio mea ita in sinum meum rependitur, ut pro ea mihi mala rependant. Sed haec acceptio non est ad contextum et insuper id quod rem constituit suppleri debet — pravum explicandi genus !

Quod LXX et vulg habent *cum mihi molesti essent*, amandari oportet; hebr bene reddunt Aq ἐν ἀρρωστίᾳ αὐτῶν, Sym ἐν ταῖς ἀρρωστίαις αὐτῶν, item syr; etiam in editione psalterii iuxta hebraeos, i. e. Hier, a Martianay et Vallarsio curata legitur cum infirmarentur, sed ex editione *Lagarde* vera Hier lectio est : cum infirmarer ab eis. Theod et quinta ferunt ἐν τῷ παρενοχλεῖσθαι αὐτούς, ergo etiam hebr rite exprimunt.

Porro exponit, quam sincero affectu illos prosecutus sit, hebr vertunt Sym, Hier : quasi ad amicum, quasi ad fratrem ἀνεστράφην, sic ambulabam; melius autem ex altero membro in prius assumitur קדר contristatus, pullatus; proinde hebr : ac si esset amicus, ac si esset frater, incedebam pullatus, quasi lugens mater (vel quasi luctus esset matris) incurvabar. Luctus matrum solet esse gravior propter illarum maiorem in liberos affectum et lenitatem (*Gen.*); pullatus i. e. nigra veste indutus incedebam. In LXX legitur pro התהלך εὐαρεστεῖν hoc loco, sicuti pariter Gen. 5,22 et 17,1 et 48,15 et Eccli 44,16; unde vulg *quasi proximum... sic complacebam* : interpres sequitur graecum ὡς ἀδελφόν (alias complacere alicui, vel in cum abl.) : sic benignus ac benevolus eram, ac si esset amicus, frater; *quasi lugens, sic humiliabar*, deiecto capite moerore afficiebar (*Gen.*). Et quid pro tanta sinceritate affectus ei repensum est? v. 15 *et adversum me laetati sunt*, hebr in prolapsione mea laetantur, in mea calamitate, Aq ἐν σκασμῷ μου, Sym σκάζοντος δέ μου me claudicante, in claudicatione mea, cum ego essem in periculo impingendi; quinta, Hier in infirmitate mea; hebr vertunt Sym, Hier collecti sunt adversum me percutientes, πλῆκται, et nesciebam; LXX μάστιγες pro hebr נכים, *congregata sunt super me flagella* ; in mea calamitate congregati sunt et me ex improviso afflixerunt; ita ex hebr : quod in LXX et vulg sequitur *dissipati sunt nec compuncti*, refer ad illos locos qui intelligi nequeunt. Planus est textus hebr : conviciantur et non tacent i. e. conviciantur continuo, Hier scindentes et non tacentes. Eorum malignitas porro describitur v. 16, in quo versu textus LXX unice sanum effert sensum : *tentaverunt me*, quasi explorarunt, periculum fecerunt, quam constans et fortis essem in eorum iniuriis perferendis (*Ag.*), eorum ludus factus sum : *subsannaverunt me subsannatione*; ferarum in modum furorem suum manifestarunt : *frenduerunt super me dentibus suis*; cf. Lam. 2,16; Hier refert versionem Sym : in simulatione verborum fictorum frendebant contra me dentibus. Textus mas. secundum LXX emendetur oportet.

Expositis suis aerumnis vertit se denuo ad orationem v. 17 *Domine, quando respicies*, quamdiu, quanto tempore ista feres? *restitue*, recrea,

animam meam a malignitate eorum, a vastationibus eorum (hebr), Hier a calamitatibus; *a leonibus unicam meam* ; cf. v. 16. Pro exauditione spondet laudem et gratiarum actionem et eam quidem publicam *in ecclesia magna*, in coetu magno, in populo frequenti, numeroso v. 18; petit, ne Deus permittat, ut adversarii *supergaudeant mihi* (cf. 29,2), inimici mei mendaces, odientes me gratis, sine causa, qui *annuunt oculis*, nutibus oculorum irrident ; in hebr potest referri membrum hoc ad petitionem : ne nutibus oculorum me derideant ; cf. Prov. 6,13 ; 19,10. Eorum malitia denuo exhibetur, ut eo magis petitio Deo commendetur v. 20 hebr non enim pacem loquuntur et contra quiete viventes in terra dolos cogitant ; v. 20 LXX et vulg, nequit intelligi ; v. 21 *et dilataverunt*, dilatant *super me os suum*, et dicunt : *euge, euge*, belle, ironice scil. hebr האה eia, eia ; Hier vah, vah, vidit oculus noster ; male gaudentes clamant se vidisse quidquam quod illi esset ignominiae et perniciei.

Quare magno affectu ad Deum clamat v. 22 *vidisti Domine*, tu vidisti eorum malitiam, tu vides meam calamitatem ; bene opponitur haec visio visioni adversariorum ; *ne sileas*, hanc indignitatem ne dissimules. ne tacitus feras (*Ag. Gen.*), ne sis procul a me ; procul quasi Deus esse concipitur, quamdiu non opem fert (cf. hebr) ; verum v. 23 *exsurge et intende*, evigila et expergiscere ad iudicium meum, *in causam meam*, ad litem meam ; v. 24 *iudica me secundum iustitiam tuam*, secundum iustam normam retributionis quam tu ipse statuisti, secundum quam inimici : *ne supergaudeant mihi*, v. 25 neve apud se cogitent : vah, vah, desiderium nostrum [1] ; *euge animae nostrae*, ne sibi gratulentur tacitis cogitationibus, quod pro eorum voto res ceciderint et mihi malum evenerit (*Ag.*) ; *neve dicant : devoravimus eum*, perdidimus eum ; hoc scil. est desiderium, anima, eorum (v. 25). E contra, ex norma retributionis potest psalmista efflagitare v. 26 *erubescant* et confundantur simul qui laetantur in afflictione mea (Hier) ; *induantur confusione* et ignominia, qui insolenter se efferunt contra me. Illi vero qui ius meum optant v. 27 *exsultent et laetentur et dicant semper : magnificetur Dominus*, qui pacem (felicitatem) servi sui vult (hebr) ; ipse quoque e periculis ereptus Deo laudes persolvet v. 28 *et lingua mea meditabitur*, celebrabit (cf. הגה 71,24 ; 115,7. Is. 59,3. Prov. 8,7. Iob 27,4 notione loquendi) *iustitiam tuam*, *tota die laudem tuam* ; cf. 39,17.

1. Uti ℵ ca B* praebet, ita fragmentum papyri lipsiense λ quoque habet η ψυχη ημων.

Ps. 35.

1. *In finem, servo Domini ipsi David.*

2. *Dixit iniustus ut delinquat in semetipso ;* | *non est timor Dei ante oculos eius ;* | 3. *quoniam dolose egit in conspectu eius* | *ut inveniatur iniquitas eius ad odium.* | 4. *Verba oris eius iniquitas et dolus ;* | *noluit intelligere ut bene ageret ;* | 5. *iniquitatem meditatus est in cubili suo,* | *adstitit — omni : viae non bonae,* | *malitiam — autem : non audivit.*

6. *Domine in coelo misericordia tua,* | *— et : veritas tua usque ad nubes ;* | 7. *iustitia tua sicut montes Dei ;* | *iudicia tua abyssus multa ;* | *homines et iumenta salvabis, Domine ;* | 8. *quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus ;* | *filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* | 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae,* | *et torrente voluptatis tuae potabis eos ;* | 10. *quoniam apud te est fons vitae* | *— et : in lumine tuo videbimus lumen.*

11. *Praetende misericordiam tuam scientibus te* | *et iustitiam tuam his qui recto sunt corde.* | 12. *Non veniat mihi pes superbiae* | *et manus peccatoris non moveat me.* | 13. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem ;* | *expulsi sunt nec potuerunt stare.*

Depingitur malitia peccatorum (v. 2-5) et Dei gratia, fons bonorum (v. 6-13).

Impius apud se statuit impie agere, quia timorem Dei plane a se abiecit. Secundum hebr effatum iniquitatis ad impium in medio cordis mei : non est timor Dei ante oculos eius ; sensus esse videtur : ego intellexi tale fieri effatum iniquitatis ad impium, ut ei persuadeatur, non exsistere timorem Dei. Cum hic sensus sit coactus, et insuper personificatio iniquitatis certe sit insolita, textus LXX et vulg videtur esse praeferendus, utpote simplex et planus ; secundum quem *Duhm* ita hebr emendat : dicit peccator : impium esse (apostatare) est secundum cor meum. Timore Dei semoto sequitur v. 3 *dolose egit in conspectu eius* scil. Dei, et ita quidem, *ut inveniatur iniquitas eius ad odium*, ut eius iniquitas apud Deum (et homines) odio habeatur. Uti *Eus.* refert, vertit Sym φησὶν περὶ ἀσυνθεσιας τοῦ ἀσεβοῦς ἔνδοθεν ἡ καρδία μου, dicit de defectione impii intus cor meum : οὐ πρόκειται ὁ φόβος Θεοῦ, non est propositus ante oculos eius timor Domini ; paulo aliter Hier : dixit scelus impii in medio cordis eius non esse timorem Dei ante oculos eius. Contra versionem Sym dici debet, ubicumque legatur נְאֻם effatum, oraculum, substantivum adiunctum edicere auctorem oraculi : ergo ex constanti analogia verti debere : effatum iniquitatis, vel ut Hier habet : dixit scelus. Textus hebr. v. 3 verti potest : nam blanditur ei (iniquitas) ante oculos eius, ut inveniat culpam eius ad odium : sed sententia est satis obscura : videtur pergi in personificatione iniquitatis : et iniquitas

blanditur peccatori, vult augere eius culpam ad odium ei creandum ? Ad hunc locum emendandum varia tentata sunt : sibi blanditur, quod Deus desinat culpam invenire et odisse (*Riehm*) ; ei (Deo) valde commodum reddit peccator invenire culpam (peccator nulla ratione studet peccatum suum obtegere, *Duhm*) ; textum satis mutat *Wellhausen* : facit verba sua blanda in peccato suo ; peccatum eius docet linguam eius.

Porro describitur peccator v. 4 *verba oris eius iniquitas et dolus*, desiit, cessavit prudenter agere et bene ; v. 5 etiam quando a negotiis quiescit, *in cubili suo*, nullatenus a malitia quiescit, iniquitatem meditatur ; et quae excogitavit, mox opere exsequitur : *astitit omni viae non bonae*, vias ingreditur malas ; malitiam non abiciit. Verbis itaque, cogitationibus, operibus plane et constanter, consilio determinato, animum gerit pravitati infixum.

« Post descriptam improbi hominis nequitiam praecellentes illas divinae longanimitatis divitias admodum consequenter enarrat « (*Eus. Theod.*). Describitur magnitudo gratiae Dei et fidelitatis v. 6 *Domine, misericordia tua*, gratia tua, *in coelo*, tam magna, alta et sublimis est sicuti coelum ; fidelitas *usque ad nubes*, fides promissionum pariter est maxima, altissima ; cf. 107,5 ; *iustitia tua* v. 7, iusta administrandi ratio est firma, immobilis *sicut montes Dei* ; *iudicia tua*, singula consilia et actiones providentiae et gubernationis sunt *abyssus multa*, immensa sicut oceanus, incomprehensibilia, sicut profunda oceani homini sunt inaccessa : suavis eius providentia protenditur omnibus : *homines et iumenta salvabis*, bonum illis prospicies ; 135,25 qui dat escam omni carni. Posuerat duo extrema : coelum et profundum abyssi, ad quae pertingat eius administrandi ratio ; pariter inter creaturas duo extrema sumit (*Ag.*).

Hanc Dei benignitatem merito admirabundus exclamat v. 8 quam pretiosa est gratia tua, Deus (hebr) ; τί τίμιον. Aq Sym quinta, quam pretiosa (Hier) ; LXX ὡς ἐπλήθυνας τὸ ἔλεός σου, idque explicatur sequentibus : *filii hominum in tegmine*, in umbra, *alarum tuarum* refugium suum collocant ; tua protectione tuti sunt ac securi, insuper v. 9 inebriabuntur de pinguedine domus tuae (hebr, Hier), ex templo suo illis bona largissima tribuit, *et torrente voluptatis*, copia nunquam deficiente deliciarum, ut fruantur dabis ; iste torrens, ex quo *potabis eos*, nunquam deficiet ; v. 10 *quoniam apud te est fons vitae*, vita Dei est immensa, infinita, beatissima ; fons itaque est pariter infinitus, nunquam exhauriendus, ex quo omnis vita omneque bonum creaturis obvenit ; *et in lumine tuo*, in favore, benignitate tua, *videbimus lumen* experiemur veram felicitatem cf. 4,7. Nota est huius loci accommo-

datio apud theologos : in lumine gloriae videbimus lumen faciei tuae, essentiam divinam.

Precatur, ut haec bona benignitatis divinae large obveniant cultoribus Dei v. 11 *praetende*, extende, expande (*Gen.*) *misericordiam tuam* gratiam tuam, iis qui te cognoscunt, colunt, tibi devoti sunt, et *iustitiam tuam*, iustam tuam administrationem exhibe *his qui recto sunt corde*, scil. ut probi fruantur felicitate secundum promissa legis, ut protegantur ab inimicis. Verum optime adiungitur altera precatio, v. 12 *non veniat mihi pes superbiae*, ne permittas ut in me veniat, me invadat oppressio superbi et viri insolentis ; ne superborum dominationi subiiciar, hoc mihi praesta ; *et manus peccatorum non moveat me*, ne sinas me expelli potentia peccatorum ; ne inimici me proiiciant de loco meo et conditione. A Deo itaque continuo auxilium et subsidium est efflagitandum ; homo ne putet se suis consiliis se posse tutum reddere ab insidiis malorum. Psalmista hanc precationem exauditum iri certissime persuasum habet, unde subiungit v. 13 *ibi* (de tempore) tunc (cf. 13,5 illic) *ceciderunt qui operantur iniquitatem ; expulsi sunt*, prostrati sunt, nec possunt surgere. Quid tandem obventurum si impiis (v. 2-5), ex certa retributionis norma edicitur.

Ps. 36.

1. *Psalmus ipsi David.*

א *Noli aemulari in malignantibus* | *neque zelaveris facientes iniquitatem*, | 2. *Quoniam tamquam foenum velociter arescent*, | *et quemadmodum olera herbarum cito decident.* | ב 3. *Spera in Domino et fac bonitatem* | — *et : inhabita terram et pasceris in divitiis eius ;* | 4. *delectare in Domino*, | *et dabit tibi petitiones cordis tui.* | ג 5. *Revela Domino viam tuam* | *et spera in eo, et ipse faciet*, | 6. *et educet quasi lumen iustitiam tuam* | *et iudicium tuum tamquam meridiem.* | ד 7. *Subditus esto Domino et ora eum*, | *noli aemulari in eo qui prosperatur in via sua* | *in homine faciente iniustitias.* | ה 8. *Desine ab ira et derelinque furorem*, | *noli aemulari ut maligneris ;* | 9. *quoniam qui malignantur exterminabuntur*, | *sustinentes autem Dominum ipsi hereditabunt terram.* | ו 10. *Et adhuc pusillum et non erit peccator ; et quaeres locum eius et non invenies ;* | 11. *mansueti autem hereditabunt terram* | *et delectabuntur in multitudine pacis.* | ז 12. *Observabit peccator iustum* | *et stridebit super eum dentibus suis ;* | 13. *Dominus — autem : irridebit eum*, | *quoniam prospicit quod veniet dies eius.* | ח 14. *Gladium evaginarunt peccatores intenderunt arcum suum*, | *ut deiiciant pauperem et inopem*, | *ut trucident rectos corde ;* | 15. *Gladius eorum intret in corda ipsorum* | *et arcus eorum confringetur.* ט 16. *Melius est modicum iusto* | *super divitias peccatorum multas ;* | 17. *quoniam brachia peccatorum conterentur*, | *confirmat autem iustos Dominus.* | י 18. *Novit Dominus dies immaculatorum*, | *et hereditas eorum in aeternum erit ;* | 19. *non confun-*

dentur in tempore malo, | *et in diebus famis saturabuntur.* | כ 20. *Quia peccatores peribunt;* | *inimici vero Domini mox, ut honorificati fuerint et exaltati,* | *deficientes quemadmodum fumus deficient.* | ל 21. *Mutuabitur peccator et non solvet; iustus autem miseretur et tribuet;* | 22. *quia benedicentes ei hereditabunt terram; maledicentes autem ei disperibunt.* | מ 23. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur,* | *et viam eius volet;* | 24. *cum ceciderit, non collidetur,* | *quia Dominus supponit manum suam.* | נ 25. *Iunior fui, etenim senui,* | *et non vidi iustum derelictum* | *nec semen eius quaerens panem;* 26. *tota die miseretur et commodat,* | *et semen illius in benedictione — erit :* | ס 27. *Declina a malo et fac bonum* | *et inhabita in saeculum — saeculi :* | 28. *quia Dominus amat iudicium* | *et non derelinquet sanctos suos,* | *in aeternum conservabuntur.* | ע | *Iniusti punientur :* | *et semen impiorum peribit ;* | 29. *iusti-autem : hereditabunt terram,* | *et inhabitabunt in saeculum — saeculi : super eam.* |

פ 30. *Os iusti meditabitur sapientiam* | *et lingua eius loquetur iudicium;* | 31. *lex Dei eius in corde ipsius,* | *— et : non supplantabuntur gressus eius.* | צ 32. *Considerat peccator iustum* | *et quaerit mortificare eum;* | 33. *Dominus — autem : non derelinquet eum in manibus eius,* | *nec damnabit eum, cum iudicabitur — illi :* | ק 34. *Exspecta Dominum et custodi viam eius;* | *et exaltabit te ut hereditate capias terram,* | *cum perierint peccatores videbis.* | ר 35. *Vidi impium superexaltatum* | *et elevatum sicut cedros Libani;* | 36. *et transivi et ecce non erat;* | *et quaesivi eum et non est inventus — locus eius :* | ש 37. *Custodi innocentiam et vide aequitatem,* | *quoniam sunt reliquiae homini pacifico ;* | 38. *iniusti autem disperibunt simul; reliquiae impiorum interibunt.* | ת 39. *Salus autem iustorum a Domino* | *— et : protector eorum in tempore tribulationis,* | 40. *et adiuvabit eos Dominus et liberabit eos,* | *— et : eruet eos a peccatoribus et salvabit eos, quia speraverunt in eo.*

Varia modo asseritur illud : dicite iusto, quoniam bene — vae impio in malum (Is. 3, 10.11). Quare monet psalmista, ne quis invideat prosperitati impiorum, quippe quae nequeat permanere, sed subito concidet. Psalmus est alphabeticus ; cuique litterae attribuuntur quattuor stichi ; sed in ד, כ, ק solum habentur tres ; verum quinque in ה, ב, ת : transpositione ubique iustus numerus effici potest ; ita ad v. 7 adde 14 b ; ad v. 20 adiunge 25 c. ; ad 34 transfer 40 b.

Brevi concidet prosperitas impiorum ; inde repetitur monitum v. 1 *noli aemulari*, hebr ne irascaris contra malignantes, *neque zelaveris*, ne invideas facientibus iniquitatem ; et quam celeriter eorum felicitas evanescat, declaratur comparatione v. 2, qua simul ratio affertur, cur abstinendum sit ab indignatione et invidia : sicut gramen velociter marcescent, et sicut viridis herba decident ; cf. 102, 15 ; 128, 6. Is. 40, 6. Remedium contra eiusmodi indignationem et invidiam affertur in v 3 habe fiduciam in Deum, *spera in Domino*, non omittet normam retributionis ; tu vero fac bonum (hebr. Hier) ; hac conditione inhabitans terram *pasceris in divitiis eius*, imperativus pro futuro, iam *Gen.* monet ; fit scil. promissio ; hebr vertit Aq νέμου πίστιν, item sexta ; Sym ποιμαίνου διηνεκῶς, simili modo recentiores vel pascere in securi-

tate (*Baethgen*) vel cole fidelitatem (*Duhm*); pascere fide (Hier). Ne indulgeas invidiae; verum v. 4 *delectare in Domino*, tuam delectationem et solatium quaere in Domino, tunc *dabit tibi petitiones cordis tui*; longe sit a te irasci de eo quod Deus permittat impios brevi tempore prospere agere; potius gaude, delectare in Domino. Ei quoque v. 5 devolve (hebr) commenda, committe *viam tuam*; male LXX ἀποκάλυψον, *revela*, sed homo nil potest Deo omniscio revelare; neque hebr ponitur גלה revelare, sed גלל volvere: uti Hier volve super Dominum viam tuam et confide in eo, *et ipse faciet*; quid facturus sit, declaratur v. 6 optime ipse prospiciet rebus tuis; causam tuam de tenebris educet, *quasi lumen* in apertum, clarissime tuam iustam causam profert, et ius tuum quasi splendorem meridianum; lumen et meridies symbolum sunt prosperitatis et laetitiae. Egregie itaque ius tuum in conspectu omnium apparebit, sicut lux et splendor solis in meridie.

Confortare itaque hac spe; interea autem v. 7 *subditus esto Domino*, hebr, Hier tace Domino, noli conqueri, *et ora eum* hebr exspecta eum, patienter sustine et confide fore, ut Deus normam retributionis in opus deducat; quare *noli aemulari*, ne irascaris adversus eum qui prospere agit, adversus virum perpetrantem astutias; v. 8 *desine ab ira*, desiste ab ira, *relinque furorem*, indignationem, ne irascaris, *ut maligneris*, hebr tantum ad malefaciendum, i. e. ista ira id solum efficit, ut tu ipse male agas, tibi ipsi nocumentum et noxam inferas. Cum tali enim ira et furore coniungi solet murmuratio adversus Deum eiusque providentiam. At quam immerito quis se tradat eiusmodi irae, exponitur v. 9: improbi *exterminabuntur*, exspectantes autem Dominum, *ipsi hereditabunt terram*, ipsi possidebunt terram, prospere agent in pacifica possessione terrae; atque tale in improbos iudicium non diutius differetur v. 10 *et adhuc pusillum*, paulo post iam non apparebit peccator, et si ad eius locum attentionem direxeris, iam non substitit; at v. 11 *mansueti*, afflicti, qui cum patientia sustinent, *hereditabunt terram*, possidebunt terram et tandem vitam agent in prosperitate: *delectabuntur in multitudine pacis*; cf. Matth. 5, 4.

Iustus quidem exponitur insidiis impiorum: v. 12 *observabit peccator iustum*, hebr excogitat mala, et *stridebit super eum dentibus suis*; magno furore eum prosequitur, at v. 13 *Dominus irridebit eum*, quia videt *quod veniet dies eius*, dies scil. iusti iudicii, dies retributionis. Quid mali moliti sint impii, declaratur in v. 14, quo simul v. 12 exponitur; *gladium evaginaverunt*; metaphora gladii et arcus exhibentur variae machinationes et oppugnationes contra iustos, inopes, *rectos corde*; at tandem v. 15 suis ipsorum armis, consiliis, peribunt; ipsi telis suis configentur; arcus confringentur; eorum conatus reddentur inanes; cf. 7, 15-17.

« Dixit de potentia et insidiis peccatorum et malignantium, quam timenda non sint; nunc de copiis et opibus, quas homines parum prudentes admirantur » (*Ag.*); v. 16 iustus habet benedictionem Dei et certam promissionem et spem felicitatis, utrumque deest impio; ergo iam necessario concludatur oportet : multo melius esse pro iusto habere modicum prae divitiis impiorum multorum; modicum illud habet opem ac benedictionem Dei, sed opes impiorum evanescent: utrumque enuntiatur v. 17 forma chiastica, prius de opibus, quae ultimo loco ponuntur : *quoniam brachia peccatorum conterentur*, eorum potentia, divitiae; *confirmat*, fulcit, sustentat *autem iustos Dominus*; et quatenus eos fulciat, exponitur v. 18 curam habet, *novit*, de diebus, de singulis momentis vitae *immaculatorum*; iis servatur *hereditas*, pars, possessio *in aeternum*; en quomodo modicum iusti melius sit opibus peccatorum ! Idem quoque declaratur subsequentibus v. 19 etsi ingruant tempora mala, adversitates, calamitates, iusti *non confundentur*, Deus non permittet, ut pudore et ignominia obruantur, *et in diebus famis*, tempore inopiae et caritatis annonae Deus illis prospiciet, *saturabuntur*.

At plane diversa est sors peccatorum v. 20, et inimici Dei, etsi per breve tempus in honore et prosperitate fuerint, mox sicut fumus deficient (vulg), LXX ἅμα τῷ ὀοξασθῆναι, cum exaggeratione quadam, ac si fere nullum esset intervallum inter honorem et inanitatem, inter exaltationem et ruinam. Textus mas. nequit intelligi ; nam quid sibi vult : sicut pretiosum agnorum, pratorum (כרים) ? Hier vertit : gloriantes ut monocerotes (sim. Sym); recentiores aliqui assumunt emendationem a *Wellh.* propositam כִּיקֹד כָּרִים sicut combustio caminorum, i. e. sicut ligna, stipulae quae comburuntur et celeriter in fumum abeunt et evanescunt, alii emendant : peribunt, sicut viride montium יֶרֶק הָרִים.

Haec diversitas sortis cernitur etiam in v. 21 in tantam inopiam redigetur peccator, ut iam non solvere possit, quod mutuo accepit : *mutuabitur, et non solvet* ; *iustus autem* insuper habet, unde exhibeat benevolentiam, aliis succurrat, et tribuat, dona et munera largiatur. Et iustus habet abunde, v. 22 *quia benedicentes ei*, laudantes et celebrantes Deum, hebr. benedicti ab eo, possidebunt terram; ex qua possessione comite benedictione Dei large habent quibus misereantur et tribuant. Sed *maledicentes ei*, scil. Domino, *disperibunt*. hebr maledicti ab eo delebuntur. Providentia Dei vita hominis dirigitur et custoditur v. 23 *apud Dominum*, a Domino, *gressus hominis dirigentur* ; cf. Prov. 16, 9 cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius et Prov. 20, 24; et huiusmodi directio ac suavis providentia et custodia illi continget, cuius via, ratio vitae, Deo pla-

cet i.e. *et viam eius volet*, si via eius Deo grata est. Et eius directionis seu gubernationis exemplum affertur v. 24 *cum ceciderit, non collidetur*, non prosternitur, quia Dominus sustentat manum eius (hebr, Hier); si labitur, si incipit cadere, Deus statim manu eius apprehensa eum retinet a casu. Potest iusto contingere aliqua calamitas; at statim ei praesto est auxilium Dei ne obruatur.

Alio exemplo, ex experientia deprompto, probatur haec Dei providentia v. 25 *iunior fui* etiam *senui. et non vidi iustum derelictum* longae vitae experientia probatur Deum dirigere gressus iusti (v. 23), nosse dies immaculatorum (v. 18. 19); *nec semen eius,* filios, nepotes, *quaerens panem*; en probitas patris posteris quoque est benedictioni. Imo iustus bonis fortunae satis est instructus, ut hic senex ex sua experientia narrat : v. 26 *tota die*, toto tempore, semper *miseretur*, liberalis est et benignus, *et commodat*, mutuo dat, egenos suis pecuniis et opibus adiuvat; *et semen eius,* progenies eius, pariter est benedictioni aliis; aliis commodum et utilitatem praestat; LXX εἰς εὐλογίαν ἔσται, ergo in benedictionem erit, seu erit benedictioni, uti hebr quoque לברכה.

Qua conditione haberi potest haec Dei providentia et prosperitas? v. 27 *declina*, recede, *a malo et fac bonum*, si id feceris, inhabitabis in saeculum (cf. v. 3), tutus eris et felix in possessione tua et valde longaevus (cf. Ex. 20, 12). Nam v. 28 *Dominus amat iudicium*, iustum et rectum, *et non derelinquet sanctos suos*, quibus scil. suam gratiam et benignitatem חסד largitus est, qui sunt חסידיו eius benignitate donati; hi *in aeternum*, semper, pro omni tempore, custodiuntur; stichus ע deest in hebr, sed habetur apud LXX ἄνομοι δὲ ἐκδιωχθήσονται, iniusti punientur עולים, et progenies impiorum delebitur; v. 29 in oppositione ad impios, inculcatur denuo : *iusti* possidebunt terram et inhabitabunt semper; terra autem haec est terra Domini, quam singulari ratione suam quoque possessionem appellat et hereditatem (cf. 78, 1. Ex. 15, 17; 1 Reg. 26, 19. Ier. 2, 7 ingressi contaminastis terram meam et hereditatem meam posuistis in abominationem; 12, 14); populus est itaque colonus Dei et ipsa terrae possessio pignus est benedictionis divinae: quare possidere terram est participem esse bonorum ac promissionum Dei; unde in sermone montano Christus beatos dicit mites, quia possidebunt terram (Matth. 5, 4), participes erunt bonorum Dei, regni coelorum.

Porro describitur iustus (cf. v. 27) v. 30 *os iusti* loquitur *sapientiam,* הגה cf. 34, 28 *et lingua eius loquetur* id quod rectum et iustum est; loquela iusti prudens est et iusta; talis autem esse potest, quia *lex Dei in corde ipsius* est, in mente eius; ex abundantia cordis autem os loquitur. In hac lege habet firmam vivendi normam; quare : *gres-*

sus eius non vacillant; firmiter incedit in praeceptis Dei; inde autem consequitur, ut firmiter quoque in bonis ac prosperitate consistat, ut nulla ratione gressus eius supplantentur. Peccatores quidem insidiantur iustis v. 32 *considerat*, observat, *peccator iustum* insidiatur ei, *et quaerit mortificare eum*, perdere; v. 33 *Dominus autem non derelinquet eum* in potestate illius, *nec damnabit eum* nec permittet, ut iustus causa cadat et noxius declaretur, quando iudiciali forma in eum agatur; iudicium peccatoris de iusto Deus neutiquam ratum habet. Tamquam conditio ad pacificam possessionem terrae, iterum exigitur v. 34 *exspecta Dominum et custodi viam eius*, illam viam quam ipse hominibus designavit ineundam cultu, legibus suis; *et exaltabit te* ut possideas terram; exaltatio autem consistit in felicitate, in honore, in victoria de inimicis reportanda, in incolumitate; *cum perierint peccatores*, quando iudicium interitus in peccatores devolvetur, tu *videbis*, tu securus contemplaberis casum illorum.

Et quam celeriter quandoque prosperitas impiorum transeat, psalmista senex (v. 25) ex sua narrat experientia v. 35, cuius textus ex LXX repetendus est, *vidi impium superexaltatum*, contumacem, robustum (Hier), sexta ἀναιδῆ impudentem, *et elevatum sicut cedros Libani*, quae comparatio apta est ad splendorem, superbiam, dignitatem et magnam apud alios aestimationem declarandam ; cf. Ez. 31, 3 ecce Assur quasi cedrus in Libano, Ps. 91, 13. Cant. 5, 15. Am. 2, 9. Eccli 24, 17; textum mas. vertit Hier fortissimum, sicut indigenam virentem (Aq ὡς αὐτόχθων εὐθαλής, similiter sexta); sed textus mas. nequit intelligi — et quod psalmista in v. 10 affirmabat « et adhuc pusillum et non erit peccator », experientia vidit comprobatum, v. 36 *et transivi, et ecce non erat*; cf. v. 10; Iob 5, 3; me praetereunte, vel ut ad meum transitum nulla iam sit eius commemoratio (*Gen.*) ; et ita stirpitus seu radicitus evulsa est illa sublimitas, ut nullum supersit indicium vel vestigium loci, ubi antea constiterit ; cf. Iob 7, 10.

Si itaque exoptas, ut prosperitas tua permaneat firma, v. 37 *custodi innocentiam, et vide* rectum, semper ante oculos habe rectum et observa rectum; talis enim est vir pacis et talis etiam habet tempus futurum, scil. felix, prosperum ; *sunt reliquiae* ei erit tempus futurum, longum reliquum tempus; in oppositione scil. ad iniustos, qui v. 38 *disperibunt simul*, delebuntur pariter (Hier), *reliquiae impiorum interibunt*, impiis non erit tempus futurum prosperum ; cf. Prov. 23, 18; 24, 14. Ier. 29, 11. Prosperitas, *salus iustorum* iis continget et obvenit *a Domino*; ipse est munimentum eorum (hebr; fortitudo eorum Aq Hier) *in tempore tribulationis*; et quomodo sit munimentum, explicatur quadruplici modo in v. 40 et adiungitur una conditio

et ratio, cur et quando experturi sint universalem illam opem ac protectionem, liberationem, salutem a Domino : quia ad eum confugiunt, in eum sperant.

En quoties inculcatur necessitas et efficacia spei et fiduciae (cf. Iac. 1, 7).

Ps. 37.

1. *Psalmus David, in rememorationem — de sabbato :*

2. *Domine ne in furore tuo arguas me,* | *neque in ira tua corripias me ;* | 3. *quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi,* | *et confirmasti super me manum tuam.* | 4. *Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae ;* | *non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum ;* | 5. *quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum* | *et sicut onus grave gravatae sunt super me ;* | 6. *putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae* | *a facie insipientiae meae.* | 7. *Miser factus sum et curvatus sum usque in finem* | *tota die contristatus ingrediebar,* | 8. *quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus* | *et non est sanitas in carne mea ;* | 9. *afflictus sum et humiliatus sum nimis,* | *rugiebam a gemitu cordis mei.*

10. *Domine, ante te omne desiderium meum* | *et gemitus meus a te non est absconditus ;* 11. *cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea* | *et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.* | 12. *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt ;* | *et qui iuxta me erant, de longe steterunt ;* | 13. *et vim faciebant qui quaerebant animam meam,* | *et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates,* | *et dolos tota die meditabantur.* | 14. *Ego autem tamquam surdus non audiebam* | *et sicut mutus non aperiens os suum ;* | 15. *et factus sum sicut homo non audiens* | *et non habens in ore suo redargutiones ;* | 16. *quoniam in te Domine speravi ; tu exaudies me Domine Deus meus.*

17. *Quia dixi : nequando supergaudeant mihi — inimici mei :* | *et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt ;* | 18. *quoniam ego in flagella paratus sum,* | *et dolor meus in conspectu meo semper ;* | 19. *quoniam iniquitatem meam annuntiabo,* | *—et : cogitabo pro peccato meo.* | 20. *Inimici autem mei vivunt et confirmati sunt — super me :* | *et multiplicati sunt qui oderunt me inique ;* | 21. *qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi,* | *quoniam sequebar bonitatem.* | 22. *Ne derelinquas me Domine Deus meus,* | *ne discesseris a me ;* | 23. *intende in adiutorium meum, Domine — Deus : salutis meae.*

Miseram suam conditionem, poenam peccatorum, sub imagine morbi gravissimi David describit (v. 2-9) ; suam miseriam, inimicorum infestationes, quas patienter sustinet, Deo exponit (v. 10-15) et demum multa cum fiducia opem divinam expetit. Inscriptio hebr להזכיר videtur esse liturgica et referri ad partem sacrificii askara (memoriale, Lev. 2, 2. 9. 16 ; 5, 12 ; 6, 8. Num. 5, 26 etc.).

Incipit precatio v. 2 iisdem verbis, sicut 6. 2 ; efflagitat in ipsa

punitione, ut sibi clementia Dei et misericordia obveniat ; dolores sunt sagittae quae a Deo in ipsum descenderunt (hebr), et pariter descendit super me manus tua (hebr), *confirmasti* gravem fecisti manum tuam super me ; gravi ictu seu plaga me affligis ; cf. 7, 14. Iob 6, 4 ; totum corpus vehementi aegrotatione laborat v. 4, nihil quod sanum, incolume vel integrum sit in carne iam invenitur, non est *pax*, salus, bona valetudo *ossibus meis* : uti caro dicit quasi superficiem vel partes externas corporis, ita ossibus partes quoque internas morbo infici declaratur. Exhibetur imago uti Is. 1, 6 a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus et livor et plaga tumens. Et talis miseria contigit *a facie irae tuae*, propter iram Domini, haec autem indignatio Dei exsistit propter peccatum meum (hebr), *a facie peccatorum meorum ;* culpam suam describit v. 5 imagine fluctuum, quibus totus immersus sit (*Ag.*), e quibus emergendi nulla sit copia, insuper sicut onus gravius quam ut ipse valeat sustinere (hebr gravius prae me), velut pondus immensum eum deprimunt peccata.

Praeter multitudinem et gravitatem effertur foeditas v. 6 *putruerunt*, foetent et sanie diffluunt *cicatrices*, vibices, vulnera, *a facie insipientiae meae* propter stultitiam meam ; eo nomine verissime peccata notantur. Hac ratione merito dicit v. 7 afflictus sum (Hier), flector et incurvor valde (hebr), *tota die* pullatus (veste nigra, sordida) incedo ; cf. 34, 14 ; corpore incurvato et male vestito, in signum luctus et doloris incedit ; et ratio est v. 8 *quoniam lumbi mei*, interiora mea, mens, animus, *impleti sunt* ignominia (Hier, Aq Sym ἀτιμίας), LXX ἐμπαιγμάτων irrisionibus, opprobriis ; corpore et animo, doloribus et opprobriis laborat. Unde v. 9 langueseo et conteror nimis, rugio prae gemitu cordis mei ; clamore quasi rugitu gemitum, dolorem et moerorem cordis manifestat ; afflictio cordis eum cogit in clamores prorumpere. Dolor internus solet suspiriis et eiulationibus exprimi et in apertum prorumpere. Quare textus nulla eget emendatione : eam aliqui inferre volunt ; magis clamo quam leo rugit — sed cur talis exaggeratio ?

In tanta necessitate et angustia confugit ad Deum v. 10 · *Domine, ante te*, coram te patet *omne desiderium meum ;* magna fiducia et spe loquitur, et iam aliquid solatii in eo exprimitur quod *gemitus meus tibi non est absconditus* ; precantis et opem efflagitantis more exponit miseriam suam v. 11 cor meum vehementer palpitat (*Gen.*) Hier fluctuabat ; verbum hebr torqueri, circumvolvi *Ag.* explicat ; vehemens cordis commotio significatur, *dereliquit me* robur meum ; imo ne oculorum quidem lumen mihi restat ; nam moerore, doloribus, lacrimis oculi obscurantur et caecutire incipiunt. Ad miseram hanc corporis

animique conditionem accedit inhumanitas amicorum et persecutio inimicorum (v. 12-14) v. 12 *amici mei*, diligentes me (hebr. cari mei Hier) *et proximi mei* e regione plagae meae stant, Hier quasi contra lepram meam steterunt; et vicini mei e longinquo stant; Sym quoque habet ἐξεναντίας ἐν τῇ πληγῇ μου: dicitur נגע ictus, plaga quam Deus infligit, dein speciatim de lepra (Lev. 13, 2 etc. 14, 3. 32. 54. Deut. 24, 8); ceterum cf. Iob 19, 13-19.

Amici sese retrahunt; seorsum, a longinquo stant. Peius agunt inimici v. 13 *vim faciebant*, hebr laqueos ponunt (insidias struunt) qui quaerunt animam meam, qui scil. vitam meam expetunt, qui interitum mihi parant, et *qui inquirebant mala mihi*, qui quaerunt (desiderant) meam calamitatem, loquuntur *vanitates*, perversitates, perniciem, *et dolos tota die meditantur*, הגה erit hic quoque notione loquendi capiendum ob v. 14. 15; dolos i. e. malitiosas, subdolas accusationes calumnias in eum proferunt. Contra eiusmodi iniurias maximam ipse exhibet patientiam et animi demissionem : qua se Deo commendat et dignum se probat cui Deus opem praestet v. 14 *ego autem tamquam surdus*, non audio ac si surdus essem, veluti mutus, qui non aperit os suum ; v. 15 sum sicut vir qui non audit et in cuius ore non sunt *redargutiones*, refutationes, reprehensiones, castigationes. Conscientia peccatorum eum facit patientem ; neque enim ita in inimicos invehitur, uti 35, 3-5 v. g. fit; sed potius exhibet : iram Domini portabo, quoniam peccavi ei (Mich. 7, 9).

« Hac vero, inquit, utens tolerantia spem in te continuam habebam, tibi mei ipsius iudicium committens et obsecrans, ne inimicis ludibrio fierem, nec meae causae iactura ipsis arrogantiae et iactantiae ansa foret » (*Theod.*); v. 16 *quoniam in te, Domine speravi, tu exaudies* : hac spe petit a Deo v. 17 *nequando supergaudeant mihi inimici mei ;* cf. 29, 2 ; 34, 19. 24 ; triumphus inimicorum quam maxime animum afflicti pungit ; et imminere videtur periculum tale pro psalmista : nam *dum commoventur pedes mei*, in titubatione pedum meorum, dum nutant res meae et ego in periculo salutis versor, *super me magna locuti sunt*, sese efferunt, gloriantur, quid iam facturi essent, si plane conciderem ? Hier vertit : ne forte insultent mihi, et cum vacillaverint pedes mei, super me magnificentur ; et eodem modo etiam aliqui recentiores sententiam iungunt (*Baethgen*) aliis id fieri posse ob perfectum hebr negantibus (*Duhm*). Constructio sententiae quae habetur apud LXX, Sym vulg plane congruit cum sequentibus ; nam in v. 18 profitetur se casui proximum esse v. 18 *quoniam ego paratus sum* ad lapsum (hebr., Sym εἰς τὸ σκάζειν ad claudicandum, *et dolor meus* continuo mihi praesto est ; v. 19 *quoniam iniquitatem meam*

annuntio (hebr, Hier), et moereo (hebr), sollicitus sum (Hier) *pro peccato meo*, μεριμνήσω LXX dicit plus quam *cogitabo*, scil. cum sollicitudine cogitare ; esse anxium. Et haec est una aliqua ratio doloris continui, quia sollicitudine angitur de peccato quod confiteri cogitur.

Quae dicta sunt v. 17-19 simul rationes sunt, quibus exauditionem a Deo efflagitat ; accedit alia ratio, cur sperare possit exauditionem v. 20 *inimici mei vivunt*, vivunt, viventes scil. cum emphasi, valentes, fortiter agentes, (asyndeton hebr), potentes sunt et insuper multi sunt *qui oderunt me inique*, mendaciter (hebr, Hier) ; et quam maligni sint, adeoque a Deo iusto puniendi, declaratur v. 21 *qui retribuunt mala pro bonis*, adversantur mihi (Hier), infestant me (hebr), propterea quia studiose prosequor bonum ; coram Deo se profitetur peccatorem ; sed aliis, etiam inimicis praestitit bona, et comparatione cum inimicis instituta omnino asserere potest se prosequi bonum, se non indulgere odio et inimicitiis. Habet itaque varios titulos, quibus merito a Deo petere potest v. 22 *ne derelinquas me*, ne longe sis a me ; festina in auxilium meum, Domine salutis meae (Hier), dominator, salus mea (hebr) ; cf. 21, 12. 20 ; 34, 22 ; 39, 14.

Potest quaeri, dicaturne psalmus de uno aliquo, an de populo ab hostibus male tractato et sub poena inflicta confitente peccata ? Alterum hoc censet *Baethgen* et opinatur id iam in targum explicari v. 14 (fui sicut vir qui non audivit a saeculo ?). Si de populo victo et prostrato intelligitur, quinam sunt amici et proximi ? quinam sunt illi quibus populus bonum tribuit et a quibus mala retributa sunt?

Ps. 38.

1. *In finem, ipsi Idithun. Canticum David.*

2. *Dixi : custodiam vias meas,* | *ut non delinquam in lingua mea ;* | *posui ori meo custodiam,* | *cum consisteret peccator adversum me.* | 3. *Obmutui — et : humiliatus sum — et : silui a bonis,* | *et dolor meus renovatus est ;* | 4. *concaluit cor meum intra me* | *— et : in meditatione mea exardescet ignis.*

5. *Locutus sum in lingua mea :* | *notum fac mihi Domine finem meum* | *et numerum dierum meorum, quis est* | , *ut sciam quid desit mihi.* | 6. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos* | *et substantia mea tamquam nihilum ante te ;* | *verumtamen universa vanitas* | *omnis homo vivens.* | 7. *Verumtamen in imagine pertransit homo,* | *sed et frustra conturbatur :* | *thesaurizat et ignorat,* | *cui congregabit ea.*

8. *Et nunc quae est expectatio mea ? nonne Dominus ?* | *— et : substantia mea apud te est.* | 9. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me,* | *opprobrium insipienti dedisti me :* | 10. *obmutui, — et : non aperui os meum,* | *quoniam tu fecisti ;* 11. *amove*

a me plagas tuas. | 12. *A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus,* | *propter iniquitatem corripuisti hominem ;* | *et tabescere fecisti sicut araneam animam eius ;* | *verumtatem vane — conturbatur : omnis homo.*

13. — *Ex : audi orationem meam, Domine* | *et deprecationem meam, auribus percipe ;* | *lacrimas meas ne sileas* | , *quoniam advena ego sum apud te* | — *et : peregrinus, sicut omnes patres mei.* | 14. *Remitte mihi, ut refrigerer* | , *priusquam abeam, et amplius non ero.*

David sibi quidem proposuit non conqueri de afflicta sua conditione ; at hoc silentio eo maior exarsit dolor (v. 2-4) , mortem sibi expetit et de brevitate et vanitate vitae humanae conqueritur (v. 5-7). Inde tamen discit in uno Deo spem esse collocandam, exposcit remissionem peccatorum, afflictiones suas Deo exponens ardenter opem divinam efflagitat (v. 8-14).

Inscriptionem hebr ita explicant, ut magistro cantus, Idithun, traditus sit psalmus David ad canendum ; vide 1 Par. 16, 41. 42.

Psalmista firmiter apud se statuit : bene custodiam *vias meas*, rationes vitae meae, ne lingua peccem ; ponam ori meo capistrum, quamdiu impius coram me (hebr). Adstante impio vult cavere, ne querelas proferat ; v. 3 obmutui silentio (hebr, Hier), *et silui a bonis*, Hier tacui de bono — sed quid hoc sibi vult ? Sym supplet ἐσιωπήθην μὴ ὢν ἐν ἀγαθῷ ; *Baethgen* provocat ad Gen. 31, 24 ad locutionem לא מיטוב עד, silui de omnibus ; item *Wellh.* Ceterum textus LXX vulg videtur melior : *obmutui et humiliatus sum* i. e. curvatus incessi ; nam illud obmutui silentio est satis mirum ; hebr מיטוב explicari potest sine bono, procul a bono : silui procul a bono, quam acceptionem suadet paraphrasis Sym (et de tali notione מִן vide Gen. 27, 39. Num. 15, 24. Prov. 20, 3. Iob 11, 15 etc.). Sed dum moerorem silentio voluit comprimere, *dolor meus* conturbatus est (hebr, Hier) eo magis commotus et excitatus est, *renovatus est*, Aq Sym ἀνεταράχθη ; in animo eius ardor quidam impatientiae exortus est ; v. 4 incaluit cor meum in medio mei (Hier), et dum tacita cogitatione secum conditionem suam expendit, *in meditatione mea, exardescit ignis*, eo maiore dolore quasi quodam incendio inflammatur.

Nihilominus non in maledictiones prorumpit ; bene nexum exponit *Theod.* : « conviciatori igitur nihil respondi, Domino autem universorum supplicavi, ut notum mihi finem faceret, valde mortem desiderans ». Cavit revera, ne in vehementiores querelas prorumperet (v. 2) : at tandem linguam solvit et in voces erumpit similes illis Eliae (3 Reg. 19, 4 : tolle Domine animam meam, *Gen.*) v. 5 *notum fac mihi finem meum*, quisnam finis est mearum aerumnarum, quousque praesentibus malis vexabor ? (*Ag.*) *et numerum* mensuram, *dierum meorum*,

indica, quis sit ; quis numerus dierum mihi adhuc restat ; quamdiu debeo esse in dolore ; *ut sciam*, *quid desit mihi*, hebr quam transiens (desinens, evanescens) sim ego. Et quam brevis, caduca et fugax est vita ! v. 6 ecce, palmares dedisti dies meos, i. e. palmi mensuram non excedentes, Sym ὡς σπιθαμὰς ἔδωκας τὰς ἡμέρας μου, eodem sensu ; LXX παλαιστὰς ἔθου, alia lectio παλαιάς ; prior lectio (fortasse corrigenda παλαιστιαίας ?) potest referri ad παλαιστή, παλάμη, palma (quattuor digitos lata) ; *Eus.* quidem vocem referre vult ad πάλη, dies certamine repletos [1], dies adversarios ; *et substantia mea*, hebr vita mea, *tamquam nihilum ante te*, Sym ἡ βίωσίς μου, Hier et vita mea quasi non sit in conspectu tuo. Omnia sunt fluxa, evanida, *universa vanitas*, Hier omnia vanitas, omnis homo stans, *vivens* LXX ; Sym μόνον γὰρ ἀτμὸς πᾶς ἄνθρωπος ἑστώς solum enim halitus (vapor) est omnis homo ; v. 7 *verumtamen in imagine pertransit homo*, tantum ut imago, ut umbra incedit homo ; imago opponitur veritati et rei solidae ; cf. 72, 20 ; « tamquam somnium quoddam et simulacrum ambulat ; nihil solidi, nihil expressi habens, umbrae similis » (*Ag.*) ; insuper : *sed et frustra conturbatur*, de nihilo, de vano halitu strepitum facit ; laborat, colligit thesauros, sed cui ? *thesaurizat et ignorat cui congregabit ea* ; cf. Eccl 2, 18. 21 ; Aq Theod τίς συλλέξει αὐτά ; uti hebr quis colligens ea.

« Nunc itaque cum tanta sit vitae brevitas, miseria, vanitas, ad quem confugiam, nisi ad te » ? (*Gen.*) v. 8 *et nunc*, bene notat *Ag.* haec verbula saepe habere in Scriptura vim concludendi, seu ex rerum consecutione aliquid inferendi ; hic itaque psalmista discit et docet ex rerum humanarum vanitate confugiendum esse relictis hisce miseriis ad Dominum ; *quae est exspectatio mea*, hebr quid exspecto, dominator ? praestolatio mea ad te (dirigitur), Hier praestolatio mea tu es ; LXX ἡ ὑπόστασίς μου, *substantia mea*, firmitas mea, fiducia mea, Aq ἡ καροδοκία μου μετὰ σοῦ, Sym νῦν οὖν τί προσδοκῶ, δέσποτα ; ἡ ἀναμονή μου εἰς σέ ἐστιν. Ubi afflictio, ibi culpa ; unde primum quod petit a Domino est v. 9 *ab omnibus iniquitatibus meis erue me* ; arctus ille nexus inter calamitatem et peccatum (de quo tota fere in libro Iob disputatio agitur) hic quoque indicatur ; si peccatum condonatur, prosperitas restituitur ; quare statim adiungitur petitio in hebr opprobrium insipienti ne ponas me, ita Hier, et pariter negationem habent Aq μὴ θῇς με, Sym μὴ τάξῃς με, quinta μὴ δῷς με, contingit itaque psalmistae idem quod Iob expertus est, quia in afflictione est, ut magnus pecca-

1. Idem Ambrosius : quod si palaestas accipimus dies, ex nomine intelligimus plenos certaminis et laboris ; quoniam palaestae luctatores in agone dicuntur tract. in Ps.).

tor opprobrio et irrisioni est (cf. Iob 5, 2 seq. 8, 3 etc.) ; in LXX vulg id quod cupit avertere expertus esse dicitur : *opprobrium insipienti dedisti me* (cf. v. 2 dum consisteret peccator adversum me).

In tali conditione calamitosa v. 10 *obmutui, non aperui os meum*, cf. v. 3 ; non maledixit diei suo, sicut Iob 3, 1, nec Deum nimii accusavit rigoris Iobi conquerentis instar (9, 20 seq. 13, 23 ; 16, 18 ; 19, 6) ; sed silentio se continuit, *quoniam tu fecisti*, hoc itaque silentium cum pio ad Dei ordinationem respectu et cum magna eius reverentia erat coniunctum. Praeclarum patientiae et fidei exemplum psalmista hoc loco exhibet, fere singulare in vetere testamento, in quo tot querelae de calamitatibus audiuntur ; hic vero pium hoc et obsequio devoto plenum : silui quia tu fecisti ! Et huius silentii praestantia ex vehementia doloris et afflictionis maxime elucet ; vide v. 11 *amove a me plagas tuas*, hebr plagam tuam ; et quanta haec plaga sit, declaratur altero membro : *a fortitudine manus tuae* (qua scil. plagam infligis) *ego defeci*, ego pereo Hier a contentione manus tuae ego consumptus sum ; hebr תגרה litigatio, impugnatio, infestatio ? ab infestatione manus tuae ego deficio (consummor, pereo). Explicatur sententia generali haec litigatio seu contentio manus Dei ; *in increpationibus* esse trahendum ad sequentia patet ex hebr, LXX, Hier, et ita iungunt *Ag. Gen.* et iunxerunt *Ambrosius* (*M.* 14, 1054), *Cassiodorius* (*M.* 70, 284) v. 12 *in increpationibus*, poenis scil. et castigationibus inflictis *propter iniquitatem corripuisti hominem*, corripis virum et tabescere facis sicut tineam desiderabile eius, vel gloriam eius, vitam eius, LXX τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *animam eius* ; vel retento perfecto *corripuisti, tabescere fecisti* (quod punctatio mas. ותכום indicat) potest cerni allusio ad Gen. 3, 17-19 (cf. *Duhm*) ; alii membrum prius conditione suppleta concipiunt : si corripis, eius gloriam dissolvis sicut tineam. Unde denuo infertur ; tantum halitus omnis homo (hebr), Hier verumtamen vanitas omnis homo ; LXX πλὴν μάτην πᾶς ἄνθρωπος (א A, B addit ταράσσεται) : *vane conturbatur omnis homo.*

Redit ad ardentem precationem (v. 9. 11) v. 13 *exaudi orationem meam, et deprecationem meam auribus percipe*, ad lacrimam meam ne obsurdescas (hebr, Hier) ; gradibus quibusdam ad summum pervenit (*Ag.*), quos gradus Hier bene exprimit : audi orationem meam, clamorem meum exaudi ; et demum ipso fletu petitionem ardentissime Deo commendat ; iungi oportet : ad lacrimas meas ne sileas (*Gen*) ; *quoniam advena sum apud te et peregrinus*, inquilinus ; Dominus est possessor terrae ; 36, 29 mea est terra et vos advenae et coloni mei estis (Lev. 25, 23, i. e. תישב,גר) et ut talis, ut hospes, inquilinus, seu ut advena et colonus merito protectionem domini implorat, imo haec

ei negari sine iniuria non potest. Apposite monet *Ag.* « qui advenas et peregrinos ne quis violaret et opprimeret lege sanxisti, eadem ut lege mecum agas » ; *sicut omnes patres mei* ; cf. Gen. 35, 27 ; 47, 9; 1 Par 29, 15 peregrini enim sumus coram te et advenae, sicut omnes patres nostri ; dies nostri quasi umbra super terram. Et quid cum lacrimis et ardenter efflagitet, enuntiat v. 14 *remitte mihi*, hebr cessa a me, desine a me (*Gen.*), averte oculos a me (recentiores), scil. amove a me plagas, *ut refrigerer*, et exhilarabor, *priusquam abeam* ex hac vita, Hier antequam vadam et non subsistam ; cf. Iob 9, 34 ; 14, 6 recede paululum ab eo, ut quiescat ; Sym ἀπόσχου μου ἵνα μειδιάσω, Hier parce mihi, ut rideam ; « da quietem et otium, ut in pietate convalescam, priusquam ex hac vita excedam » (*Gen.*).

Ps. 39.

1. *In finem, Psalmus ipsi David.*

2. *Exspectans exspectavi Dominum* | *et intendit mihi;* 3. *et — ex : audivit preces meas* | *et eduxit me de lacu miseriae — et : de luto faecis,* | *et statuit super petram pedes meos* | *— et : direxit gressus meos ;* | 4. *et immisit in os meum canticum novum* | *carmen Deo nostro.* | *Videbunt multi et timebunt* | *et sperabunt in Domino.* | 5. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius,* | *et non respexit in vanitates et insanias falsas.* | 6. *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia* | *et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi ;* | *annuntiavi et locutus sum* | , *multiplicati sunt super numerum.*

7. *Sacrificium et oblationem noluisti ;* | *aures — autem : perfecisti mihi ;* | *holocaustum et pro peccato non postulasti ;* | 8. *tunc dixi : ecce venio ;* | *in capite libri scriptum est de me* | 9. *ut facerem voluntatem tuam, Deus meus* | *volui et legem tuam in medio cordis mei.* | 10. *Annuntiavi iustitiam — tuam : in ecclesia magna* | , *ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.* | 11. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo,* | *veritatem tuam et salutare tuum dixi;* | *non abscondi misericordiam tuam,* | *et veritatem tuam a concilio multo.*

12. *Tu — autem : Domine ne longe facias miserationes tuas a me,* | *misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me ;* | 13. *quoniam circumdederunt me mala* | *quorum non est numerus ;* | *comprehenderunt me iniquitates meae,* | *et non potui ut viderem.* | *Multiplicatae sunt super capillos capitis mei* | *et cor meum dereliquit me.*

14. *Complaceat tibi Domine ut eruas me ;* | *Domine ad adiuvandum me respice.* | 15. *Confundantur et revereantur simul* | *qui quaerunt animam meam, ut auferant eam ;* | *convertantur retrorsum et revereantur* | *qui volunt mihi mala ;* | 16. *ferant confestim confusionem suam* | *qui dicunt mihi : euge, euge.* | 17. *Exsultent et laetentur super te omnes quaerentes te — et : dicant semper :* | *magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.* | 18. *Ego autem mendicus sum et pauper ;* | *Dominus sollicitus est mei ;* | *adiutor meus et protector meus tu es ; Deus meus ne tardaveris.*

Ad Absalomis rebellionem, cuius tempore David multis, diuturnis gravibusque periculis expositus erat, hoc carmen referri potest; duabus enim partibus inter se velut contrariis constat; in priore David pro ereptione e magno periculo gratias agit, in posteriore vero novum auxilium petit contra insidias inimicorum. Frequentissimae sunt in hominis vita vicissitudines fortunae, quibus a praesenti aliquo periculo divinitus ereptus ad gratiarum actionem impellitur ac simul, quia nova pericula imminent, ad deprecationes ulteriorisque protectionis implorationem excitatur. Unde, licet ipsam illam occasionem, in qua psalmus scriptus sit, indicare non queamus, quia tamen certo David haud semel in talibus rerum adiunctis constitutus erat, nihil in hac partium carminis oppositione contineri videtur, quod aut unitatem carminis aut originem davidicam improbabilem reddat. Facile id quoque intelligitur, regem fugatum, ab urbe diu remotum, sacrificiis Deo gratias referre aut culpas expiare non potuisse et secum quaesivisse, qua ratione hunc defectum suppleret, ut Deo placeret (v. 7 sqq.). Solent Orientales, quidquid ex animo dicunt, cum magna emphasi ac quadam, ut nobis Occidentalibus videtur, hyperbole et exaggeratione enuntiare; proinde nec liberationem vv. 1-6 descriptam talem fuisse opinandum est, ut psalmista non potuerit, postquam suo desiderio Deum servatorem praedicandi satisfecit, subiungere preces versuum 13-18, nec vv. 7 sqq. contineri psaltae persuasionem, Deo displicere sacrificia. Hoc tamen dicere poterimus, haec verba, dirigente Deo inspiratore, ita esse scripta, ut S. Paulus (Hebr. 10,5 sqq.) ea apte de Christo Veteris Testamenti sacrificia abolente et suum ipsius sacrificium substituente exponere potuerit. Sitne propter haec Pauli verba totus psalmus directe messianus, ut litterali sensu de Christo explicandus sit, an potius indirecte [typice] messianus, non consentiunt interpretes; veteres illam, recentes hanc interpretationem praeferunt. Si dictiones hyperbolicae non nimis urgentur (ut in v. 13, quae verba utique aptissime de Christo innumeris peccatis nostris onerato et maximis malis afflicto dicuntur), nihil in psalmo inesse videtur, quod ad litteram David de se ipse dicere non potuerit.

Tamen, quia nonnulli magnam fatentur se invenire difficultatem inter se conciliandi carmen ex parte tam laetum (quale est eius initium) et tam triste timorisque plenum (qualis est finis), eos vituperare nolumus, qui opinantur hunc psalmum esse ex variis carminibus Davidis compositum (ex. gr. carmini 39, 1-13 subscriptum esse ps. 69), aut eum esse ex parte ab Israelitis, modo ab exsilio reversis sed etiamtum auxilii divini indigentibus, suae conditioni, mutatis aliquot verbis, adaptatum (cf. decretum Commissionis biblicae n. IV), aut ambas psalmi partes esse duo carmina in eadem occasione a Davide composita, sc. vv. 14-18 (= ps. 69) imminente periculo, vv. 2-13 post evasum feliciter periculum in gratiarum actionem precis exauditae. Nos tamen unitatem psalmi et traditum nobis ordinem versuum servantes interpretationem aggredimur.

Auxilio, quod sibi in magna aliqua calamitate expetierat et exspecta-

verat, feliciter divinitus obtento, auctor huius psalmi Dominum celebrat omnesque, qui in Eo confidunt, beatos praedicat, quia Dominus semper suos beneficiis cumulet (v. 2-6); ut autem ipse etiam opere gratias numini persolvat, sacrificia quidem, quae Dominus (nunc saltem ab eo fugitivo) non postulet, offerre non poterit, at paratus ad faciendam voluntatem divinam Legem Dei implebit atque iustitiam eius praedicabit (v. 7-11). Ex auxilio coelesti, quod modo expertus est, nova confidentia concepta, Dominum iam rogat, ut se ab aliis quoque malis, quae innumeris peccatis commeruerit et quae etiamnunc eum urgeant, clementer eripiat hostesque suos confundat (v. 12-16). Carmen demum terminat, omnes pios ad Deum celebrandum exhortans sibique misero auxilium praesentissimum expetens (v. 17-18). Ita fere *Cornely*, Psalmorum Synopses, 1899, p. 34 sq.

Obtento igitur per preces divino auxilio, David dicit v. 2 : *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi*, v. 3 *et exaudivit preces meas :* exspectans exspectavi (cf. desiderio desideravi, morte moriemini etc.) est imitatio illius constructionis hebraicae, qua, posito ante verbum infinitivo absoluto eiusdem verbi, toti sententiae imprimitur nota vehementis affectus, quem affectum nos aliter, adverbiis, interiectionibus etc., prodimus. Cum magno igitur desiderio et, ut videtur, satis diu rex divinum auxilium opperiebatur et multum precabatur inter res adversas; in qua re nobis exemplum est, quid nos facere, dum malis diuturnis premimur, oporteat ; *intendit mihi*, hebr inclinavit se versus me. Pericula quibus implexus fuerat, psaltes iam describit imagine cisternae et limi seu luti, ex quo pedes se difficulter expedit : *et eduxit me de lacu miseriae*, hebr : sursum extraxit me ex puteo seu cisterna perniciei, nempe in qua, nisi Deus subvenisset, ei pereundum fuisset; *et de luto faecis*, hebr fere per synonyma : de luto limi, de luto loci limosi ; *et statuit*, stare fecit, *supra petram* i. e. in loco seu tramite firmo, ubi firmiter consistere possent nec amplius haererent aut immergerentur, *pedes meos*, *et direxit*, hebr rursum : firmos reddidit, *gressus meos* : has dictiones omnino probabile est non esse meras ad describendam rem periculosam et fatalem metaphoras, sed litterales quoque adumbrationes fugae David. Effecit Deus ut David, e tot tantisque malis ereptus, ad Dei gloriam hoc novum carmen cantare posset v. 4 *Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro*; quibus verbis duo docemur : et imitari gratitudinem regis, qui simulac se exauditum sentit, ad gratias Deo agendas impellitur, et cum eo credere, ipsam occasionem et impulsum ad Deum laudibus efferendum esse gratiam divinam. Praecipue vero hoc eum laetificat, quod multi alii quoque, viso eo per Deum salvo atque incolumi, gaudium et fiduciam

in Deum concipient : *videbunt multi et timebunt*, verebuntur Deum qui tam manifesto Davidi subvenit; qui suam potentiam ac providentiam manifestavit ac potentiorem se ostendit formidabili agmine hostium ; *et sperabunt in Domino* in similibus rerum conditionibus arduis. Quare v. 5 *Beatus vir cuius est nomen* (interpres graecus legit שֵׁם) *Domini spes eius*, qui cum fiducia nomen Domini invocat, sed secundum textum mass. : beatus vir qui posuit (שָׂם i. e. sibi fecit) Dominum obiectum fiduciae suae *et non respexit in vanitates et insanias falsas*, hebr : qui non se convertit versus insolentes ac deflectentes ad mendacium ; beati igitur praedicantur ii qui inter calamitates non ad homines superbos et fallaces confugiunt, sed Deo fideles manent et omne auxilium ab ipso exspectant. Et quam merito hi beati dicantur, proximus v. 6 dicit, qui hebr sic sonat : multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, et quoad tuas circa nos cogitationes (consilia) non est quidquam comparabile tecum (cum tuis consiliis); si eas promulgare et narrare velim, sunt inenarrabiles, i. e. sunt plures aut maiores quam quae verbis describi possint.

Post tantum igitur beneficium, cogitaverit psaltes, quid retribuam Domino pro omnibus quae tribuit mihi ? (Ps. 115,12) voluntariae sacrificabo tibi (53,8). At, en, ex contrario v. 7 pergit : *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*, i. e. perfectas, ad audiendam voluntatem tuam aptas et dociles aures mihi dedisti (hebr magis plastice : aures forasti mihi ; cf. Ex. 21,5 ; Deut. 15,17), quibus possim voluntatem tuam cognoscere ac proinde cognitam facere ; *holocaustum et pro peccato* (« pro peccato » est substantivi indeclinabilis instar, i. e. piaculum) *non postulasti, tunc dixi* i. e. secus dixissem : *ecce venio* nempe ea tibi oblaturus. *In capite libri*, ex LXX ἐν κεφαλίδι βιβλίου, κεφαλίς vero est volumen ; hebr : in volumine libri *scriptum est de me*, plerique interpretantur « mihi praescriptum est », v. 8 *ut facerem voluntatem tuam* ; et huic intentioni Dei per naturam (per aures corpori datas) et per revelationem (S. Scripturam) manifestatae psaltes libenter se parere profitetur : *Deus meus, volui*, hoc volo, mihi placet, et *legem tuam*, sc. repono ut mihi carissimam *in medio cordis mei*. Cum lex mosaica tam manifeste sacrificia approbet ac praescribat, verba psalmi, Deum non postulare sacrificia, explanari aliter vix possunt quam supponendo, psalmistam impeditum esse quominus Deo sacrificet eumque a se quaerere, quid aliud Deo gratum et acceptabile facere possit : fortasse meminit verborum quae suo praedecessori Saul olim Samuel dixit : Melior est obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum (1 Reg. 15,22). Pro auribus (ὠτία) in LXX legitur σῶμα corpus mihi fecisti; sic etiam iam Pauli

tempore in codicibus graecis legebatur, quare apostolus ita mutata verba recitat et ad Christum applicat, cui Deus, sacrificia Veteris Test. iamiam abrogaturus, corpus humanum dederit sc. in cruce immolandum ad faciendam voluntatem Dei per Scripturae vaticinia ei praedictam. Sensus non mutaretur, si (id quod fieri potest) verba hebr. ita verterentur : « piacula non postulas, secus dixissem : ecce venio ; (quod) in volumine Libri scriptum est, mihi incumbit ut faciam (עלי לעשות); quod tu vis, mi Deus, eo delector, et Lex tua est in medio cordis mei ». — Aliud adhuc David facere potest, quod et iam fecit et facere perget, Dei laudes praedicare v. 9 *Annuntiavi iustitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia* etiam in posterum *non prohibebo*, non claudam, silere tuam laudem non patiar; *Domine, tu scisti* (scis); v. 11 *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi*, proclamavi. *Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio multo.* Opus divinum,quo David ex periculo liberatus est, variis hic nominibus designatur : appellatur enim *iustitia* (צדק, צדקה), utpote iustitiae Dei opus quo Deus iustissimus iustam regis causam defendit ; appellatur *salutare*, seu salus, quia Deus regem salvavit, ubi sine coelesti auxilio certo periisset ; dicitur *misericordia* (חסד), utpote miserentis Dei auxilium ; tandem *veritas* i. e. opus divinae « veritatis » (אמונה.אמת v. 11) nominatur : his duobus nominibus (a radice verbali אמן derivatis, unde האמין confisus est, et plerumque cum חסד « misericordia » copulatis) aeque passim per psalmos (Ps. 24,10 ; 35,6 ; 60,8 ; 87,12 ; 88,25 ; 116,2 etc. ; etiam Gen. 24,49 ; Ex. 34,6. Ios. 2,14 etc.) significatur ea qualitas seu perfectio Dei hominisve qua meretur ut plane ei confidamus, ergo fere benignitas omni nostrâ fiduciâ digna (germ. alles Vertrauens würdige Güte ; quia eadem vocabula etiam designant rei et sermonis qualitatem fiduciâ dignam, i. e. veritatem, hinc factum est ut graecus interpres verterit semper ἀλήθεια, et latinus ex graeco *veritas*).

Haec Dei iustitia, opitulatio, misericordia ac benignitas psalmistam salvavit : eam hic palam praedicat, at eam etiam denuo cum fiducia invocat, neque enim ita salvus evasit, ut ei nihil iam timendum fuerit. Quare novas deprecationes addit v. 12 *Tu autem, Domine, ne longe facias* hebr : ne concludas (ut ego laudem tuam non in me conclusi v. 10 : est idem verbum) *miserationes tuas a me : misericordia tua et veritas tua* (sensu modo explicato) *semper susceperunt*, potius : suscipiant, hebr servent *me*; v. 13 *Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus* ; humiliter tot mala in se irruentia suis peccatis ascribit ; *comprehenderunt me iniquitates meae* i. e. poenae his commeritae, *et non potui ut viderem* (videre, ex graeca circum-

scriptione infinitivi); tot eum mala undique circumstant, ut omnem alium visum impediant. *Multiplicatae sunt super capillos capitis mei, et cor meum*, animus constans ac fiduciae plenus, *dereliquit me*. Proinde v. 14 *complaceat tibi, Domine, ut eruas me : Domine, ad adiuvandum me respice*, hebr festina ; v. 15 *Confundantur et revereantur*, hebr erubescant et pudefiant, i. e. cum pudore infecta re a suo contra me consilio exsequendo desistere cogantur omnes *simul qui quaerunt animam meam*, qui insidiantur vitae meae, *ut auferant eam* ; et per synonyma eadem petitio iteratur : *convertantur retrorsum et revereantur qui volunt mihi mala*, qui delectantur infortunio meo ; v. 16 *Ferant confestim confusionem suam*, hebr obrigescant prae pudore suo ii *qui dicunt mihi : euge euge !* הֵאח est interiectio eius qui visa alicuius calamitate ei irridet. Aliud gaudium videre aliasque voces laetitiae, psalmista audire optat, precans v. 17 *Exsultent et laetentur super te*, a te exauditi tuumque subsidium experti, *omnes quaerentes te :* quaerere Deum est ad eum accedere, eum adire, ad eum in necessitate confugere ; *et dicant semper* « *Magnificetur Dominus !* » ii *qui diligunt salutare tuum ;* iis qui salutare Dei diligunt, contingat, quaeso, ut exauditi in voces laudis Dei et gratiarum actionis prorumpant dicentes : Magnificetur Dominus ! Pergit v. 18 *Ego autem mendicus*, miser, *sum et pauper*, indigens auxilio coelesti, *Dominus sollicitus est mei*, cogitat de me : sic enuntiatus hic stichus continet testimonium fiduciae, qua impulsus David sequentem precem finalem addit ; hebr. potest optative intelligi, ut iam ad petitionem pertineat : Dominus cogitet de me, mihi prospiciat ! Et quidem, quoniam periculum est in mora, celeri opus est auxilio : *adiutor meus et protector meus tu es*, hebr probabilissime legendum : auxilium meum et refugium meum (מְפַלְטִי) tu es : ***Deus meus, ne tardaveris.***

Ps. 40.

1. *In finem, Psalmus ipsi David.*

2. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem,* | *in die mala liberabit eum Dominus.* | 3. *Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra,* | *et non tradat eum in animam inimicorum eius.* | 4. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris — eius ;* | *universum stratum eius versasti in infirmitate eius.*

5. *Ego dixi : Domine, miserere mei,* | *sana animam meam, quia peccavi tibi.* | 6. *Inimici mei dixerunt mala mihi :* | *quando morietur et peribit nomen eius?* | 7. *Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur,* | *cor eius congregavit iniquitatem sibi ;* | *egrediebatur foras et loquebatur* 8. *in idipsum.* | *Adversum me susurrabant omnes inimici mei,* | *adversum me cogitabant mala mihi.* | 9. *Verbum iniquum*

constituerunt adversum me : — numquid : qui dormit non adiiciet ut resurgat? |
10. *Etenim homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos | magnificavit super me supplantationem.*

11. *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me | et retribuam eis. |* 12. *In hoc cognovi, quoniam voluisti me, | quoniam non gaudebit inimicus meus super me. |* 13. *Me autem propter innocentiam suscepisti, | et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.*

14. *Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo et usque in saeculum; fiat, fiat!*

Proponitur oratio David afflicti : qui misericors est, inveniat amplissimam a Deo benedictionem et opem et solatium in morbo (v. 2-4). Ipse afflictus, ut Deum ad misericordiam flectat, ei exponit, quam avide inimici mortem suam expetant, quanta malitia contra se agant, imo quomodo a familiari amico insidias experiatur (v. 5-10). Quare efflagitat a Domino opem, punitionem inimicorum, et ut Deus probitatem agnoscens inimicos non sinat triumphare. Ob v. 10 cogitatum est ab aliquibus de Achitophel (2 Reg. 15, 31).

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur ; haec beatitudo iam hoc loco enuntiatur : *beatus qui intelligit*, animum intendit, curat (Hier cogitat), ergo miserum non negligit, neque despicit, sed ei prospicit ; mercedem habebit ; par pari referetur ; *in die mala*, tempore afflictionis opem Domini experietur. Pro eius prosperitate preces funduntur v. 3. 4 LXX vulg ; Aq Theod Sym Hier explicant tamquam certam promissionem : custodiet, vivificabit (eum in vita servabit), beatus erit in terra, in possessione sua, Sym μακαριστὸς ἔσται, sed cum ultimum in hebr clare sit precatio אל *ne tradat eum*, merito cum LXX, vulg priora quoque ita accipiuntur ; anima dicitur pro affectu, cupiditate aliisque motibus animae ; hic petitur : ne committas eum rabiei, furori inimicorum. Et poeta aegrotus addit petitionem, quae ex conditione aegroti sua sponte enascitur v. 4 Dominus fulciat eum in lecto languoris, morbi ; quod sequitur : *universum stratum eius versasti in infirmitate eius*, hebr, LXX, vulg, Syr, Hier, targum, quamvis omnes habeant, tamen nequit intelligi ; explicant seu conantur explicare vel : composuisti lectum eius ut molliter cubet (*Gen.*), vertisti lectum eius doloris in stratum quietis (*Baethgen*), vertisti totum lectum in dolorem — omnem illi quietem abstulisti (*Ag.*), vertis, mutas lectum aegrotantis (*Wellh. Hoberg*) et Midrasch hanc dat explicationem : cuncta quae homo in vita sua peccavit, Sanctus in diebus morbi super eum vertit. Verum hisce aut suppletur quod non est in textu, aut ipsa explicatio dat alterum aenigma et quidem aenigma ridiculum, uti lectum mutare, mutare in dolorem ; quare merito mutatur ipsum verbum הפך

secundum membrum parallelum in תמך super lectum confortet eum in infirmitate (cf. *Duhm*).

Iam ipse aegrotus pro se Dominum implorat v. 5 et animo quidem humili se profitens peccatorem; sed qui in v. 13 confidenter loquitur ad Deum: propter integritatem meam me sustines, aegritudinem suam non considerat poenam peccatorum suorum; *sana animam meam*, sana me; utique peccavi tibi; at plane immerito inimici me persequuntur v. 6 pessima quaeque de me dicentes et mortem meam optantes, et ut memoria mei plane deleatur. Et si quis ad me ingreditur v. 7, ut quasi officii causa videat quid rei mecum sit, non sincere agit (Hier: si venerit, ut visitet), hebr falsum loquitur cor eius i. e. apud se falsum, iniquitatem cogitat, animum gerit in me falsum; insuper *congregat sibi* malitiam; ex suo apud me adventu occasionem capit improbum quodquam sibi colligendi, quo me oneret et accuset; *egreditur foras et loquitur*, suis amicis et meis inimicis enarrat quae contra me sibi confinxit. Dein v. 8 *in idipsum* simul contra me *susurrant omnes inimici mei*, excogitant mala contra me; Sym ὁμοθυμαδὸν ἐψιθύριζον κατ' ἐμοῦ, scil. « res pessima (res Belial, morbus pestilens? seu mortifer; cf. *Lagarde*, Bildung der Nomina p. 139) accidit ei; et qui decubuit, iam non resurget » ita loquentes inducuntur; ergo mortem eius certo exspectant et desiderant.

Unum quam maxime amarum et peracerbum commemorat v. 10 etiam vir pacis meae i. e. quocum habebam pacem et amicitiam, *in quo speravi*, in quo habui fiduciam (Hier), conviva meus, *qui edebat panes meos*, mensae meae accumbens, *magnificavit super me supplantationem*. Hier levavit contra me plantam, mihi insidias struxit et fraudes, me egregie fefellit (*Gen.*), LXX ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμόν, cf. Joan. 13, 18 ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ.

Petit a Domino v. 11, restitue me, leva me (Hier) *et retribuam eis*, bene Sym ἵνα ἀνταποδώσω αὐτοῖς, Hier ut reddam eis; ex norma iustitiae iniuriae et crimina debent puniri; hanc normam ipse exsequi statuit. Verbis istis animus panditur infestationibus exacerbatus; cf. 27, 4 sq. 68, 23; 108, 6. Ier. 11, 20; 17, 18; 18, 21. Et certissime sperat se iri sanatum neque impium inimicorum desiderium (v. 6. 9) iri impletum; nam confidenter asserit v. 12 *in hoc cognovi*, cognosco, quod complaces in me, Hier quod velis me, *non gaudebit inimicus meus super me*, hebr non iubilabit, Hier non insultabit. Suae sibi conscius est probitatis et pietatis, quare ex norma retributionis non poterit tradi in ignominiam et opprobrium; unde v. 13 *me autem propter innocentiam suscepisti*, in integritate mea sustines, Hier in simplicitate mea adiutus sum a te, et statues me ante faciem tuam in perpetuum, *in aeternum* i. e. quoad vixero, et intelligitur vita satis longa, quae piis est promissa.

Quod additur v. 14 *Benedictus Dominus Deus Israel* etc. non pertinet ad psalmum, sed est clausula qua primus liber psalmorum concluditur; cf. 71,18; 88,53; 105,48. Uti *Eus.* refert, Sym retinuit hebr ἀμήν, ἀμήν, Aq vertit πεπιστωμένως, πεπιστωμένως, Hier amen, amen; targum : et dicent iusti amen et amen. Adnotat *Eus.* huc desinere primam partem libri psalmorum, qui in quinque partes dividatur; secundam partem desinere psalmo 71.

Ps. 41.

1. *In finem. Intellectus filiis Core.*

2. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum,* | *ita desiderat anima mea ad te Deus.* | 3. *Sitivit anima mea ad Deum — fortem: vivum ;* | *quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?* | 4. *Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte,* | *dum dicitur mihi quotidie : ubi est Deus tuus?* | 5. *Haec recordatus sum et effudi in me animam meam,* | *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei,* | *in voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.*

6. *Quare tristis es anima mea* | *et — quare : conturbas me?* | *spera in Deo, quoniam* **adhuc : confitebor illi,* | *salutare vultus mei — et: Deus meus.*

7. *Ad meipsum anima mea conturbata est,* | *propterea memor ero tui de terra Iordanis et Hermoniim a monte modicô,* | 8. *Abyssus* **ad: abyssum invocat in voce cataractarum tuarum :* | *omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt.* | 9. *in die mandavit Dominus misericordiam suam* | *et nocte canticum eius ;* | *apud me oratio Deo vitae meae,* | 10. *dicam Deo : susceptor meus — es :* | *quare oblitus es mei?* | *et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?* | 11. *Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi* | *qui tribulant me inimici mei ;* | *dum dicunt mihi per singulos dies :* | *ubi est Deus tuus?*

12. *Quare tristis es anima mea* | *et quare conturbas me?* | *spera in Deo, quoniam* **adhuc : confitebor illi,* | *salutare vultus mei et Deus meus.*

Ps. 42.

1. — *Psalmus David :*

Iudica me Deus et discerne causam meam de gente non sancta, | *ab homine iniquo et doloso erue me ;* | 2. *quia tu — es : Deus, fortitudo mea, quare me repulisti,* | *et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* | 3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua ;* | 4. *et introibo ad altare Dei :* | *ad Deum qui laetificat iuventutem meam.* | *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.*

5. *Quare tristis es anima mea* | *et quare conturbas me?* | *spera in Deo quoniam* **adhuc: confitebor illi,* | *salutare vultus mei et Deus meus.*

Unum psalmum constitui ps. 41, 42, patet ipsis versibus intercalaribus, ter recurrentibus. Id iam veteres agnoverunt ; ita *Eus.* ps. 42 partem vocat praecedentis, similiter *Theod.*, *Ag.*, eum prioris appendicem vocat *Calmet*. In eo audiri gemitus et suspiria exsulum in Babylonia iam censent *Theod. Ag. Calmet.*

Ardens exprimitur desiderium invisendi sanctuarii ; huic accedit dolor de ludibriis inimicorum ; ceterum versibus intercalaribus argumentum psalmi satis describitur. In hebraeo non habetur quod graece ad Ps. 42 inscribitur.

Notat *Theod.* : « aiunt cervos feras venenosas devorare et hinc in sitim vehementer accendi et aquas magnopere desiderare ». Nescimus fueritne etiam apud Iudaeos eiusmodi fabula. Ad comparationem sufficit cogitare de tempore aestatis, quo saepe fluenta aquarum, torrentes arescunt, ferae igitur siti laborant ; ad dictionem autem poeticam congruit loqui non de feris universim, sed de una eaque nobiliore. Vox ערג LXX ἐπιποθεῖ, *desiderat*, adhuc semel legitur Ioel 1, 20, ubi LXX, vulg aliter vertunt : sed et bestiae agri suspexerunt ad te, quia exsiccati sunt fontes aquarum : Sym vertit ὡς σπεύδει ἔλαφος, syr sicut clamat. Magnum quoddam et ardens desiderium ubique indicatur. Qui animae ad Deum anhelitus bene exprimitur v. 3 *sitivit*, sitit *anima mea ad Deum* τὸν ἰσχυρὸν *fortem*, לאל Deum *vivum*, qui est ipsa vita et omnibus vitam et exsistentiam largitur ; exsules qui vident idola suum Deum cum emphasi vivum appellant, quem vivum per prophetas, miracula, poenas, per ipsum in quo sunt exsilium experti sunt. Sitis optime designat ardens desiderium ; id quoque exprimitur : *quando veniam et apparebo ante faciem Dei*, facies Dei est eius singularis praesentia (cf. Gen. 4, 16. Iud. 5,5), dein speciatim eius in templo, seu in arca foederis praesentia (cf. 1 Reg. 2,18 ; 21,6). Ludibriis inimicorum dolor magis augetur ; inde v. 4 *fuerunt mihi lacrimae*, sunt mihi lacrimae, « veluti cibus quidam, cum propter te opprobria recipio ; hostes enim derident me tuam gubernationem proferentes ut imbecillem et quae eorum potentia superior esse non potuerit » (*Theod.*) : *ubi est Deus tuus* ? ubi, exsules, est adiutor vester ? en deus vester non potuit vos tueri ; potestati deorum nostrorum traditi estis !

Tali quaestione acerba et deridenti redit magis viva memoria priscarum in templo sollemnitatum v. 5 *haec recordatus sum*, bene notat *Ag.* ; quaenam ? haec quae sequuntur procul dubio ; pristinae meae consuetudinis recordatio torquet animum ; memini enim cum sollemni ritu ad domum Dei cum exsultatione contenderem ; haec recordor et *effundo in me animam meam*, intus in anima dolorem contineo, effundere animam, animi sensus, affectus, motus exponere (61, 9. 1 Reg.

1, 15); sed cum addatur *in me* affectus isti intus in corde concluduntur: *quoniam* transibam, ad templum Dei ascendebam, *in voce exsultationis* et laudis ἠχοῦς ἑορτάζοντος festum celebrantis; vulg *epulantis*, ea voce solet in vulg ἑορτάζειν reddi (cf. 1 Cor. 5, 8). Haec visitatio templi et sollemnitas obversatur animis exsulum, sed cum maerore coniuncta. Textus mas. indiget emendatione fere hunc in modum: quod transibam in coetu nobilium ad domum Dei, in voce iubilationis et laudis — turba festum agens (cf. *Baethgen*). Verum sibi ipsi acclamat apostrophen consolatoriam (*Gen.*), v. 6 quare incurvaris, anima mea (hebr, Hier) et strepitum facis in me? exspecta Deum, quia adhuc eum celebrabo, (tamquam) salutem vultus mei et Deum meum. Spe in Deum protectorem se erigunt.

At nihilominus exsilii miseria mox iterum excitatur animi moeror v. 7 in me anima mea incurvatur (hebr, Hier); propterea scil. quia memor sum tui; bene monet *Theod.* per montem et flumen omnem illam regionem et terram promissionis significari. Proin explicandum est: quia *memor sum tui* procul[1] a terra Iordanis et montium Hermon. Quod additur *a monte modico*, nequit intelligi, nisi dixeris cum Midrasch significari sanctuarium, ergo montem sanctuarii. Alii montem ceteroquin plane ignotum Mizar assumunt, ubi poeta commoretur (*Duhm*). Montes Hermon intellige cacumina Hermon montis altissimi Antilibani; usque ad montem Hermon olim extendebantur fines Israelitarum (cf. Deut. 3, 8; 4, 48. Ios. 13, 11). Quantis calamitatibus in terra aliena obruantur, consueta imagine fluctuum exprimitur v. 8 *abyssus abyssum invocat*; abyssus vel mare, fluctus ad abyssum clamat, una profunda calamitas aliam advocat, adducit, *in voce* in strepitu *cataractarum tuarum*; magno quasi fremitu devolvuntur mala in nos; fluctus ad fluctum clamat quasi cum strepitu seu tonitru cataractarum, i. e. calamitas calamitatem attrahit, et ita tandem undis plane obruuntur: gurgites tui *et fluctus tui super me transierunt* (Hier). At mediis in tribulationibus memor est Dei sui (v. 7) unde se consolatur et erigit v. 9 in die, per diem Deus misericordiam suam exhibebit et noctu canticum eius mecum; i.e. interdiu et noctu, ergo Deus mihi mittet misericordiam et ego persolvam ipsi canticum gratiarum actionis: itaque fit *oratio Deo vitae meae*, Deo largitori vitae meae, vel oratio ad Deum meum vivum; v. 10 *dicam Deo*: *susceptor meus es*, petra mea, *quare oblitus es mei et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus*? oratio vehemens et petitio iuncta cum quadam querela: ecce, ita me oblitus es, ut pullatus debeam incedere, et cur ita facis? Et haec afflic-

1. Hebr מִן ea notione adhiberi, vide Num. 15, 24; Prov. 20, 3; Lam. 4, 9 (cf. Lexica).

tio declaratur v. 11 ludribrium inimicorum ei est aculeus acerbus, est ei quasi confractio ossium, καταθλάσαι τὰ ὀστᾶ μου, hebr ברצח sicut caedes in ossibus meis (*Baethgen*), si caedes saevit in ossibus meis (*Duhm*); utrumque satis coactum videtur; potius cum Sym ὡς σφαγὴν διὰ τῶν ὀστέων μου, *exprobraverunt mihi*, continuo eum ludibrio habentes quaestione illa pungente: *ubi est Deus tuus?* exprobratio est eo acerbior, quia non solum ad contumeliam exsulum facta est, sed ad ipsius Dei iniuriam et ignominiam, quem inimici despectui habent. At spes minime abiicitur, quamvis dolor sentiatur, uti v. 12 versu intercalari exprimitur.

Atque hanc spem firmam statim in obsecratione declarat psalmista nomine exsulum piorum 42, 1 *iudica me*, ius meum mihi tribue, causam meam tuere; *discerne*, discepta disceptationem meam, litiga litem meam contra gentem sine misericordia, cf. Is. 47, 6 non posuisti eis misericordias; super senem aggravasti iugum tuum valde; Lament. 5, 5 lassis non dabatur requies; pueri in ligno corruerunt, senes defecerunt; a viro doli et iniquitatis, *ab homine iniquo et doloso erue me*; tu enim es Deus munimenti mei, fortitudinis meae, tu es Deus meus fortis, refugium meum; *quare me repulisti?* me repellis? obsecrationem meam «libera me» v. 1 non exaudis, et huius repulsae argumentum est: *quare tristis incedo?* debeo pullatus incedere; cf. 41, 6. Nihilominus spem in Deum refugium suum firmiter retinet; nam nova obsecratione Deum obtestatur v. 3 *emitte lucem tuam*, favorem tuum, lumen vultus tui (4, 7) *et veritatem tuam*, fidelitatem tuam nobis exhibe; ipsa me ducent et introducent in montem sanctum tuum et ad tua habitacula. Cum de destructione templi non fiat mentio, sed templum et altare adhuc exsistens supponatur, psalmista exsules ob oculos habet prioris abductionis (4 Reg. 24, 12-16; cf. Ier. 24, 5; 29, 1 seq.) vel etiam anterioris de qua mentio est Dan. 1, 3. Laeto animo sibi iam fingit reditum v. 4 *et introibo ad altare Dei*, bene potest cum Sym sententia adiungi ad *emitte*, ut introeam ἵνα ἔλθω, ad Deum laetitiae et exsultationis meae (hebr, Hier), similiter Sym πρὸς τὸν Θεὸν τὴν εὐφροσύνην τῆς εὐθυμίας μου, LXX vulg *qui laetificat iuventutem meam*, sed hebr גיל alias apud LXX, vulg rite explicatur ἀγαλλίασις exsultatio (44, 16; 64, 13. Is. 16, 10. Ier. 48, 33. Os. 9, 1. Ioel 1, 16. Iob 3, 22); unde hoc loco nihil legendum est de iuventute, neque poeta se iuvenem fatetur. Et ibi coram altari Dei gratiarum actionem laudemque Dei spondet se persoluturum: *confitebor tibi in cithara*, cum musica sacra in templo levitis esset concredita (1 Par. 25, 1. 3. 6), ipse psalmista se levitam esse satis indicat. At quae laetus sibi animo fingit, procul absunt, solo desiderio tenentur; praesto sunt afflictiones, unde tertio repetit: *quare tristis es anima mea* etc.

« Ubi est Deus tuus »? Simili modo ridere solent infideles de afflictione piorum; simili contumelia obruunt inimici Ecclesiam, persecutionibus et impugnationibus obnoxiam. In hoc psalmo exemplum et doctrina omnibus afflictis et ludibriis aliorum expositis proponitur: adest moeror, verum maior et alacrior exsurgit spes ac fiducia, praesertim 42, 1 iudica causam meam, quae ultimatim est causa gloriae Dei, quae deficere nequit; gloriam meam alteri non dabo (Is. 42, 8. 48, 11).

Ps. 43.

1. *In finem Filiis Core — ad : intellectum.*

2. *Deus auribus nostris audivimus, | patres nostri annuntiaverunt nobis | opus quod operatus es in diebus eorum | — et : in diebus antiquis. | 3. Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos; | afflixisti populos, et expulisti eos; | 4. nec enim in gladio suo possederunt terram, | et brachium eorum non salvavit eos; | sed dextera tua et brachium tuum | et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti — in : eis.*

5. *Tu es ipse rex meus — et : Deus — meus : | qui mandas salutes Iacob. | 6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu | — et : in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. | 7. Non enim in arcu meo sperabo, | et gladius meus non salvabit me; | 8. salvasti enim nos de affligentibus nos, | et odientes nos confudisti. | 9. In Deo laudabimur tota die | et — in : nomine tuo confitebimur in saeculum.*

10. *Nunc autem repulisti et confudisti nos, | et non egredieris — Deus : in virtutibus nostris; | 11. avertisti nos retrorsum post inimicos nostros; | et qui oderunt nos, diripiebant sibi. | 12. Dedisti nos tamquam oves escarum, | et in gentibus dispersisti nos; | 13. vendidisti populum tuum sine pretio, | et non fuit multitudo in commutationibus eorum. | 14. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, | subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro; | 15. posuisti nos in similitudinem gentibus, | commotionem capitis in populis. | 16. Tota die verecundia mea contra me — est : | et confusio faciei meae cooperuit me, | 17. a voce exprobrantis et obloquentis, | a facie inimici et persequentis.*

18. *Haec omnia venerunt super nos nec obliti sumus te, | et inique non egimus in testamento tuo, | 19. — et : non recessit retro cor nostrum, | et declinasti semitas nostras a via tua; | 20. quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, | et cooperuit nos umbra mortis. | 21. Si obliti sumus nomen Dei nostri, | et — si : expandimus manus nostras ad deum alienum, | 22. nonne Deus requiret ista? | ipse enim novit abscondita cordis, | quoniam propter te mortificamur tota die, | aestimati sumus sicut oves occisionis.*

23. *Exsurge, quare obdormis, Domine, | exsurge — et : ne repellas in finem; | 24. quare faciem tuam avertis, | oblivisceris inopiae nostrae et tribulationis nostrae? | 25. quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, | conglutinatus est in terra venter noster. | 26. Exsurge — Domine : adiuva nos, | et redime nos propter nomen tuum.*

Psalmista opem Dei maioribus praestitam in memoriam revocat (v. 2-4) eandemque opem praesto fore sperat (v. 5-9) ; at nunc populus derelictus ab hostibus opprimitur et ludibrio habetur (v. 10-17), quamvis fideliter Deo adhaereat (v. 18-22). Quare rogat, ut Deus exsurgat et afflicto populo succurrat (v. 23-27).

Cui tempori psalmus attribuendus sit, veteres in varias sententias abiisse, Bellarminus et Calmet exponunt : « quidam ad captivitatem babylonicam referunt (Origenes, Cyrillus) ; Basilius, Chrysostomus, Theodoretus, Theodorus antiochenus, Euthymius, Beda et recentiores quidam ad Antiochi Epiphanis furias referendum censent » (*Calmet*). Ad tempus machabaicum Patrizi et plerique recentiores acatholici aptari psalmum censent ; ad quod tempus potissimum spectare videtur v. 13. 18-20. 23. Alii, uti *Ag.* optionem dant inter exsilium vel tempus Machabaeorum ; Bellarminus recenset Patrum graecorum sententiam, cantari in persona Machabaeorum, et opinionem latinorum (Ambr. Hier. Aug) exprimi in psalmo voces martyrum, et ipse concilians utrosque psalmum ad utrosque pertinere ait. Alii, uti Hoberg, variis sententiis relatis probari volunt nullum certum assignari posse tempus. At nihilominus omnibus perpensis tamquam sententia satis certa proponi potest, quod adoptarunt *de Lagarde*, *Cornely* (Synopsis Psalmorum) describi conditionem sub Ezechia rege tempore invasionis Assyriorum sub Sennacherib rege anno 701 (cf. 4 Reg. 18.19. Is. 36.37).

Miraberis fortasse in v. 2 nihil indicari de scriptis documentis, nihil de libris Moysi, sed solum provocari ad traditionem. Sed recogita saepius in illis scriptis moneri : et narres in auribus filii tui et nepotum tuorum (cf. Ex. 10,2 ; 12,26 ; 13,8.14. Deut. 6,20) et vide Ps. 77,3. Iud. 6,3. Opus illud antiquum explicatur v. 3 : tu manu tua gentes delesti (hebr, Hier) et *plantasti eos*, fit allusio ad septem illas gentes Canaan quas eiectum iri saepius dictum est (Gen. 15,21. Ex. 23,23 ; 32,2. Deut. 7,2. Ios. 3,10 ; 24,11) ; hos *populos afflixisti et expulisti*, patres autem nostros eorum loco *plantasti*, ut firmi et securi terram occuparent. Quam terrae occupationem v. 4 non suis armis, *gladio*, nec suae fortitudini, brachio, patres illi adscribere poterant ; verum *salvavit eos*, victoriam illis procuravit *dextera tua et brachium tuum*, divinum auxilium potentissimum et *lux vultus tui*, favor tuus et gratia (cf. 4,7 ; 42,3), nam *complacuisti in eis*, quia dilexit Deus patres tuos (Deut. 4,37 ; 7,8 ; 10,15) ; ceterum cf. Ps. 19,8 ; 32,16. Ios. 24,12. Iud. 7,2. Is. 42,13 ; 59,16, etc. Atque eadem norma etiamnum valet v. 5 *tu es ipse rex meus et Deus meus*, ὁ ἐντελλόμενος τὰς σωτηρίας Ἰακώβ LXX, qui mandato tuo procuras salutem ac felicitatem populi tui ; similiter syr ; textus mas. Hier : praecipe salutes Iacob ; verum petitio veniet postea v. 24 ; hoc loco exponitur et narratur Dei potentia, quare lectio LXX, syr, vulg retinenda est.

Potentia Dei eadem est quae antea; itaque v. 6 *in te, in nomine tuo*, per te, tuo nomine invocato, *ventilabimus cornu*, fortiter prosternemus; cf. Deut. 33,17. Ez. 34,21. Dan. 8,4; *et spernemus*, conculcabimus (hebr, Hier) *insurgentes in nos*, in nobis vulg, explica ex promiscuo usu *in* cum abl. et acc. in nos, contra nos. In sola ope divina reponi spem, pariter enuntiatur v. 7 *non enim in arcu meo*, recensentur arma quibus eminus et cominus pugnatur; et soli Deo adscribitur victoria, salus, confusio hostium v. 8 *salvasti enim nos*; quare v. 9 *in Deo* gaudebimus tota die (Hier); continuo, omni tempore gloriabimur de Deo, ita Aq ἐν τῷ Θεῷ καυχησόμεθα, Sym, τὸν Θεὸν ὑμνοῦμεν κατὰ πᾶσαν ἡμέραν; et nomen tuum celebrabimus in saeculum, per omnes generationes. Explicat *Ag.* illud vulg *laudabimur in Deo* i.e. tantum Deum nos habere gloriamur; fortasse magis ad litteram : nobis erit gloriae et laudi populum Dei talis vocari et esse.

At praesens rerum conditio quam diversa, quam hisce contraria v. 10 *et nunc repulisti nos*, ignominia nos affecisti, et *non egrederis* cum nostris exercitibus. Deum non esse cum pugnantibus, apparet; nam v. 11 in fugam nos dedisti coram hostibus, Hier vertisti terga nostra hosti; *et qui oderunt nos*, *diripiebant sibi*, praedabantur sibi (dativus commodi), scil. prout volebant, omnia rapiebant; v. 12 *dedisti nos* quasi gregem ad devorandum (Hier), quasi pecus ad cultrum destinatum; *et in gentibus*, inter gentes, *nos dispersisti*; narrat Sennacherib se expugnasse quadraginta sex urbes munitas, cum Ezechias Iudaeae se non subiecisset, et castella et oppida innumerabilia, et ducenta millia centum quinquaginta homines, viros ac mulieres, abstulisse (vide quae adduxi in Comment. in Isaiam I p. 264, 596); insuper de Israelitis inter gentes captivis sermo fit Am. 1,6.9; Ioel 3,6. Non solum victi sunt et captivi abducti, gratis quoque hostibus venditi v. 13 *vendidisti populum tuum sine pretio*, ergo gratis; ad litteram vertit Sym ἀπέδου οὐχ ὑπάρξεως, et alius ἐν οὐχ ὑπάρξει, i.e. tam vili pretio, ut pretium iam non dici possit; ipse Deus vili pretio eos tradidit, hebr nec multum fecisti (acquisivisti) pretiis eorum, ut *Gen.* ait, hac venditione non es factus ditior; simili modo explica LXX vulg *non fuit multitudo* pretii *in commutationibus eorum*, in venditione eorum, similiter Sym καὶ οὐ πολλὴν ἐποίησας τὴν τιμὴν αὐτῶν, non magnum fecisti pretium eorum. Sensus est : permisisti hostibus, ut nos ipsos et nostra raperent et in praedam agerent.

Hisce calamitatibus accedit *opprobrium* gentium vicinarum et *subsannatio*; querela est satis acerba : v. 14 tu ipse *posuisti nos opprobrium vicinis nostris*, v. 15 in proverbium *gentibus*, ita ut populi de nobis irridentes capita moverent (21,8); LXX ἔθου ἡμᾶς εἰς παραβολήν,

in parabolam, dicterium, fabulam, in carmen irrisorium, probrosum (cf. Is. 14,4-20 parabola in regem Babylonis; Ier. 24,9. Mich. 2,4; 3 Reg. 9,7 Israel erit in proverbium et in fabulam cunctis populis). Ezechias rex molitus erat rebellionem contra Assyrios; invasione Sennacherib facta mox coactus est fateri et legatis missis dicere : peccavi, omne quod imposueris mihi faciam (4 Reg. 18,14). Praeclara sane materia ludibriorum pro Edomitis; dein in memoriam revocandae sunt blasphemiae et irrisiones Rabsacis (4 Reg. 18,19-35; 19,10-13; Is. 36,4-20; 37,10-13); unde facile intelligitur quoque v. 16 *tota die*, continuo, confusio, ignominia mea coram me est, v. 17 *a voce exprobrantis* et blasphemantis, a facie inimici et ultoris (hebr, Hier), propter hostem vindictam spirantem. Cogita de defectione, quam Ezechias fatetur, dicens : peccavi, recede a me etc.

Et ad augmentum doloris et ad magnam admirationem, en, haec tristissima rerum conditio accidit instauratione cultus morumque a rege pio facta; v. 18 *nec obliti sumus te*, nec fidem fregimus (nec mentiti fuimus, Hier) foederi tuo; v. 19 *non recessit retro cor nostrum* nec declinavit gressus noster a via tua (hebr); animus noster et ratio vitae, internum et externum, cogitationes et opera, omnia ad tuam legem et ad sinceram pietatem erant composita — et tamen v. 20 *humiliasti nos* contrivisti nos *in loco afflictionis*; quod legitur כי, ὅτι, *quoniam*, supplendum erit, quod ex v. 18.19 sequitur : quid igitur deliquimus, vel quid causae est, quoniam contrivisti nos, cladibus acceptis; hebr in loco canum aureorum, Aq ἐν τόπῳ σειρήνων, Sym ἐν τόπῳ ἀκατήτῳ, in deserto; locutio est satis obscura. Contrivisti nos et regionem nostram vertisti in desertum? alii mutato textu coniectant : ad instar vermis (?) contrivisti nos; profundam miseriam depingit poeta : et cooperuisti nos umbra mortis; tenebrae, caligo symbolum sunt et imago adversitatum; de umbra mortis vide 23,4. Loca deserta tamquam habitacula canum aureorum (Schakale) aliarumque ferarum exhiberi solent apud prophetas Is. 13,22; 34,13; 43,20. Ier. 10,22; 49,33. Qui psalmum ad tempus Machabaeorum referunt, in deserto explicant ex 1 Mach. 2,29-38.

Iterum affirmatur rectus Dei cultus viguisse et vigere in populo v. 21 *si obliti* essemus *nomen Dei nostri et si expandimus*, expandissemus *manus nostras ad Deum alienum*, numquid Deus non investigaret istud? *ipse enim novit abscondita cordis*; magna confidentia provocant ad Dei scrutationem cordium. Si essemus cultores deorum, recte puniremur; at nunc prorsus aliter res se habet; *quoniam propter te mortificamur tota die*, caedimur continenter; in Deo confisus et ab Isaia propheta confortatus rex Ezechias postulationi deditionis resistit;

terra autem vastationibus et cladibus obnoxia est; narrat enim Sennacherib, urbes munitas quadraginta sex, castella innumerabilia et oppida capta esse (cf. Comment in Isaiam I, p. 596); propter te cf. Is. 37,10-17; in quo quasi censu habeantur ab hostibus, per hyperbolen ad rei indignitatem demonstrandam exprimitur; *aestimati sumus sicut oves* cultro et lanienae destinatae; iam non ut homines ab hostibus habemur, sine ulla verecundia mactamur, veluti pecora. Versum suo instituto accommodat Paulus (Rom. 8,36).

Illud *propter te mortificamur* simul vehemens est compellatio Dei, ut tandem opem ferat; unde v. 23 *exsurge*, quiescere videtur quamdiu non succurrat (Is. 42, 13.14), imo dormire (cf. 3 Reg. 18,27), *quare obdormis*, evigila, *ne repellas in finem*, in perpetuum; v. 24 *quare faciem tuam* abscondis? quia non videre, curare vult miserias, abscondit ne videat neve ad miserationem moveatur; eodem sensu *avertis* faciem a nobis. Quod gestu externo significatur, etiam animo inesse probabile est: *oblivisceris* miseriae nostrae et angustiae nostrae? et qualis ac quanta sit afflictio v. 25 *quoniam* incurvata est ad pulverem anima nostra; curvi sedemus in cinere et pulvere, symbolum est abiectionis summae et tristitiae (Is. 51,23); imo prostrati iacent in pulvere: *conglutinatus est terrae venter noster*; en, in quali humiliatione est populus qui vocatur ex nomine Domini! Unde intelligitur v. 26 *exsurge, adiuva nos, redime nos propter nomen tuum*, tua agitur gloria; tua censetur ignominia quae est ignominia populi tui. Nam apud gentes una est sors, clades, victoria, gloria populi et Dei sui. Et propter nomen suum Deus clade Assyriorum liberavit populum suum (Is. 37,20. 22-29. 34-38). Hebr propter gratiam, benignitatem tuam, חסד, Aq Sym διὰ τὸ ἔλεός σου, Hier propter misericordiam tuam.

Ps. 44.

1. *In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum. Canticum pro dilecto.*

2. *Eructavit cor meum verbum bonum, | dico ego opera mea regi; | lingua mea calamus scribae velociter — scribentis:*

3. *Speciosus forma prae filiis hominum, | diffusa est gratia in labiis tuis; | propterea benedixit te Deus in aeternum. | 4. Accingere gladio tuo super femur tuum, Potentissime, | specie tua et pulchritudine tua | 5. intende, prospere procede — et: regna, | propter veritatem et mansuetudinem — et: iustitiam | *et: deducet te mirabiliter dextera tua. | 6. Sagittae tuae acutae — | populi sub te cadent — | in corda inimicorum regis.*

7. Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi, | virga directionis virga regni tui. | 8. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, | propterea unxit te Deus, Deus tuus | oleo laetitiae prae consortibus tuis. | 9. Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis | a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te; | 10. filiae regum in honore tuo.

*Astitit regina a dextris tuis | in vestitu deaurato, — circumdata varietate : | 11. Audi filia et vide et inclina aurem tuam | et obliviscere populum tuum et domum patris tui; | 12. et concupiscet rex decorem tuum, | quoniam ipse — est : Dominus —Deus tuus, *et adorabunt eum. | 13. Et : filiae Tyri in muneribus | vultum tuum deprecabuntur — omnes : divites plebis.*

14. Omnis gloria — eius : filiae regis ab intus, | in fimbriis aureis, 15. circumamicta varietatibus. | Adducentur regi virgines post eam ; | proximae eius afferentur tibi ; | 16. afferentur in laetitia et exsultatione ; | adducentur in templum regis. | 17. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, | constitues eos principes super omnem terram. | 18. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem, | propterea populi confitebuntur tibi in aeternum et in saeculum — saeculi :

De titulo hebraeo (pro liliis, Hier) sat obscuro vide Cornely (Introd. II, n. 185, 4).

Poeta animo laeto et expedita lingua regem celebrare gestit (v. 2). Laudat regem a pulchritudine, fortitudine, iustitia ; mirum successum habet in prostratione hostium (v. 3-6). Unde regnum eius iustum firmum et ipse prae omnibus beatus in splendore et gloria (v. 7-9). Ei adstat regina pulchre ornata, quam poeta alloquitur, ut tota se regi tradat ; inde accipiet venerationem (v. 10-13). Ipsa est prae omnibus splendida in palatio regis, cuius filii principes erunt, cuius nomen celebrabitur in perpetuum (v. 14-18).

Sollemne est apud prophetas foedus inter Deum et populum tamquam sacrum quoddam considerare connubium : vocabit me (ait Dominus) : vir meus, et ego sponsabo te mihi in sempiternum, sponsabo te mihi in fide (Os. 2,16.19 ; Is. 50,1. Ier. 2,2. Ez. 16,8 ; unde apostasia a Deo seu idololatria nomine adulterii designatur (Os. 2,2. Ier. 13,27. Ez. 23,43). Christus ipse nomine sponsi nobis proponitur (Ioan. 3,29) et ipse se sponsum appellat (Matth. 9,15. Marc. 2,19. Luc. 5,35). Tale connubium sacrum celebratur in Cantico canticorum, etiam secundum targum Dominus est dilectus et congregatio Israel est dilecta (cf. v. g. targum ad 6,2). Et pro nostro psalmo targum clarissime expositionem de Messia rege et de eius Ecclesia proponit : nam ita ad v. 3 : pulchritudo tua, rex Messias, praestans est prae filiis hominum ; et ad v. 11 : audi congregatio Israel legem oris eius.

Ipsa itaque synagoga et Patres Ecclesiae in hoc psalmo laudes Christi eiusque sponsae Ecclesiae cantari agnoverunt. Longe maior interpretum pars idem sentit. Non tamen deerant qui sensu litterali carmen nuptiale (Salomonis, vel regis alicuius), sensu typico Christi cum Ecclesia nuptias celebrari opinarentur, cui tamen expositioni vehementer obstat regis maiestas, compellatio nomine Dei, regni eius universalitas et perpetuitas. Explicationi

messianae adiicitur calculus in novo testamento, Hebr. 1,8.9. Vide de hoc psalmo S. Hieronymum, ep. 65; *M.* 22,626 seq.

Poeta animum eximia quadam forma ac figura commoveri sentit: *eructavit*, ebullit cor meum rem praeclaram; carmina mea ego cano regi; lingua mea stilus scribae velocis (hebr, Hier). Eius itaque menti obversatur argumentum plane excellens; inde percipit ardentem quandam animi inflammationem, quae redundat in loquendi facultatem, ita ut mente visa ac concepta velociter verbis vestire atque exprimere valeat.

Quale sit *verbum bonum* illud, qualis res bona, statim in medias res ingressus declarat v. 3 *speciosus forma prae filiis hominum*, magis quam homines sunt, pulchritudo designatur plus quam humana; decore pulchrior es filiis hominum (Hier); pro forma hebr restituenda adverte veteres vertere κάλλει ἐκαλλιώθης Aq, κάλλει καλὸς εἶ, quinta κάλλει ὡραιώθης, legerunt itaque יפי יפית. Et unam effert pulchritudinis speciem qua animi hominum delectantur et capiuntur: *diffusa*, effusa, *est gratia in labiis tuis*, haec labiorum venustas atque suavitas potissimum residet in dulcedine ac iucunditate leniter renidendi, qua animi in alios benevolentia atque amor sincerus ac tener depingitur, et homo ipse amabilis apparet. Obversata est itaque poetae imago alicuius pulchritudine et amabilitate plus quam humana excellentis. Haec autem sunt documenta, quantopere ille a Deo sit insignitus et benedictione cumulatus in perpetuum: *propterea benedixit te Deus in aeternum*; illud *propterea* reddit causam, unde cognoscatur benedictio Dei: ideo cognosco benedictionem Dei in te esse datam in perpetuum; est scil. illatio logica et ratio seu causa cognitionis (cf. 41,7).

Descripta pulchritudine et amabilitate celebratur fortitudo, qua pro causa Dei pugnans populos sibi subiiciet (v. 4-6). Magno animi affectu et gaudio poeta victorias herois prosequitur, quod ex ipsa compellatione elucet v. 4 *accingere gladio tuo super femur tuum*; eius autem arma fore alterius prorsus generis, indicatur, cum addatur, ut heros גבור se accingat: gloria tua et decore tuo (Hier), *specie tua et pulchritudine tua* i.e. ut se induat suo splendore et maiestate. Et tua maiestate (hebr, v. 5) *prospere procede* (*et regna*) *propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam*, propter rationem seu causam veritatis etc. Huius herois expeditio bellica assumitur, ut eius maiestate stabiliatur veritas, ענוה πραΰτης, clementia, alias apud LXX ταπεινοφροσύνη, humilitas (animi demissio), et iustitia; haec tria si consistunt (veritas, seu fidelitas etc.) inter homines, regnum pacis et felicitatis erit constitutum. Et ad tale regnum efficiendum *deducet te mirabiliter dextera tua*,

potentia tua id efficietur. Expeditio bellica hebr v. 5 etiam in רכב conscende (equum vel currum, *Ag.*) indicatur, et etiam hoc loco : et docebit te terribilia dextera tua, qua locutione iam terribilis hostium strages declaratur, sicut etiam explicatius in v. 6 *sagittae tua acutae — populi sub te cadent* — qualis sagittarius ! integri populi prosternuntur ! et sagittae eius infiguntur ἐν καρδίᾳ in corde inimicorum regis, seu diriguntur κατὰ καρδίας (Sym) ; cor est sedes ac centrum vitae ; plena inimicorum exstinctio designatur (cf. 2,9 ; 109, 5.6).

Stabilita veritate et iustitia hostibusque prostratis (v. 4-6) describitur quale futurum sit regnum eius v. 7 *sedes tua*, thronus tuus (hebr, LXX ὁ θρόνος σου, item Aq Sym Theod Hier), ὁ Θεὸς, *Deus*, compellatur nomine divino, quam compellationem veteres pariter exprimunt, Aq Θεέ (uti Eus. Hier explicite testantur), alii ὁ θεός qua forma item fit allocutio graece ; nam Θεός manet etiam in vocativo et cum hoc loco iste vocativus sit appositio ad σου, etiam articulus ὁ debuit apponi secundum grammaticam graecam. Quod interpretes graeci exprimunt, etiam in textu hebr habetur : thronus tuus, Elohim, in saeculum et in aeternum ; arbitrarie vertit *Baethgen* : thronus tuus est thronus Dei semper et in aeternum ; *Duhm* vero delet vocem Elohim, dicens non posse esse vocativum, quia rex ille non sit Deus. Clare rem exhibet targum : thronus gloriae tuae. Iahve, permanet in saecula saeculorum. Insuper attende, in antecedentibus et in subsequentibus unus ille compellatur, de quo sermo est a v. 3, et cuius thronus dicitur aeternus, *in saeculum saeculi*, et cuius sceptrum dicitur sceptrum rectitudinis, *virga*, LXX ῥάβδος, Aq σκῆπτρον, Hier sceptrum aequitatis, *virga directionis*, sceptrum iustum est sceptrum *regni tui*.

Thronum et regnum accepit aeternum. Haec est eius quasi gloria externa. Dein progreditur poeta ad internam eius beatitudinem, v. 8 *dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem*, ita recolitur v. 5.6 : stabilivit iustitiam quam ipse summopere diligit, odio habet iniquitatem, ideoque inimicos contumaces deiecit ; merces ei penditur a Deo *propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae*, gaudii, exsultationis (Hier) ; cf. 22,5. Is. 61,3 ; summa quadam perfunditur beatitudine, cuius symbolum externum est unctio a Deo ei facta ; et quidem *prae consortibus tuis* ; habuit itaque in expeditione illa v. 5-6 consortes, socios pugnae, qui aliqua ratione cum eo eius quoque beatitudinis exhibentur esse participes. Et quam superabundans sit unctio illa, declaratur quia omnia eius vestimenta odorifera sunt et aromata spirant ; v. 9 *myrrha et gutta*, stacte (Hier) LXX, xylaloe, *et casia* omnia vestimenta tua (hebr), i.e. odoribus istis atque unguentis plane imbuta sunt ; de myrrha cf. Prov. 7,17. Ex. 30,23. Cant. 4,14 ; 5,13 ; de aloe vide Lexi-

con bibl. I p. 196, et ibidem p. 781 de cassia (melius casia). Aromata ista exhalantur *a vestimentis tuis*, exhalantur *a domibus eburneis*, quarum scil. cubicula ebore exornata sunt, *ex quibus delectaverunt te*, canticis et choris, *filiae regum in honore tuo* in die triumphi tui et magnificae pompae.

Textus mas. ita reddi solet : ex palatiis eburneis (scil. ebore vestitis) fidium cantus te delectant; filiae regum in pretiosis tuis, Sym ἐν τῷ τιμᾶν σε, alius ἐν τοῖς ἐνδόξοις σου, intelligi quoque potest : filiae regum inter dilectas tuas. Alii : filiae regum (accedunt) in ornamentis pretiosissimis (*Duhm*). Filias has regum explicat targum : regiones regnorum venient, ut suscipiant faciem tuam et te honorent.

Si rex speciosus prae filiis hominum etc. eousque descriptus intelligitur esse ipse rex Messias, iam per se patet quaenam sit regina, est eius sponsa, plebs ei dicata et sacra, eodem modo quo populus Israel sponsa Domini describitur. Ita targum saltem in v. 11 rem concipit, cum illud audi, filia, ergo allocutio ad reginam explicetur : audi, congregatio Israel. In honore et maximo ornatu decoratam sacer poeta hanc Messiae sponsam, eius gloriae participem, nobis exhibet : *astitit regina*, adstat coniux, *a dextris tuis in vestitu deaurato*, Hier in diademate aureo, hebr in auro Ophir. Hebr שָׁגַל reddunt LXX, Theod sexta, βασίλισσα, Aq σύγκοιτος, Sym παλλακή, item quinta, Hier coniunx. De additamento *circumdata varietate*, adnotat *Eus.* τὸ δὲ περιβεβλημένη καὶ πεποικιλμένη οὔτε ἐν τῇ ἑβραϊκῇ ἀναγνώσει οὔτε παρὰ τοῖς λοιποῖς ἑρμηνευταῖς φέρεται· διὸ ὠβέλισται, verba illa amicta, variegata, magnificentiam ornamenti designant (*Theod.*).

Eam alloquitur sacer poeta, ut se toto corde tradat regi v. 11 *audi filia et vide*, et considera, tecum perpende (uti videre saepe rite concipitur), promptam urget obedientiam, unde repetito : *inclina aurem tuam*, et prius quidem necesse est, ut cor avellatur ab aliis, quibus potissimum affigi solet : *et obliviscere populum tuum et domum patris tui*; quasi personam suscipit νυμφαγωγοῦ eique monita coniugalia tradit (*Aq.*); hac enim cordis ab alienis affectionibus exspoliatione maiorem sibi conciliabit regis complacentiam : *et concupiscet rex decorem tuum*; et insuper ille rex habet ius, ut plenam eius subiectionem exigat : *quoniam ipse est dominus tuus*, adeoque adora eum, seu prosterne te coram eo. Aq Theod προσκύνησον αὐτῷ, Sym προσκύνει αὐτῷ, Hier adora eum; in vulg additur *Deus*, LXX et vulg et adorabunt eum. Quae tamen pars in LXX refertur ad v. 13 et adorabunt eum filiae Tyri in muneribus; unde nova affertur ratio, cur se totam tradat regi domino, qui scil. ita excellens est, ut a ditissimis Tyriis in summa habeatur veneratione. Dein ex gloria regis in ipsam quoque multum redundabit

aestimationis ac reverentiae : *vultum tuum deprecabuntur* (*omnes*) *divites plebis*, humillime expetent et sollicitabunt favorem tuum ac benevolentiam. Hebr ובת lege ובאת et veniet Tyrus cum muneribus[1].

Defixus mente in contemplatione reginae ex nobili prosapia — filia est regis — exclamat : v. 14 tota gloria est filia regis intrinsecus (hebr), scil. in palatio regis ; est illa quasi tota splendor, tota magnificentia ; et auro intexta est eius vestis (hebr), Hier fasceis aureis vestita est ; eo sensu quoque intellige vulg : *omnis gloria eius filiae regis ab intus* LXX ἔσωθεν (Εσεβων, mire habent B, ℵ λ), omnis eius decor est intus, intrinsecus, *in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*, Sym ἡμφιεσμένη ποίκιλα. Ad pompam reginae pertinent vestes pretiosae ; unde hebr in variegatis (Hier in scutulatis) adducitur ad regem ; ad pompam reginae etiam requiruntur virgines nobiles eam comitantes ; unde hebr : virgines post eam, amicae eius adductae tibi ; et virgines comites reginae etiam adducuntur in palatium regis, v. 16 *afferentur in laetitia et exsultatione, adducentur in templum* (palatium) *regis* ; in vulg id iam in v. 15 enuntiatur. Quod legitur in v. 15 *afferentur tibi* cum tam subita personae mutatione non potest consistere. Remedium est, ut haec pars omittatur, vel ut illud *tibi* corrigatur in *ei* (sibi, hebr amicae eius quas sibi (secum) adduxit) ; nam a v. 14 iam non fit directa compellatio reginae, et in v. 17 allocutio redit ad ipsum regem.

Descripta est v. 14-16 sollemnis adductio virginum nobilium, comitum reginae, ad reginam et ad palatium regis. Iam effertur dominatio regis, in qua consortes habet filios principes regionum v. 17 pro patribus tuis erunt filii tui (hebr, Hier) ; maiores, patres regis dominabantur, simili modo filii huius regis habebunt dominium ; verum alia ratione ; *nam constitues eos principes* in universa terra ; retinetur imago desponsationis et connubii ; quare membra seu subditi regni messiani vocantur filii, ex quibus multi assumendi erunt ad varia munera in hoc regno gerenda, cuius regni universalis ratio, uti iam v. 6 est enuntiata, hic quoque designatur et iterum in v. 18 *memores erunt nominis tui*, tui nominis memoriam et gloriam celebrabunt, *in omni generatione et generationem*, hebr, Hier recordabor, Aq Sym Theod ἀναμνήσω, at merito aliqui recentiores emendant secundum LXX et vulg (cf. *Duhm*) ; nam hi principes praedicabunt nomen regis eiusque laudes per omnes generationes annuntiabunt ; et eorum praedicatio non caret effectu : *propterea populi confitebuntur tibi in aeternum et in saeculum saeculi* ; cf. Is. 9,7 ; 2 Reg. 7,16.

1. Ita emendat Riedel (Zeitschrift f. altt. Wissenschaft, 1900, p. 317).

Ps. 45.

1. *In finem. Filiis Core pro arcanis. Psalmus.*

2. *Deus noster refugium et virtus,* | *adiutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis;* | 3. *propterea non timebimus, dum turbabitur terra,* | *et transferentur montes in cor maris.* | 4. *Sonuerunt et turbatae sunt aquae eorum,* | *conturbati sunt montes in fortitudine eius.*

5. *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei;* | *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;* | 6. *Deus, in medio eius, non commovebitur;* | *adiuvabit eam Deus mane diluculo.* | 7. *Conturbatae sunt gentes, — et : inclinata sunt regna;* | *dedit vocem suam, mota est terra.* | 8. *Dominus virtutum nobiscum;* | *susceptor noster Deus Iacob.*

9. *Venite et videte opera Domini,* | *quae posuit prodigia super terram;* | 10. *auferens bella usque ad finem terrae;* | *arcum conteret et confringet arma,* | *— et : scuta comburet igni.* | 11. *Vacate et videte quoniam ego — sum : Deus;* | *exaltabor in gentibus — et : exaltabor in terra.* | 12. *Dominus virtutum nobiscum;* | *susceptor noster Deus Iacob.*

In v. 8 et 12 habetur versus intercalaris : *Dominus virtutum nobiscum susceptor noster Deus Iacob*, qui etiam post v. 4 poni debebit; tum habentur tres strophae satis aequales. In versu hoc intercalari continetur summum psalmi argumentum. Deus est firmum nostrum munimentum, etsi terrena cuncta turbari et concidere videantur (v. 2-4), est adiutor exstinctis bellis sese exhibens gloriosum (v. 9-12).

Describitur in psalmo symbolis illis commotionis terrae montiumque vacillationis et conturbationis fluctuumque agitationis maximus quidam impetus hostium (v. 3.4); sancta autem civitas laetabunda incolumis manet (v. 5.6); gentes vero conturbantur, vacillant regna, bella exstinguuntur, arma confringuntur (v. 7-10). Legimus in v. 6 : adiuvit urbem Iahve appropinquante mane. Quae omnia conformata sunt ad invasionem Sennacherib et ad salutem urbi concessam; et ad v. 6 confer quae de eadem liberatione ab Assyriis prophetat Is. 17, 14 in tempore vespere et ecce turbatio, in matutino et non subsistet; pariter 4 Reg. 19,35 factum est igitur in nocte illa et venit angelus Domini et percussit in castris Assyriorum 185000 ; cumque (rex) diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum ; cf. Is. 37,36. Hic psalmus est itaque canticum laudis et gratiarum actionis pro periculo illo, quod Deus ab urbe mirabiliter avertit.

Haec liberatio et salus facta exprimitur v. 2 Deus nobis (est) refugium et fortitudo (ut) auxilium in tribulationis inventus est valde (hebr, sim. Hier, Aq Sym εὑρέθη, σφόδρα, al. ἐν θλίψεσιν εὑρισκόμενος). Inde oritur summa fiducia v. 3 *propterea non timebimus*, dum tremit terra et concutiuntur montes in corde maris, i.e. in summis angustiis, quarum recordatio recens et vehementissima in ipsis symbolis terrae vacil-

lantis (seu locum suum mutantis ? hebr) et montium concussorum clare exprimitur; montes radices habent in profundo mari, tamquam columnae ad terram firmandam. Si ipsi concutiuntur, iam ruina proxime instat. Ita in expeditione Sennacherib omnia corruere videbantur. Eius invasionis impetus delineatur v. 4 *sonuerunt et turbatae sunt aquae*, τὰ ὕδατα αὐτῶν (scil. θαλασσῶν in v. 3) — unde in vulg *eorum*; *conturbati sunt montes in fortitudine eius* in elatione eius, scil. maris; ipsi montes vacillant percussi fluctibus maris intumescentis. Ita secundum LXX et vulg. In hebr legitur imperfectum; unde haud male Sym, Hier arcte haec adnectunt ad antecedentia : sonantibus et intumescentibus gurgitibus eius et agitatis montibus in potentia eius. Uti supra iam dictum est, post v. 4 inseri debebit versus intercalaris; et ad hanc insertionem optime congruit hebr imperfectum : strepant, aestuent aquae eius, concutiantur montes in elatione eius, Dominus exercituum nobiscum est, munimentum nobis est Deus Iacob.

Atque tale Dei auxilium urbs Ierusalem experta est v. 5 *fluminis impetus laetificat civitatem Dei*, hebr fluvius — divisiones eius laetificant urbem Dei; Aq Sym Hier fluminis divisiones; allusionem fieri ad aquas Siloe quae vadunt cum silentio, *Ag. Gen.*; praeterea putat *Ag.* potius alludi ad Is. 22,11 et Eccli 48,19; Ezechias munivit civitatem suam et induxit in medium ipsius aquam et fodit ferro rupem et aedificavit ad aquam (recipiendam) puteum; de aquaeductu et aquis in urbem inductis vide 4 Reg. 20,20 et 2 Par. 32,30. Fluvium hunc sensu spirituali esse intelligendum, iam *Eus. Aug.* monent et explicant *Ag. Gen.* de copiosa gratia Dei, similiter uti Ps. 35, 9; in oppositione ad tumentes maris fluctus, i.e. ad tumultum et irruptionem hostium eorumque terrorem exhibetur fluvius afferens laetitiam; cf. Is. 66, 12 ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis. Pro terrore hostili Deus tribuit laetitiam; *nam sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, locum habitationis, scil. civitatem Dei, in qua templum Domini consistit (cf. 3 Reg. 9,3), vel, uti Sym, Hier reddunt hebr, tamquam appositionem ad civitatem Dei : τὸ ἅγιον τῆς κατασκηνώσεως τοῦ ὑψίστου, sanctum tabernaculum Altissimi. Cum hebr habeatur pluralis : sanctuarium habitationum, innuitur prae Silo et Gabaon urbem Ierusalem esse excellentius Dei tabernaculum.

Uti templum, ita v. 6 *Deus in medio eius*, unde nihil sinistri urbs experitur : *non commovebitur*; cf. Is. 37, 33 non iaciet ibi sagittam, non occupabit eam clypeus, et non mittet in circuitu eius aggerem; verum *adiuvabit eam Deus mane diluculo*, Hier in ipso ortu matutino, quomodo auxiliatus sit ei, narratur 4 Reg. 19,35 et Is. 37.36. In versione melius exprimitur tempus praesens : non commovetur, adiuvat.

Et adiutorium Dei describitur ex effectu v. 7 *conturbatae sunt gentes*, fremuerunt, *inclinata sunt regna*, vacillarunt, *dedit vocem suam*, tonuit Deus, movetur terra, ita ut mota sit terra (hebr imperfectum). Et cur ita evenerit, declaratur versu intercalari : v. 8 *Dominus virtutum nobiscum*, *susceptor noster*, munimentum seu arx nobis est *Deus Iacob*; cf. 23,8.10; 1 Reg. 17,45 Dominus exercituum, Deus agminum Israel.

Haec Dei opera ut bene perpendant, monet psalmista v. 9 *venite videte opera Domini*, qui posuit consternationes (vastationes) in terra; τέρατα, *prodigia* bene dicuntur de terroribus incussis ob repentinam illam cladem Assyriorum; illa prostratione enim simul finem fecit totius illius expeditionis Sennacherib v. 10 *auferens bella usque ad finem terrae*, Sennacherib iam non reversus est; mansit in Ninive (4 Reg. 19,36. Is. 37.37); arcum conterit et concidet hastam, currus comburit igni (hebr); quae sunt sententiae attributae quibus illud auferens seu quiescere faciens bella explicatur. Ex hisce autem, quae tanta potentia Deus patravit, discant gloriam Dei v. 11 *vacate*, desinite, allocutio scil. ad gentes, ut ab omni conatu contra populum Dei desistant, *et videte*, i.e. considerate et clare discite, *quoniam ego sum Deus*, excelsus in gentibus, qui inter gentes se excelsum exhibet, excelsus in terra; *exaltabor*, exaltor, sum excelsus. Concluditur triumphali versu intercalari v. 12 Dominus exercituum nobiscum, arx nobis Deus Iacob.

Ps. 46.

1. *In finem, pro filiis Core, Psalmus.*

2. *Omnes gentes, plaudite manibus,* | *iubilate Deo in voce exsultationis;* | 3. *quoniam Dominus excelsus, terribilis,* | *rex magnus super omnem terram.* | 4. *Subiecit populos nobis,* | *et gentes sub pedibus nostris.* | 5. *Elegit nobis hereditatem suam,* | *speciem Iacob quam dilexit.*

6. *Ascendit Deus in iubilo,* | *et Dominus in voce tubae.* | 7. *Psallite Deo — nostro : psallite,* | *psallite regi nostro, psallite;* | 8. *quoniam rex omnis terrae Deus,* | *psallite sapienter.* | 9. *Regnabit Deus super gentes;* | *Deus sedet super sedem sanctam suam.* | 10. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham,* | *quoniam dii fortes terrae vehementer elevati sunt.*

Regnum Dei in populo Iacob constitutum praesagium est regni eius universalis; quare celebrate regem omnium gentium.

Iam prophetae vaticiniis variis contra gentes clare docebant Iahve esse regem ac dominatorem omnium. Quare minime mirum est, psalmistam exhortari gentes, ut omnes gentes plausu regem suum salu-

tent v. 2; idque potiore iure monet, quia animo eius iam obversatur ipse ille psalmi tenor et exitus (v. 9.10). Ratio plausus, quo accessio ad thronum cum gaudio excipitur (cf. 4 Reg. 11,12), et iubilationis est, quia *Dominus* est *excelsus*, *terribilis* contra hostes, *rex magnus super omnem terram*. Idque ostendit eo quod populos Canaan subiecit v. 4 et v. 5 *et elegit nobis hereditatem suam*, nobis dedit ipsam terram quam sibi hereditatem suam elegit; vide 36,29 *et speciem Iacob*, superbiam Iacob quem dilexit; et haec terra vel haec hereditas Dei est superbia, gloria Iacob, populi Iacob, quem Dominus dilexit. In hebr elegit nobis hereditatem nostram; et ita Aq Sym Hier; quod LXX et vulg habent τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ, maius declarat beneficium Dei et maiorem populi excellentiam.

In ipsis certaminibus ad nationes Canaan subiugandas Dominus exercituum, Deus agminum Israel (1 Reg. 17,45) ipse erat bellator; nam 43,4 : nec enim in gladio suo possederunt terram, sed dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui et vide Deut. 7,7.22 ipse Dominus consumet nationes has in conspectu tuo, et Deut. 9,3 scies quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos et deleat atque disperdat ante faciem tuam. Ad certamina itaque Dominus descendisse censetur; parta victoria redit ad thronum suum coelestem, similiter sicut dicitur Gen. 17,22, Deus, cum finisset loqui, ascendit ab Abraham; v. 6 *ascendit Deus in iubilo et Dominus in voce tubae*, in clangore bucinae: qui ascensus triumphalis carminibus et laudum canticis celebrari debet; unde v. 7 *psallite*, idque repetito ad maiorem sollemnitatem fieri debet; in ea victoria Deus iam agnosci debet ac celebrari v. 8 *rex omnis terrae*; idque sollemniore modo asseritur v. 9 rex est *Deus super gentes*, *Deus sedet super sedem sanctam suam*, qua locutione etiam illud *ascendit* v. 6 declaratur; proprium est regis sedere in throno, quem Dominus sibi paravit in coelo, qui dicitur sanctus, utpote longissime remotus a rerum humanarum contagione et unice ad Deum pertinens; et uti coelum omnibus imminet, ita regnum eius omnibus dominatur (102,19; *Ag.*).

Atque haec universalis dominatio indicatur v. 10 *principes*, nobiles, populorum congregantur (tamquam) populus Dei Abraham: ita hebr, Sym, Theod λαὸς τοῦ θεοῦ Ἀβραάμ, Hier populus Dei Abraham; ita clare enuntiatur regnum Dei super Israel tandem evasurum regnum universale. Idem habetur in pronuntiatione quam indicant LXX μετὰ τοῦ θεοῦ cum Deo Abraham; aliquibus placuit utrumque coniungere : cum populo Dei Abraham, ubi sensus idem enascitur. Et cur tandem regnum Dei universale exsistere debeat, ratio affertur hebr quia Deo sunt clypei

terrae, i.e. bellatores, potentes (cf. 89,19 hebr); simili modo legimus 2 Sam. 1,27 quomodo ceciderunt robusti et perierunt vasa belli, ubi σκεύη πολεμικά bellatores illi ac principes, Saul et Ionathan, appellantur. Fortes et potentes terrae Deus sibi vindicat tamquam rem suam; et iure sibi vindicat : valde elevatus est (hebr); ipsa Dei maiestas sufficiens titulus est dominationis universalis, cui cuncta subdantur. Quod praebet vulg *quoniam dii* (LXX τοῦ θεοῦ) *fortes terrae vehementer elevati sunt*, nequit intelligi, neque si legitur cum LXX Dei fortes terrae.

Ex v. 6 ascendit Deus in iubilo, primo exoritur cogitatio de triumphali ascensione arcae in templum; et cum in v. 4 de victoriis mentio fiat, posset videri carmen esse canticum gratiarum actionis de bello quodam feliciter gesto, ad quod etiam arca adducta sit, uti olim 1 Reg. 4,4, quae nunc festiva pompa suo loco reponatur. At re parumper considerata videbis haec non sufficere. Taceo plane ignorari sitne arca ex adyto templi in bellum denuo educta, de qua re ne minimum quidem vestigium habetur. Sed quomodo ex victoria Israel *omnes populi* ad plausum et iubilum provocantur? num ex v. 4 subiecit *populos* nobis, ipsi de sua clade iubentur manibus plaudere? quomodo ex tali bello feliciter gesto sequitur regnum Dei universale? v. 8. 9. 10?

In acceptione quam supra proposui cuncta facile fluunt. Minime habetur absurdum illud (quod *Duhm* psalmistae adscribere non veretur), populos invitari ut de sua ipsorum clade exsultent. Verum iubilus indicitur de regno Dei universali quod psalmista mente praeoccupat ex v. 8-10 et statim in v. 3 directe enuntiat. Huius regni fundamentum et prima delineatio habetur in v. 4. 5 occupatione terrae Palaestinae et electione populi. Bene notandum est, in hac sola acceptione optime intelligi hanc dictionem : elegit nobis hereditatem suam; electio enim non iterum iterumque per saeculorum cursum facta est; sed semel in perpetuum elegit Deus terram illam hereditatem suam. In hac autem electione (elegit *nobis*) impletur promissio toties data patriarchis; quae promissio terrae annexam habet aliam longe maiorem : benedicentur in te universae cognationes terrae; vide Gen. 12, 1-3; 15,5-7; 18,18; 22,16-18; 26,3.4; 28,13.14 et 49, 8-10, ex quibus effatis luculentissime patet regnum Dei in Israel fundatum destinari, ut tandem aliquando complectatur omnes tribus terrae, ut fiat universale. Atque hoc in nostro psalmo cum iubilo etiam annuntiatur.

Ps. 47.

1. *Psalmus Cantici filiis Core-secunda sabbati :*

2. *Magnus Dominus et laudabilis nimis | in civitate Dei nostri, — in : monte sancto eius.* | 3. *Fundatur exsultatione universae terrae mons Sion, | latera aquilonis, civitas regis magni.* | 4. *Deus in domibus eius cognoscetur, | cum suscipiet eam.*

5. *Quoniam ecce reges terrae congregati sunt, | convenerunt in unum;* | 6. *ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt ;* | 7. *tremor apprehendit eos, | ibi dolores ut parturientis.* | 8. *In spiritu vehementi conteres | naves Tharsis.*

9. *Sicut audivimus, sic vidimus | in civitate Domini virtutum, | in civitate Dei nostri :* | *Deus fundavit eam in aeternum.* | 10. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* | 11. *Secundum nomen tuum Deus, sic—et : laus tua | in fines terrae ;* | *iustitia plena est dextera tua ;* | 12. *laetetur mons Sion | — et : exsultent filiae Iudae | propter iudicia tua, — Domine :*

13. *Circumdate Sion et complectimini eam ;* | *narrate in turribus eius,* | 14. *ponite corda vestra in virtute eius | — et : distribuite domos eius, | ut enarretis in progenie altera :* | 15. *quoniam hic est Deus, Deus noster | in aeternum et in saeculum — saeculi :* | *ipse reget nos in saecula.*

Titulo graeco adscribitur δευτέρᾳ σαββάτου, nihil in hebraeo.

Canticum est laudis et actionis gratiarum pro mirabili liberatione civitatis Ierusalem; qui enim contra eam congressi sunt reges, hos Dominus subito dissipavit (v. 2-8). Quae maiores nobis narrarunt, ipsi vidimus, Deum tueri civitatem suam; unde laus Dei celebranda, cuius auxilium in urbis incolumitate experimur (v. 9-15).

Plerumque refertur psalmus ad cladem divinitus exercitui Sennacherib inflictam; tum v. 5 non reges intellige, sed duces exercitus; sicut rex Assur gloriabundus loquitur : numquid non principes mei reges sunt (Is. 10,9) ? alii probabilius censent designari expeditionem regum Ammon, Moab, Edom contra Iosaphat regem (2 Par. 20). Cui sententiae favet v. 5.6 et v. 10 (cf. 2 Par. 20,13 sq.); at contra est quod de periculo ipsius urbis, de eius vel obsidione vel destructione nihil in ea expeditione occurrit; nam exercitus hostium consistit in Asasonthamar (Engaddi) et Iosaphat cum suis egreditur obviam eis per desertum Thecue (v. 2.20). Hostes caedibus mutuis pereunt; cum longe ab urbe interimantur, non intelligitur, cur tanta emphasi fiat adhortatio v. 13-15; insuper cf. v. 2.4.9.

Periculum proxime imminuisse ipsi urbi iam indicatur, cum statim efferatur v. 2 *magnus Dominus et laudabilis nimis* idque non abstracte neque in universum, sed directe et concrete, id est : hic et nunc : *in civitate Dei nostri*; in ea igitur et circa eam talia evenerunt, quibus

maiestas Dei et gloria, laus et actio gratiarum ei debita potissimum declaratur. In LXX et vulg additur *in monte sancto eius,* quasi appositio, seu altera ratio, cur sit magnus Dominus et αἰνετὸς σφόδρα, vel (secundum reliquos) ὑμνητὸς σφόδρα (*Eus.*); vulg *fundatur exsultatione universae terrae mons Sion*, ex lectione LXX εὐρίζω, mons dicitur habere firmas radices; ergo firmiter fundatus est, idque ad gaudium et exsultationem totius terrae populi Dei. De universo orbe non videtur explicandum esse, quia ceteroquin in hoc psalmo nihil habetur de regno messiano. Sed quod mons Sion inconcussus manet, toti populo est causa laetitiae.

Textus hebr ita melius iungitur : mons sanctus eius, pulcher elevatione, laetitia totius terrae; *mons Sion*, LXX montes Sion, *latera aquilonis* (sunt) *civitas regis magni*; quid sibi volunt latera aquilonis ? repudianda est mythica opinio de monte deorum aquilonari, ita ut psalmista montem Sion tamquam verum domicilium Dei designaret in oppositione ad opinationem illam, cuius vestigium Is. 14,13 cernitur et fortasse Iob 37,22 et Ez. 28,14.16. Nam quis talem allusionem statim intelligeret ? neque psalmista habitaculum Dei nomine appellaret idololatrarum ! Locum hunc explicat *Zenner* ita lectione LXX ἔρη supposita : urbs tribus montibus constat; duo versus meridiem ex adverso siti separantur valle; duobus muris haec urbis pars cingitur (muro occidentali collis orientalis et muro orientali collis occidentalis); ambo muri septentrionem versus angulum formant, cuius acumen versus Ophel et aream templi dirigitur (Chorgesänge im Buche der Psalmen, p. 33-34). Igitur montibus et duobus istis muris designatur civitas Dei. Atque *in domibus eius*, in palatiis eius *Deus cognoscetur*, lege cum Hier et explica cum hebr : agnitus est, *cum suscipiet eam*, hebr ad munimentum, cognitus est et sese praestitit in munimentum, quia eius auxilio palatia firma consistunt.

Nam civitatem, palatia fuisse extremo periculo obiecta, discimus v. 5 *quoniam ecce reges* (*terrae*) *congregati sunt, convenerunt in unum*, adventarunt una; expeditio militaris contra urbem suscipitur; at quo successu ? hebr v. 6 ipsi viderunt (considerarunt), sic obstupuerunt, conturbati sunt, perterriti sunt ; videre urbem, seu de ea capienda deliberare idem erat atque statim stupore corripi, conturbari, in fugam sese festinanter proiicere; nam v. 7 *tremor apprehendit eos ibi , dolores ut parturientis*, qui dolores puerperae et subito irruunt et acutissimi sunt. Ita describitur terror quo reges illi repente et vehementer correpti sunt; cf. Is. 33,14. Idem enuntiatur comparatione alia ex tempestate et naufragio desumpta v. 8 *in spiritu vehementi*, procella ab oriente saeviente *conteres*, conteris *naves Tharsis*, naves maximas, quae usque in Tartessum (Hispaniae regionem) tuto vela dant ; cf. Ier. 18, 17 sicut

ventus ab oriente saeviens (hebr) dispergam eos et Ez. 27.26 et Is. 33,21 videtur potentiam Assyriorum navi et trieri comparare, quae non possit urbi Ierusalem appropinquare. Quae narratione maiorum vel ipsa lectione historiae sacrae et partim etiam praedicatione prophetarum de Dei magnalibus audierunt, similia nunc ipsi experti sunt v. 9 *sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum* in ipsa hac nostra civitate et mirabili eius praeservatione oculis cernimus : Deus eam stabilit usque in aeternum ; est scil. urbs Domini exercituum.

Quare beneficii accepti gratam memoriam recolunt sollemni coetu in templo v. 10 *suscepimus*, recolimus seu meditamur (hebr), *Deus misericordiam tuam*, seu gratiam tuam, *in medio templi tui* ; v. 11 hoc beneficio uti *nomen*[1] *Dei*, ipse Deus et manifestatio potentiae eius, et consequenter, *sic etiam laus eius* celebratur usque *in fines terrae*, ultra regionem palaestinensem ; nam de clade Assur alias quoque nationes et nuntium accepisse et commodum percepisse recte putatur. Hoc opus Dei dicitur in v. 11 *iustitia*, in v. 12 *iudicium* ; potentissima *dextera tua plena est iustitia*, iustis operibus, beneficiis in pios, in hostes ultionibus. Quare v. 12 *laetetur mons Sion*, ipsa urbs Ierusalem et cum metropoli *exsultent filiae Iudae*, reliquae urbes et oppida *propter iudicia tua, Domine*, quibus suum cuique tribuit ; suo populo gratiam quam petierant, hostibus stragem ob blasphemiam et insolentiam (Is. 37).

Quale periculum urbi imminuerit, etiam colligitur ex admonitione, ut cum gaudio urbem per singula intactam considerent idque posteris enarrent ; v. 13 *circumdate*, circumite, *Sion* et circumambite eam, numerate turres eius (hebr, Hier, Sym ἀριθμήσατε) ; ecce cuncta sunt salva (cf. Is. 33,18 ubi quaestionibus : ubi est ? hostes incassum abisse simili modo significatur de expeditione Sennacherib ; vide meum Comment. in Is I p. 576) ; v. 14 *ponite corda vestra*, attendite ad antemurale eius (hebr, Sym εἰς τὸν περίβολον αὐτῆς) ; sed quo sensu ? firmum adhuc stat, praesidium forte ? sed fortasse melius : num tali vallo contra impetum hostis potentissimi tuti esse potuissemus ? psalmista saepius monet auxilium humanum esse fallax (32,16 ; 43,4.7 ; idem monent prophetae, quare iure merito hanc praeferes acceptionem : *distribuite domos eius*, Sym διαμετρήσατε τὰ βασίλεια αὐτῆς, dimetimini palatia eius ; en integra sunt ; hebr communiter explicant : perambulate eius palatia ; cuncta lustrate ; nihil periit ; egregie protecti fuimus ; haec singula notate, *ut enarretis in progenie altera*, generationi futurae v. 15 *quoniam hic Deus* (qui talia nobis tribuit *est Deus noster in aeternum et in saeculum saeculi, ipse reget*, ducet, *nos in saecula*. Pos-

1. Emendat *Perles* שביך uti coeli tui, ita laus tua usque in fines terrae.

teri itaque discant firmam in Deum fiduciam pro omni tempore huius vitae, et Deum in aeternum immutabilem esse firmum et aeternum populi sui munimentum.

Textus mas. fert על-מות. In syr hexapl attribuitur Aquilae haec interpretatio : ipse ducet nos et super (ultra ?) mortem renovabit. In talmude hieros ei adscribitur interpretatio ἀθανασία, similem explicationem exhibet syr : ipse ducet nos supra (ultra) mortem. Reliqui unam legerunt vocem; ita LXX, Sym εἰς τὸ διηνεκές, targum ducet nos in iuventute nostra. Ex Midrasch hanc affert Wünsche declarationem : nos ducet in duos mundos (in zwei Welten עולמות, p. 298).

Ps. 48.

1. *In finem, filiis Core Psalmus.*

2. *Audite haec omnes gentes,* | *auribus percipite omnes qui habitatis orbem ;* | 3. *quique terrigenae et filii hominum,* | *in unum dives et pauper.* | 4. *Os meum loquetur sapientiam,* | *et meditatio cordis mei prudentiam.* | 5. *Inclinabo in parabolam aurem meam,* | *aperiam in psalterio propositionem meam.*

6. *Cur timebo in die mala?* | *iniquitas calcanei mei circumdabit me ;* | 7. *qui confidunt in virtute sua,* | *et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* | 8. *Frater non redimit; redimet homo?* | *non dabit Deo placationem suam,* | 9. *et pretium redemptionis animae suae* | *et laborabit in aeternum,* | 10. *et vivet adhuc : in finem.* | 11. *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes,* | *simul insipiens et stultus peribunt ;* | *et relinquent alienis divitias suas ;* | 12. — *et : sepulcra eorum domus illorum in aeternum.* | *Tabernacula eorum in progenie et progenie ;* | *vocaverunt nomina sua in terris-suis :*

13. *Et homo cum in honore esset, non intellexit ;* | *comparatus est iumentis — insipientibus :, et similis factus est — illis :*

14. *Haec via illorum scandalum ipsis,* | *et postea in ore suo complacebunt.* | 15. *Sicut oves in inferno positi sunt,* | *mors depascet eos ;* | *et dominabuntur eorum iusti in matutino,* | *et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.* | 16. *Verumtamen Deus redimet animam meam* | *de manu inferi, cum acceperit me.* | 17. *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo,* | *—et : cum multiplicata fuerit gloria domus eius ;* | 18. *quoniam cum interierit, non sumet omnia ;* | *neque descendet cum eo gloria eius ;* | 19. *quia anima eius in vita ipsius benedicetur,* | *confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* | 20. *Introibit usque in progenies patrum suorum,* | *et usque in aeternum non videbit lumen.*

21. *Homo cum in honore esset, non intellexit ;* | *comparatus est iumentis — insipientibus : et similis factus est — illis :*

Magna verborum gravitate omnes invitat psalmista ad suam doctrinam percipiendam (v. 2-5), scil. nihil esse viro probo timendum ab iniquitate impiorum (v. 6) ; et cur non sit timendum, ratio brevissime effertur in versu intercalari v. 13 hebr, « homo in magnificentia

non permanet » idque exponitur v. 7-12 ; divitiis non arcetur pernicies et v. 14-20 miserae sorti impiorum opponitur divina viri probi protectio.

Psalmus difficultate non caret ; interpretatio graeca pluribus in locis nequit intelligi ; ipsa explicatio textus hebr (incerti et corrupti quandoque) alia ab aliis proponitur.

Invitatio cum quadam magniloquentia effertur : bis in v. 2 omnes gentes, omnes incolae orbis ad audiendum provocantur, et v. 3 tum homines, tum viri (plebeii, nobiles) Hier tam filii Adam, quam filii singulorum ; priorem acceptionem merito proponunt *Ag*. *Gen* et generatim recentiores ; *simul in unum dives et pauper* ; ergo invitantur omnes gentes, singuli ; tenues et nobiles, divites et pauperes. Grandi invitationi respondet grandis promissio v. 4. 5 *os meum loquetur sapientiam* ; cuius fons et ratio affertur *meditatio cordis mei*, consideratio mentis meae est intelligentia, vel tota mea meditatio loquitur *prudentiam*, σύνεσιν. Praeter diligentem meditationem alterum assignat fontem sapientiae : attento studio prosequitur sapientiam quae in parabolis a sapientibus tradita est : *inclinabo*, inclino (Hier) *ad parabolam aurem meam* ; et quae ex consideratione et studio sapientiae hausit, aperiam in cithara aenigma meum (Hier), sicuti prophetae musicis instrumentis quandoque utebantur (1 Reg. 10, 5. 4 Reg. 3, 15). Varie concipitur inclinare aurem ad parabolam ; alii ibi vident indicari inspirationem divinam, cui aures praebeat ; alii, attendam ad id quod dicam vel canam ; alii, ad proverbium populare (v. 13) attentionem meam dirigo idque rite perpendam.

Iam tangitur aenigma, illud scil. de prosperitate malorum (cf. 36. 72), qui alios viros probos opprimant. Sed ipsi ex v. 4. 5 consideratione facta et ex doctrina sapientiae aenigma iam est solutum ; unde ipsis quoque auditoribus illud interrogatione ita proponit, ut ex ipsa forma quaerendi iam appareat, non esse timendum : v. 6 *cur timebo*, cur timeam, *in die mala*, in diebus mali (Hier, al ἐν ἡμέραις πονηροῦ, κακοῦ), syr statim interrogationem directe explicat : non timeo in diebus malis ; et qui sint dies mali, seu dies in quibus improbi in probos dominentur et saeviant, declaratur : *iniquitas calcanei mei circumdabit me*, circumdat me ; sensum bene reddit syr iniquitas inimicorum meorum circumdat me ; ita explica hebr, quem textum legit Origenes : αων ακουββαει ισουββουνει, i. e. iniquitate supplantatores mei me circumdant. Inde etiam declaratur (seu potius cernitur quomodo explicari debeat) versio LXX et vulg : iniquitas insidiatoris mei (qui calcaneum meum petit, supplantat). In uno illo intelligi plures, elucet ex v. 7

qui confidunt in virtute sua, in robore suo, in fortitudine sua (Hier), *et in multitudine divitiarum suarum gloriantur*, homines igitur sunt violenti et ob multas opes superbi, et in his duobus, robore, opibus suam reponentes spem.

Verum qui inclinat aurem suam ad parabolam, ad doctrinam sapientiae, statim discit, iam scit, talibus imminere perniciem secundum normam retributionis (30, 24 ; 33, 13 ; 36, 9-15. 17 seq. 35-40 etc.). Quare v. 8, vocem אח Midrasch explicat האה vae ; recentiores emendant אך hebr (punctatione niphal addita) ; profecto nemo se redimit, *non dabit Deo placationem suam* (pretium redemptionis suae) ; nam pretiosa est redemptio animae eius i. e. nimis pretiosa, pretium nequit solvi, etsi laboret in aeternum et vivat in perpetuum ; ita *Gen.* Impietati enim statuitur pernicies, interitus ; nemo ex suis potest se ex hoc debito redimere, Deo quasi placationem, pretium redemptionis solvere. Quem sensum habebis, si legas : non dabit pretium redemptionis animae suae, etsi laboret in aeternum et vivat adhuc in finem. Cum autem in hebr habeatur (non laborare, sed) וחדל vertendum erit : et desistit in aeternum, adhuc vivere (feliciter). Communiter contenti sunt explicatione : divites illi impii non possunt se redimere a necessitate moriendi, alii a necessitate immaturae mortis. Dubito an hoc sufficiat. Necessitas enim moriendi omnibus incumbit ; de poena mortis immaturae nihil videtur dici ; ex norma retributionis poena, pernicies, interitus debet evenire ; unde mihi melius videtur iam hoc loco id unum asserere : a poena et pernicie non poterit se opibus suis redimere ; eum manet poena ac pernicies.

Interrogatione v. 11 esse legendum, iam *Gen.* bene notat : *non videbit interitum* ? perniciem, perditionem, qua notione ex verbo שחת etiam substantivum sumi potest ; idque hoc loco magis, quia in v. 11 necessitas moriendi pro omnibus asseritur. Hebr iungit et vertit *Duhm* cum interrogatione : in perpetuum non videat foveam ? imo videbit ! sapientes moriuntur ; *simul insipiens et stultus peribunt et relinquent alienis divitias suas* ; et quomodo tandem omnis gloria et pompa misere in sepulcro pereat, exhibetur v. 12 *sepulcra eorum* (sunt) *domus illorum in perpetuum*, etiam hebr emendandum esse ex LXX sepulcra, ergo scribendum קבר pro קרב (sicut syr targum quoque exhibent sepulcra) consentiunt recentiores ; et haec sepulcra sunt *tabernacula eorum*, habitacula eorum *in progenie et progenie* i. e. in perpetuum. En ad quam parvum habitandi locum et spatium sunt tandem redacti illi qui *vocaverunt nomina sua in terris suis*, i. e. ex hebr, ut vertit Hier recte : vocaverunt nominibus suis terras (suas), qui agros multos et rura spatiosa olim possidebant. Unde consequitur v. 13 ex hebr :

homo in magnificentia non permanet, assimilatur iumentis, pereunt. Pro ילין LXX, syr legerunt יבין (uti hebr v. 21), *homo cum in honore esset, non intellexit*, sed Sym, Hier, targum exponunt : non commorabitur. Eius magnificentia utique plane evanescit ; hac ratione assimilatur vere et plene iumentis.

Eu, talis est sors eorum qui in se confidunt, v. 14 haec via eorum qui fiduciam sui habent ; ita secundum hebr ; *scandalum* explica : haec est via eorum, scil pernicies, casus, ruina ipsis continget ; et eadem sors erit eorum, qui post eos (vulg *postea*) ore eorum delectantur i.e. eorum loquendi modo sibi *complacebunt*, ita Sym οἱ δὲ μετ' αὐτοὺς λόγον αὐτῶν εὐδοκήσουσιν, alii coniectant אחריתם exitus (finis) eorum qui ore suo oblectantur, quae coniectura ex syr, targum commendatur, neque tamen necessaria est. Haec eorum via magis exponitur in v. 15 *sicut oves in inferno positi sunt*, ponuntur in orco, moriuntur modo bestiarum cf. v. 13, Sym ὡς βοσκήματα ᾅδου ἔταξαν ἑαυτούς (*Eus. Theod.* ὡς πρόβατα) et manent sub custodia mortis, *mors depascet eos*, mors pascet eos (Hier), pascit eos, regit eos, sunt et manent sub dominio mortis ; in orco (inferno, scheol) igitur sunt adhuc sub regimine mortis ; carent itaque vita beata, postquam in orco positi sunt, Sym θάνατος νεμήσει αὐτούς (*Theod.*), quae vox νέμειν dominandi notionem admittit.

Alia est sors iustorum ; *et dominabuntur eorum iusti in matutino*, notionem eandem exprimit Aq κρατήσουσιν (*Eus.*), similiter Sym ὑποτάξουσιν αὐτούς, alii vertunt : et calcabunt super eos iusti (*Pannier*) ; mane, tempore matutino i. e. post noctem miseriae, post tenebras adversitatum. In oppositione ad infernum (scheol) lux haec matutina vitam beatam designat quae iustos manere satis clare innuitur. Huic tempori matutino opponitur alterum in inferno quod contingit : *et auxilium eorum veterascet in inferno* potentia, divitiae impiorum (v. 7) consumuntur, evanescunt *a gloria eorum*, prorsus evanescunt et pereunt a pristina eorum gloria ; ἐκ τῆς δόξης αὐτῶν (utique, sat obscurum) addito ἐξώσθησαν (expulsi sunt) declaratur (ita ab aliquo correctore in א A, in psalterio turicensi ; cf. *Swete*) ; idem additur in syr. Textus hebr : figura eorum ad tabescendum, orcus habitaculum ei (scribe זבל pro mass מזבל ; LXX legerunt in priore membro qeri צורם, inde explicatur βοήθεια αὐτῶν).

Inverso ordine membrorum sensus posset videri magis concinnus : mors pascit eos ; figura eorum ad tabescendum, orcus (est) habitaculum ei ; et dominabuntur eis iusti in matutino ; unde aliqui ita ponunt (cf. *Riehm*). Sed tamen obstat, quia v. 16 aperte adnectitur ad membrum illud : orcus habitaculum ei. vel vulg : auxilium eorum veterascet in inferno ; v. 16 *verumtamen Deus redimet animam meam de*

manu inferi, de potestate orci, in oppositione ad dominationem mortis (v. 15) ; psalmista loquitur suam sortem certa spe coniungens cum sorte iustorum (v. 15), *cum acceperit me*, nam assumet me, scil. Deus ad se ; bene adnotat *Duhm* evidenter esse hebr לקח iam terminum technicum pro assumere in paradisum, transferre in coelum, sicuti Gen. 5, 24 ; 2 Reg 2, 9. 10 hebr, Ps. 73, 24 hebr. Deus itaque me ad se assumet, postquam animam meam redemit de manu orci. Hic est planus sensus in v. 16 et ea sententia etiam lucem diffundit in v. 15 ; mors et orcus sunt itaque quasi nox, et tempus matutinum est illa redemptio et assumptio, translatio ad Deum. Perperam aliqui explicant : me redimet ex manu orci, si (ista manus) me arripere vult ; nam psalmista non potest absurde supponere, se iri a morte praeservatum. Insuper cum notio principalis non est manus per se, sed manus scheol, i. e. scheol, deberet hebr in verbo poni forma feminina ; quare merito monet *Koenig* Deum hoc loco esse subiectum (cf. *Koenig*, Syntax der hebr Sprache § 248 g).

Ex antecedentibus infertur conclusio (quam praeoccupavit v. 6), v. 17 *ne timueris, cum dives factus fuerit homo et cum multiplicata fuerit gloria domus eius*, ad hanc gloriam pertinet pretiosa supellex, ornamenta domus, vestes pulchrae, copia exquisita alimentorum etc ; ne paveas, ne sis animo aegro, demisso, v. 18 neque enim moriens tollet omnia, nec descendet post eam gloria eius (Hier). Nam v. 19 si animae suae bene fecerit in vita sua — et laudabunt te, si benefeceris tibi (Hier) — v. 20 veniet tamen ad generationem patrum suorum, scil. anima ; usque in aeternum non videbunt lucem. Eodem modo explica LXX et vulg v. 19 *quia anima eius* etc., in hac quidem vita anima eius *benedicetur*, felix erit et fortunata, bonis abundabit ; quod sequitur : *confitebitur tibi, cum benefeceris ei*, est parenthesis et modum communem hominum describit : laudabunt te, si benefeceris animae — at post hanc vitam v. 20 *introibit* anima *usque in progenies patrum*, ad varias generationes maiorum et anima eiusmodi helluonis (v. 7. 17. 18) *usque in aeternum non videbit lumen* ; vide hoc loco simul explicari v. 15 mors pascit eos, non videbunt lucem, non fruentur beatitate. Concluditur per modum admonitionis et minarum pro talibus luxuriose viventibus versu intercalari v. 21 *homo cum in honore esset*, homo in magnificentia *non intellexit*, noluit intelligere quam stultum sit spem ponere in robore, in divitiis, in sui confidentia, in vita luxuriosa (cf. v. 7. 14. 19) ; unde *comparatus est iumentis insipientibus* ; cf. v. 13 ; hoc loco etiam hebr fert non intellexit, id quod post considerationem institutam de sorte adeo diversa inter probos et improbos (v. 15-20) bene poni videtur.

Ps. 49.

Psalmus Asaph

1. *Deus deorum Dominus locutus est et vocavit terram,* | *a solis ortu usque ad occasum ;* | 2. *ex Sion species decoris — eius :* 3. *Deus manifeste veniet,* | *Deus noster et non silebit ,* | *ignis in conspectu eius exardescet,* | *et in circuitu eius tempestas valida.* | 4. *Advocabit coelum desursum,* | *et terram discernere populum suum.* | 5. *Congregate illi sanctos eius,* | *qui ordinant testamentum eius super sacrificia ;* | 6. *et annuntiabunt coeli iustitiam eius,* | *quoniam Deus iudex est.*

7. *Audi populus meus et loquar,* | *Israel, et testificabor tibi :* | *Deus, Deus tuus ego sum.* | 8. *Non in sacrificiis tuis arguam te ;* | *holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.* | 9. *Non accipiam de domo tua vitulos,* | *neque de gregibus tuis hircos ;* | 10. *quoniam meae sunt omnes ferae silvarum,* | *iumenta in montibus — et : boves ;* | 11. *cognovi omnia volatilia coeli,* | *et pulchritudo agri mecum est.* | 12. *Si esuriero, non dicam tibi ;* | *meus est enim orbis terrae et plenitudo eius.* | 13. *Numquid manducabo carnes taurorum ?* | *aut sanguinem hircorum potabo?* | 14. *Immola Deo — sacrificium : laudis,* | *et redde Altissimo vota tua ;* | 15. *et : invoca me in die tribulationis,* | *eruam te, et honorificabis me.*

16. *Peccatori autem dixit Deus : quare tu enarras iustitias meas,* | *et assumis testamentum meum per os tuum ?* | 17. *Tu vero odisti disciplinam,* | *et proiecisti sermones meos retrorsum.* | 18. *Si videbas furem, currebas cum eo,* | *et cum adulteris portionem tuam — ponebas :* | 19. *Os tuum abundavit malitia,* | *et lingua tua concinnabat dolos ;* | 20. *sedens adversus fratrem tuum loquebaris,* | *et adversus filium matris tuae ponebas scandalum.* | 21. *Haec fecisti et tacui ;* | *existimasti inique, quod ero tui similis ;* | *arguam te et statuam contra faciem tuam.* | 22. *Intelligite haec qui obliviscimini Deum ;* | *nequando rapiat, et non sit qui eripiat.* | 23. *Sacrificium laudis honorificabit me* | *et illic iter,* | *quo ostendam illi salutare Dei.*

In exordio describitur theophania symbolis maiestatis divinae vestita, qua ex Sion Deus cum populo disceptationem instituere vult (v. 1-6). Et prius quidem arguitur sacrificia quidem offerri a populo, verum notione perversa, neque ea praestari quae Deus praeprimis postulet (v. 7-15). Dein reprehenduntur qui legem et foedus divinum in ore quidem gerunt, at operibus negant (v. 16-23).

Dei loquentis maiestas ipsa nominum acervatione indicatur v. 1 fortis, Deus, Dominus locutus est (Hier), loquitur, et testes vocat *terram a solis ortu usque ad occasum* ; cf. Deut. 30,19. Is. 1,2 ; gloria maiestatis eius effulget ex Sion v. 2 ex Sion, perfectione pulchritudinis, Deus effulsit (hebr) ; cf. Deut. 32,2. Hab. 3,3.4. Uti olim in Sinai apparuit ad legem dandam, ita nunc de Sion se manifestat legem vindicaturus ; LXX, vulg *ex Sion species decoris eius*, sese manifestat, apparet, egreditur *species*, excellens forma sublimitatis ; sed melius intelligitur appositio et praeconium Sionis, qui mons ut sedes Dei cum

templo magnifico vocatur perfectio seu corona pulchritudinis; v. 3 *veniet Deus noster et non silebit*; iam quidquam minarum innuitur in illo *non silebit* i.e. palam redarguet, severe reprehendet. In v. 3 symbola maiestatis exhibentur, ignis, tempestas : ignis coram eo vorabit et in circuitu eius tempestas valida (Hier); cf. Is. 64,1. Mich. 1,4; Ps. 17, 9.13; Ex. 19,16. 2 Reg. 5,23.

Maiestate Dei descripta coelum et terra advocantur testes v. 4 *advocabit coelum desursum et terram* ad iudicandum populum suum; cf. Deut. 32,1. Is. 1,2. Tunc advocantur, de quibus iudicium fieri debet v. 5 *congregate illi sanctos eius*, ita LXX; fit per psalmistam admonitio ad principes et duces populi, ut convocent sanctos eius i.e. ipsum populum qui eo sensu vere est חסיד quia in pactum gratiae ac benevolentiae divinae gratiose erat acceptus, et qua speciali ratione sancti sint, altero membro declaratur : *qui ordinant*, feriunt pactum eius, *testamentum eius super sacrificia*; sacrificio facto foedus inierunt; cf. Ex. 24,5. In hebr et Aq Sym Theod Hier legitur congregate mihi, pactum meum; sed melius videtur quod LXX syr vulg praebent; nam ex v. 6 apparet, locutionem Dei in v. 5 non esse assumendam. Et qualis futurus sit exitus huius conventus iudicialis, psalmista statim praedicit v. 6 *et annuntiabunt coeli iustitiam eius*, neque aliter fieri potest, *quoniam Deus iudex est*; dicuntur autem coeli annuntiare, ut indicetur omnibus manifestam fore iustam Dei causam et rectum eius iudicium; coelum enim terrae undique imminens et gentibus omnibus praetentum optimus constituitur praeco pro universis nationibus (cf. *Ag.*).

Iam Deus loquitur v. 7; postulat attentionem : *audi*; vult eos arguere, monere, *et testificabor tibi*, vel etiam hebr exprobrabo tibi; et titulum iuris et reprehensionis affert : *Deus* est, *Deus tuus ego*, qui singulari ratione et foedere Deus ac dominus est populi Israel. Expostulatio eius non in eo est quod sacrificia omittantur : *non in sacrificiis tuis*, non propter sacrificia tua, arguo te; nam *holocausta tua in conspectu meo sunt semper*, quotidie תמיד, holocaustum perpetuum vocatur id quod bis singulis diebus, mane et vespere offerri debuit (Ex. 29,42. Num. 28, 3-8. 10); sacrificium itaque praescriptum offerunt. At ne ullo pacto sibi fingant, Deum quasi indigere eiusmodi oblationibus; cum emphasi declarat v. 9 *non accipiam de domo tua vitulos*, neque ex cratibus tuis (ovilibus tuis) hircos; non indigeo illis; quam habeat animalium copiam, ipsi perpendant v. 10 *nam meae sunt omnes ferae silvarum*, iumenta in montibus milium (ita hebr explicat Hier, et ut videtur Aq), scil. in montibus ubi sunt mille animalia; alii vertunt in mille montibus; vel in montibus armentorum (cf. Cant. 4,8 montes

pardorum); et praeterea v. 11 *cognovi*, cognosco, *omnia volatilia coeli*; hebr יד legitur etiam 80,14, ibi vertit Hier bestiae agri; hoc loco universitas agri; recentiores explicant : quod movetur in campo, LXX, vulg *et pulchritudo agri mecum est*, i.e. omnis proventus agrorum, camporum mihi praesto est; eo modo Aq quoque intellexit καὶ παντοδαπὰ (παντοδαπία) χώρας, abundantia regionis.

Quae sequuntur, conformantur ad animos hebetissimos dedocendos, et dicuntur per fictionem, ut omnis falsa opinio tollatur ex animis rudium v. 12 *si esuriero, non dicam tibi; meus et enim orbis terrae et plenitudo eius*, ea omnia quibus terra impletur, seu quidquid in ea continetur. Dein declaratur Deum nullatenus delectari ipsa victimarum re seu materia; quare quaerit v. 13 *numquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo*, lege : manduco, bibo. Quid Deus postulet, exprimitur v. 14 *immola Deo sacrificium laudis*, internam animi dispositionem exigit, laudem Dei, gratiarum actionem, orationem; haec oblatio ei placet; huius animi sensus expressio et documentum debet esse ipsum sacrificium; *et redde Altissimo vota tua*, quae Deo promisisti, haec solve; promisit autem populus praeprimis in conclusione foederis : cuncta quae locutus est Dominus faciemus (Ex. 19,8) et huius promissionis documentum et signaculum apud singulos est circumcisio (cf. Gal. 5,3). Precibus iisque omnibus animi sensibus, affectibus, operibus quibus Deo honor exhibetur, coli vult Deus v. 15 *invoca me in die tribulationis, eruam te et honorificabis me*; bene rem expressit Aq θῦσον τῷ θεῷ εὐχαριστίαν.

Discimus ex Ier. 8, 8 fuisse qui incolumitatem sibi promitterent iactantes : lex Domini nobiscum est; qui itaque ore laudem legis proclamabant, at vita et operibus legem abiecerunt. Contra tales etiam hic agit psalmista v. 16 *peccatori autem dixit Deus* : quid tibi est cum narratione (enumeratione) praeceptorum meorum, et ut adsumas pactum meum in ore tuo? ita hebr, Hier; verbis laudant legem, gloriantur de pacto cum Deo (cf. Is. 29,13 labiis suis glorificant me, cor eorum longe est a me); at quid profitentur operibus? v. 17 *tu vero odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum*; magno contemptu verba mea negligis, ea quasi rem inutilem, abominabilem post te abiecisti; idque exemplis declaratur v. 18 facillime committunt furta, et adulteria; cf. Os. 4,2; *si videbas furem*, consentiebas ei (Hier), cum eo (hebr); alia punctatione et sensu meliore LXX, vulg *currebas cum eo*, ceterum lege tempore praesenti, *et cum adulteris* (est) pars tua (hebr, Hier), cum iis sociaris, habes commercium et familiaritatem. Accedunt peccata oris v. 19 os tuum dimisisti ad malitiam (hebr, Hier) dimittis, libere loqueris mala, et lingua tua nectit (texit, colligat) fraudem,

fallaciam. Et eiusmodi fiunt contra maxime propinquos v. 20 *sedens*, ergo diutius, cum plena deliberatione, *adversus fratrem tuum* loqueris, *et adversus filium matris tuae*, contra fratrem uterinum das opprobrium, convitium.

Quae scelera Deus non statim debitis poenis coercuit v. 21 *haec fecisti et tacui*, tacitus tuli, neque impedivi; *existimasti inique, quod ero tui similis*; ex poenae dilatione falso concluditur Deum nolle vitia plectere; quare affirmatur ultio : *arguam te et statuam contra faciem tuam* iudicium meum, contra te instruam iudicium. Id alte animis condant v. 22 *intelligite haec, qui obliviscimini Deum, ne quando* rapiam (hebr, dilacerem) *et non sit qui eripiat*; minas intentat : imagine deprompta a leone qui praedam dilacerat nullo eripere valente; cf. Hebr. 10,31 horrendum est incidere in manus Dei viventis. Repetitur demum admonitio ex v. 14, qua simul ostenditur, qua ratione Deus velit ignoscere et placari v. 23 *sacrificium laudis*, immolans laudem (hebr; qui immolat confessionem, Hier), *honorificabit me*, Sym θυσιάζων ὑπὲρ αἰνέσεως δοξάσει με; ultimum membrum vertit Hier uti Sym : qui ordinate (εὐτάκτως) ambulat, *ostendam illi salutare Dei*, hebr? qui attendit ad viam, i.e. ad rectam vivendi rationem; LXX vulg *et illic iter* sit seu dirigatur; LXX legerunt שָׁם (pro שֵׂם), uti syr quoque.

Ps. 50.

1. *In finem, Psalmus David.*
2. *Cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee.*

3. *Miserere mei Deus, secundum — magnam: misericordiam tuam,* | *— et : secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* | 4. *Amplius lava me ab iniquitate mea,* | *et a peccato meo munda me;* | 5. *quoniam iniquitatem meam ego cognosco,* | *et peccatum meum contra me est semper.* | 6. *Tibi soli peccavi* | *et malum coram te feci,* | *ut iustificeris in sermonibus tuis* | *et vincas cum iudicaris.* | 7. *Ecce — enim : in iniquitatibus conceptus sum,* | *et in peccatis concepit me mater mea.*

8. *Ecce enim veritatem dilexisti,* | *incerta et occulta sapientiae — tuae : manifestasti mihi.* | 9. *Asperges me hyssopo et mundabor;* | *lavabis me et super nivem dealbabor;* | 10. *auditui meo dabis gaudium et laetitiam,* | *et exsultabunt ossa humiliata.* | 11. *Averte faciem tuam a peccatis meis,* | *et omnes iniquitates meas dele;* | 12. *cor mundum crea in me, Deus,* | *et spiritum rectum innova in visceribus meis.* | 13. *Ne proiicias me a facie tua,* | *et spiritum sanctum tuum ne auferas a me;* | 14. *redde mihi laetitiam salutaris tui,* | *et spiritu principali confirma me.*

15. *Docebo iniquos vias tuas,* | *et impii ad te convertentur.* | 16. *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae,* | *— et : exsultabit lingua mea iustitiam tuam.* | 17. *Domine, labia mea aperies,* | *et os meum annuntiabit laudem tuam;*

| 18. *quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique;* | *holocaustis non delectaberis.* | 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus;* | *cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* | 20. *Benigne fac, — Domine: in — bona: voluntate tua Sion, — ut: aedificentur muri Ierusalem;* | 21. *tunc acceptabis sacrificium iustitiae,* | *oblationes et holocausta,* | *tunc imponent super altare tuum vitulos.*

Psalmus est poenitentialis quartus. Ferventem continet precationem ad veniam impetrandam. Imploratur praeprimis misericordia Dei cum agnitione et confessione peccati (v. 3-7); tum potissimum efflagitatur mundatio et confirmatio in bono et restitutio laetitiae (v. 8-14); demum enuntiat psaltes, quid pro gratiarum actione ac satisfactione praestaturus sit (v. 15-19). Ultimi vero duo versus (v. 20-21) non iam sunt, ut patet, unius peccatoris pro sese deprecatio, sed supplicatio pro universo populo, pro restituenda sacra urbe diruta, pro restaurando cultu templi hierosolymitani. Quibus consideratis, ac ratione habita inscriptionis psalmi, de huius auctore atque argumento videtur dicendum : Divinitus per Nathan prophetam de criminibus suis increpatus, David humiliter respondit : *Peccavi Domino* (2 Reg. 12,13), atque hoc verbum in nostro psalmo amplificat; ultima autem precatio (vv. 20.21) tempore exsilii a sacro poëta addita videtur, ut carmen privatum publico exsulum usui liturgico adaptaretur (cf. *R. Cornely*, Psalmorum Synopses, Paris, 1899, p. 41 sq.). Quae res non est sic concipienda, ac si rex ipsa illa hora, a Nathan conventus ac reprehensus, coram vate hoc carmen artificiose mente conceperit atque ore pronunciaverit — id enim nec per se est probabile nec titulo illo asseritur —, sed ita ut David dicatur ea animi culpae suae conscii, humiliati ac poenitentis sensa, quae illa hora habuerat et verbo *Peccavi Domino* manifestaverat quibusque sese tunc ad obtinendam peccatorum veniam disposuerat, postea, afflante Sancto Spiritu, in formam artificiosi carminis redegisse. In tres igitur strophas et additamentum liturgicum secundum divisionem supra indicatam psalmus distribuitur.

Primum psaltes pro peccato, quod humiliter confitetur, misericordiam Dei et veniam efflagitat : v. 3 *Miserere mei, Deus, secundum magnam* (in hebr deest hoc adiectivum) *misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*; textus hebr dicit exterge מחה iniquitates meas, considerantur enim peccata ut foedae sordes, quae in oculis Dei animam hominis abominabilem reddunt. Hanc ideam porro exsequens precatur v. 4, hebr : multiplica lava me, i. e. multum seu diligenter, vulg *amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me*. Tantum esse ac tam turpe suum scelus cognoscit, ut multa lotione ac perfricatione — talem enim lotionem verbum כבס significat — opus sit ad se mundan-

dum; in ipsis vocabulis hebr., quibus auctor suum scelus appellavit, ampla cognitio multiplicis suae malitiae inest : פֶּשַׁע enim propriissime designatur rebellio seu defectio alicuius subditi a legitimo suo domino, עָוֹן vero perversa ac prava actio, חַטָּאת tandem est aberratio a recta via ac norma. Sub omni igitur respectu, sive Deum considerat, regem regum, sive honestatis ac rectitudinis normam, sive ultimum finem ac viam qua illuc eundum est, se pessime egisse et intelligit et iam sincere coram Deo confitetur v. 5 *quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me*, ex hebr melius : coram me, *est semper*; per annum et ultra, ex quo Uriam acerrimo proelio exponi iusserat, in peccato suo permanserat atque obduruerat, a nullo hominum monitus, conscientiae stimulos negligens ac supprimens et ipse se de sua culpa fallens; nunc vero gratia divina commotus et illustratus se ingentium peccatorum reum cognoscit et sentit. Peccatorum suorum conscientia, horrore ac rubore tantopere iam percellitur, ut eorum memoriam continuam habeat. Quare humillime confitetur v. 6 *tibi soli peccavi, et malum coram te feci :* etsi nemo hominum rescierit, Davidem adulterandi causa Uriam morti certae exposuisse et eo verum homicidium patrasse, unum quendam non latuit nec fefellit, Deum sanctissimum, ubique praesentem, hominum corda et renes probantem; in huius Dei oculis malum fuit quod facere ausus est. Nemo hominum Davidem pro homicida et adultero habuit aut eum propter haec crimina in ius vocavit; sed, uni, Domino Deo, fuit horum scelerum reus et propterea gravissimis poenis destinatus, 2 Reg. 12, 10 sq. (ita non semel חטא ל non tam significat aliquem peccando offendere, quam alicui seu in alicuius existimatione ac iudicio esse peccati reum poenisque dignum, cf. Gen. 43,9). Insuper hic considerari potest, regis, praesertim regis orientalis, cui paene absolutum in omnes subditos ius ac dominium competebat, fere solius Dei legibus restrictum, unum ac solum dominum esse Deum : iam vero huic uni ac summo Domino suo, « terribili apud reges terrae » (Ps. 75,12), David pessime fidem fregerat. Haec autem Deus a Davide fieri sivit et ut nunc ab eo cognoscerentur atque humiliter agnoscerentur effecit etiam eo consilio, *ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris*, hebr ut, cum alloqueris seu increpas (דבר, cf. Ps. 2,5), iustus, cum iudicas, purus seu innocens sis i. e. appareas, cognoscaris, agnoscaris. Ex Dei enim ordinatione peccatum sequitur poena divinitus inflicta aut, si peccator convertitur, misericors poenae condonatio, et utraque ratione manifestatur Dei iustitia et sanctitas, et haec est una aliqua ratio, propter quam Deus peccata committi sinit. Etiam textus graecus ἐν τῷ κρίνεσθαί σε (κρίνομαι medialiter : mihi est lis cum aliquo, cf. Is. 43,26;

Ier. 32 [hebr 25],31) et textus latinus *cum iudicâris* (= iudicaveris) active accipi possunt. Saepe vero hae formae passive exponuntur in hunc sensum : ut innocens appareas, cum tu iudicaris (passive) i. e. ab hominibus de tua agendi ratione in iudicium vocaris. Hebraicum quoque verbum בשפטך, mutatis vocalium signis, ad hunc sensum passivum revocari potest et a S. Paulo (v. *Cornely* in Rom. 3,4) passive adhibitum est. S. Paulus l. c. verbum stichi paralleli בדברך *in sermonibus tuis* intelligit de promissis divinis. Etenim David certe tam enormibus sceleribus patratis meruit, ut Deus, quae regi magna pollicitus erat, retractaret : verum Deus tanta erga eum misericordia usus est, ut nihil tale faceret, atque ita egit *ut in promissis* servandis *iustus* seu fidelis esset et agnosceretur. — David non solum illa determinata peccata, ob quae Nathan eum increpuerat, confitetur, sed gratia amplius edoctus et illustratus altius sese introspicit, ac se ipsa origine et natura esse peccatorem proclamat; id quod non facit, ut se excuset et in alios, parentes, culpam suorum scelerum devolvat, sed ideo, quia gratia instigante impellitur, ut totam corruptionem suam agnoscat et coram Deo hominibusque confiteatur ; quamquam in hac innata homini corruptione ac fragilitate inest quaedam culpae cuiusvis mitigatio et homini poenitenti quaedam ratio misericordiae divinae implorandae et sperandae ; — v. 7 *Ecce enim in iniquitatibus*, hebr iniquitate, *conceptus sum, et in peccatis*, peccato, *concepit me mater mea*. Quae verba, praeterquam de ingenito homini per originem peccato seu de peccato originali, explicari apte vix possunt. Neque enim profecto hic psaltes parentes incusat, quod se peccaminoso modo genuerint, sed de suo peccato loquitur, atqui non de actuali peccato, ergo de peccato in ipsa conceptione contracto. « Numquid David de adulterio natus erat ? quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam ? » (S. Aug. in h. l., *M.* 36,591 ; cf. S. Greg. M., *M.* 75,986; Ps.-Chrysost., *M.* 55,583 al.) Itaque in iniquitate, iniquitati implicitum, iniquitate infectum, macula peccati pollutum, ait, mater mea me genuit : parentes prolem generant habentem naturam lapsam, ad peccandum pronam, et, ut revelatio Veteris Testamenti innuit, Novi Testamenti clare docet, peccato originali infectam. Quid post talem ortum aliud exspectari potest, quam ut haec natura vitiata per vitae decursum interdum eo sese ferri et abripi sinat quo sponte trahitur? — v. 8 *Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiae* (*tuae*) *manifestasti mihi ;* hebr en veritate delectaris in penetralibus (sc. animi humani), et in occulto sapientiam edoces, aut : edoceas, me. His verbis, si interpretaris « edoces », gratiae aguntur Deo quod ipse, cui grata est peccatoris vera sui cognitio, psalten

illustret et vera sapientia erudiat, qua a peccato resipiscat. Nam profecto profunda et intima cognitio, quantum malum sint actus et reatus peccati, offensio immensae maiestatis, inimicitiae Dei, aeterna damnatio — talis, inquam, cognitio solida est sapientia : « initium sapientiae timor Domini » (Ps. 110,10); est sapientia qua imbuti multi ex peccatoribus insignes Sancti evaserunt. Sin תודיעני interpretaris optative « edoceas », psalten facis precantem, ut Deus eum amplius hac genuina atque utilissima sapientia instituat. Et sic apte haec prima pars psalmi, quae in agnoscendo et confitendo peccato versatur, absolvitur.

Iam in secunda parte David Deum precatur, ut se a tanto malo, quale esse peccatum intellexit, liberet atque emundet : v. 9 *Asperges me hyssopo, et mundabor ; lavabis me, et super nivem dealbabor*. Ex hebraeo prius utriusque stichi verbum precative, alterum finaliter enuntiatur, ita : a peccato expies me (תחטאני) hyssopo, ut mundus fiam : laves me, ut nive albior evadam. Hyssopus est planta cuius ramuli in fasciculos colligati in sacris lustrationibus usuveniebant et in immolatione agni paschalis ; hyssopo enim in sanguinem victimae sacrae intincto, in personam vel rem expiandam sanguis aspergebatur (Ex .12,22. Lev. 14,4 al. Hebr. 9,19). Verba hic sunt symbolica : agitur enim de mundando animo, quem solus Deus misericorditer condonato peccato et gratia sanctificante infusa mundum reddere potest. Nomen hyssopi innuit ideam sanguinis victimae piacularis ; sanguis hircorum et vitulorum etc. inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis ; quae vero victima apta futura erat ad emundandam conscientiam ab operibus mortuis, a peccatis ? Hoc Paulus nos (l. c.) docuit, psaltes, cum haec precaretur, nondum scivit. Perfectissimam munditiem altero sticho David efflagitat, nec solum facilem aliquam vel gratam ablutionem aqua superfusa (qualis verbo רחץ indicaretur), sed rursus solidam, licet naturae duram lotionem cum perfricatione (כבס) : paratus igitur est ad omnia, modo a macula peccati, venia obtenta, expurgetur. Quae venia ut sibi concedatur et annuntietur ad animae suae solatium, precatur v. 10 *auditui meo dabis gaudium et laetitiam*, fac quaeso ut audiam nuntium plenum gaudii, i. e. veniae datae, *et exsultabunt ossa humiliata*, hebr ut exsultent ossa quae contrivisti. Iustissima et durissima increpatione ac comminatione eum Deus per prophetam humiliaverat eiusque velut ossa contriverat, ut facile sit intellectu, quomodo debuerit, quamdiu veniam peccati non obtinuisset, omni pace et solatio carere et vehementer nuntium condonatae culpae desiderare ; — v. 11 *Averte*, hebr : absconde, *faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele*, exterge. Deus rogatur,

ut — humane loquendo — ne aspiciat peccata, quorum aspectu utique numen sanctissimum non potest non provocari ad iustam iram, poenam, vindictam; sed quonam contuens potest Deus placari et ad plenam veniam peccatori dandam impelli, nisi aspiciat in Illum, cuius sanguine ipse se vult placari? Iam vero David, implorata venia, quam firmiter sperat, confirmationem in bono sibi haud minus fervide ac fiducialiter efflagitat : v. 12 *Cor mundum crea in me* (hebr mihi) *Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis*; potentia divina Creatoris opus est ad mundandum et confirmandum animum peccatoris, nullo conatu creaturae id effici potest; נכון est vel « firmus, stabilis » (Hier *spiritum stabilem*), ita ut psaltes precetur gratiam perseverantiae in bono, ne rursus tentatione vincatur; vel est « paratus, promptus », ita ut efflagitet animum ad omnia secundum voluntatem Dei facienda et patienda paratum : cf. Ex. 11,19; 36,26; — v. 13 *Ne proiicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me* : datus erat Davidi ut regi uncto (1 Reg. 16,13) et ut vati inspirato Spiritus Domini, erat sub particulari Dei directione ac providentia eius vita : has gratias ne in suam suique populi perniciem amittat — id quod merito timebat —, Deum orat. Quin etiam cum fiducia audet solatium obtentae veniae postulare v. 14 *redde mihi laetitiam salutaris tui*, gaudium de impetrata salute, Hier audacter vertit « laetitiam Iesu tui », *et spiritu principali confirma me*, LXX πνεύματι ἡγεμονικῷ, sine dubio i. q. in spiritu, qui sit principe, rege populi Israël, dignus, confirma me : quae acceptio vocabulo hebr. נדיבה quod nobilitatem indicat, non repugnat; alii tamen ex alia eiusdem nominis significatione interpretandum censent « et spiritu (ad bonum) prompto seu generoso » vel « spiritu promptitudinis fulci me ». Nam qui hanc gratiam a Deo accipit, ut abhorrens ab omni peccato iam spontaneo, prompto ac generoso animo Deo serviat, iam de remisso peccato vivit securior et a periculo in peccatum relabendi tutior. Hac igitur plena fiduciae prece partem secundam psalmi, quae in petenda emundatione et confirmatione mentis versatur, David absolvit.

In tertia parte, ut Deum velut certius ad concedenda ea quae postulavit, permoveat, exponit, quid boni, si sibi peccatori pepercerit, inde pro gloria Dei sperari possit : v. 15 *Docebo*, ex hebr melius optative : utinam (mihi contingat ut) doceam, vel precative : concede mihi ut doceam *iniquos*, חטאים peccatores, *vias tuas, et impii ad te convertentur*. Sensus est : age, quaeso, mecum ita, ut sim omnibus peccatoribus exemplum tui cum peccatoribus poenitentibus agendi modi, ut, me considerato, spem veniae obtinendae et vitae in melius reformandae animum concipiant, et hac spe freti multi peccatores convertantur

Etiam per pios psalmos, quibus David Dei misericordiam extollit, vere multos peccatores vias misericordis Dei edocuit multosque ad poenitentiam permovit eorumque animos ad spem erexit. Fiduciae plenus orat psaltes v. 16 *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae* nempe auctor, *et exsultabit lingua mea iustitiam tuam*; v. 17 *Domine, labia mea aperies*, aperias, *et os meum annuntiabit laudem tuam*. Ut in aliis psalmis, hic quoque promissa laude et gratiarum actione Deum, ut sibi deprecanti annuat, impellere satagit (cf. Ps. 12,6; 20,14; 29,13 etc.). Nomine « sanguinum », secundum hebr. דמים, probabiliter indicatur reatus commissi homicidii (Ps. 5,7; 2 Reg. 21,1); minus placet explicatio : libera me a caede, fac ne — id quod sane ex lege tua merui (cf. Ex. 21,14. Lev. 18,20. 29 al.) — occidar, aut : noli exsequi quas domui meae minaris caedes (2 Reg. 12,10); nam deprecationes cum parte secunda psalmi absolutae esse videntur. Scelus commissum expiaturus David pergit v. 18 *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique*; *holocaustis non delectaberis*; hebr melius : namque non vis sacrificium ut dem (non vis ut tibi sacrificium piaculare offeram), holocausto non delectaris. Quo vero sensu David hoc dicere potuit ? quomodo potest rex tam dives se excusare aut dicere, Deo non placere sacrificia ? In lege mosaica sacrificia expiatoria praevisa et praecepta erant, singillatim pro variis criminibus varie determinata. Verum pro criminibus homicidii et adulterii talia sacrificia non admittebantur, sed horum criminum rei omnino morte puniendi erant (ita iam interpretatur Anonymus in Catena Corderii). Ergo David, quem utique nemo morte punire poterat aut audebat, revera non potuit pro his suis criminibus Deum sacrificio offerendo placare. Deus tale sacrificium nolebat, respuebat, vetabat. Nihil igitur Davidi reliquum erat quam cum fiducia Deum rogare, ut piaculi loco animum contritum ac cor humiliatum acceptet : v. 19 *sacrificium Deo* est, hebr sacrificia Dei, sc. qualia Deus vult, sunt *spiritus contribulatus* ; atque una vocali mutata hebraice legi potest et fortasse debet « sacrificium meum (זבחי), o Deus, est spiritus contritus » ; *cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Et cum hac humillima supplicatione Davidis psalmus absolvitur, qua, omni via ac ratione interclusa Deum sacrificiis placandi, nihilominus se in sinum misericordiae immensae Dei velut abiicit.

Ex ipso textu psalmi elucet, quam apte populus in exsilium pro peccatis abductus hunc psalmum dicere potuerit, praesertim cum ipsi quoque sacrificiorum offerendorum facultas adempta esset. Hunc igitur psalmum exsules saepe recitasse putandi sunt. Sed impulsi sunt ut pro restituendo templo et cultu hierosolymitano preces adderent v..

20 *Benigne fac* (*Domine*, in hebr abest) *in bona voluntate* i. e. benevolentia *tua Sion, ut* re-*aedificentur muri Ierusalem*, hebr : aedifices muros Ierusalem ; v. 21 *Tunc* iterum *acceptabis sacrificium iustitiae*, i. e. iusta, legitima, *oblationes et holocausta, tunc imponent* rursus *super altare tuum vitulos*..

Psalmus Davidi auctori sine rationibus gravibus non est abiudicandus. — Additamento liturgico (vv. 20.21) omisso habetur carmen integrum tale quale David componere potuit. Quo enim vero sensu etiam David dicere potuerit, se non posse Deo piacularia offerre, supra explicatum est. Qui verba *Tibi soli peccavi* ita explicant, ut psalten (quicumque demum ille est) faciant se excusantem : « in nullum hominem peccavi », sensum verborum, quae in contextu certe sunt sui accusatio et non excusatio, recte percepisse non videntur. Sunt etiam qui in v. 7 populum exsulem faciant dicentem : culpâ prioris generationis (matris meae), progenitorum nostrorum in exsilium acti sumus. At enim sic rursus habes incongruam sui excusationem ; et potestne generatio praeterita dici populi mater ? perpende etiam propriam vim verborum v. 7 חולל et יחם, quae solum de vera matre apte dicuntur. Totus psalmus innuit unum orantem.

Ps. 51.

1. In finem. Intellectus David.
2. Cum venit Doëg Idumaeus, et nuntiavit Sauli :
venit David in domum Achimelech.

3. *Quid gloriaris in malitia,* | *— qui : potens — es : in iniquitate ?* | 4. *Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua,* | *sicut novacula acuta fecisti dolum.* | 5. *Dilexisti malitiam super benignitatem;* | *iniquitatem magis quam loqui aequitatem;* | 6. *dilexisti omnia verba praecipitationis,* | *lingua dolosa.*

7. *Propterea Deus destruet te in finem,* | *evellet te et emigrabit te de tabernaculo tuo,* | *et radicem tuam de terra viventium.* | 8. *Videbunt iusti et timebunt,* | *et super eum ridebunt — et dicent :* | 9. *ecce homo qui non posuit* | *Deum adiutorem suum;* | *sed speravit in multitudine divitiarum suarum,* | *— et : praevaluit in vanitate sua.*

10. *Ego autem sicut oliva fructifera* | *in domo Dei; speravi in misericordia Dei* | *in aeternum, et in saeculum — saeculi :* | 11. *Confitebor tibi in saeculum,* | *quia fecisti;* | *et exspectabo nomen tuum,* | *quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.*

Describitur malitia viri potentis (v. 3-6) ; ei praedicitur completa ruina cum irrisione aliorum (v. 7-9) ; ipse psalmista autem florebit et Deum laudabit (v. 10-11). Inscriptione psalmus refertur ad 1 Reg. 21,8 sq. ; 22,9-22.

Reprehenditur potens ille seu « heros » *quid gloriaris in malitia, potens ?* in hebr sequitur : misericordia Dei tota est die ; ita Hier et

targum; LXX, Aq quinta explicarunt חסד altera notione ἀνομίαν, ὄνειδος; unde in vulg *qui potens es in iniquitate*, ex hebr sensus exoritur : quid gloriaris in malitia, Deus tamen perpetuo bonus est in bonos; cf. v. 10, ubi חסד consueta notione habetur. Malitia describitur v. 4 sedulo excogitat perniciem, cf. 34,28 lingua meditabitur, sicut hic *iniustitiam cogitavit lingua tua*, cogitat; rem statim expedit *Theod.* τὸ γὰρ ἐλογίσατο ἀντὶ τοῦ ἐφθέγξατο τέθεικεν; subtilius *Ag.* quia lingua, inquit, est mentis interpres et eius opera cogitationes aperiuntur, ideo illi tributa est cogitatio. — Et quod potens ille excogitavit, id etiam strenue exsequitur *et sicut novacula acuta fecisti dolum*, novacula acuta perfecte radit, radicitus et quasi stirpitus pilos, barbam removet; ita potens perfecte et valde sagaciter instruit insidias, fraudes, fallacias. Aliis placuit advertere novaculam praeter exspectationem aberrare secantem carnem vel iugulum loco capillorum et barbae (*Ag. Gen.*), ita eum perniciosissime fefellisse; id quod inexspectato et insidiose fiat, comparatione novaculae exhiberi etiam *Baethgen* censet; at novacula infligi ex inopinato vulnus, est tamen « per accidens » et non ex natura et destinatione novaculae; quare igitur assumeretur comparatio ex eo quod fit raro, per accidens, per inadvertentiam et inscitiam ?

Et cur magno studio et fervore dolum faciat, explicatur v. 5 *dilexisti*, diligis *malitiam*, malum prae bono i.e. magis quam bonum; mendacium magis quam loqui rectum, iustum. Quod quis diligit, hoc strenue facit; v. 6 diligis cuncta verba perniciei, sed melius hebr vertes : diligis cunctas res perniciosas; *verba praecipitationis*, καταποντισμοῦ, submersionis, quibus alii quasi submerguntur et profundis aquis obruuntur (*Theod.*), LXX γλῶσσαν δολίαν, vulg per exclamationem *lingua dolosa !* Hier vertit dilexisti omnia verba ad devorandum, uti Sym λόγους εἰς τὸ καταπιεῖν, hebr בלע (cf. Ier. 51,44 absorptum) devoratio, perturbatio, pernicies — ita apud recentiores explicatur.

Verum ex norma retributionis ista iactantia egregie puniri debet; v. 7 *propterea*, גם sed (Hier) *Deus destruet te*, exstirpabit te *in finem* i.e. in perpetuum, *evellet te et emigrabit te de tabernaculo tuo*, Hier in sempiternum terrebit te, et eradicabit te de terra viventium, cf. 1,4; 36,35. Iob 4,20. De tali manifestatione divinae iustitiae iusti sacro quodam timore replebuntur v. 8 *videbunt iusti et timebunt*; discent quantum ab iactantia et malitia abstinendum sit prae reverentia divinae maiestatis quae odio habet superbiam; sed simul perspiciunt, quam sit ridiculum, spem collocare in rebus fragilibus; unde *super eum ridebunt : ecce qui non posuit Deum* munimentum suum, *speravit in multitudine divitiarum suarum et praevaluit* in scelere suo. — Alia est sors viri probi. Dum impius evellitur v. 10 *ego autem sicut oliva* virens (hebr.

Hier) *in domo Dei*, Sym ἐλαία εὐθαλής, illud ego dicit hoc loco populum qui in Deo confidebat (ita in paraphrasi graeca et fere Theodorus apud Corderium); cf. Ier. 11,16 pariter de populo; ad quid refertur *in domo Dei*? in atriis templi aliquas fuisse olivas aliqui censent probabile; plerumque tamen aliter iungunt; qui spem in Deo fixam habet, comparari olivae in domo Dei consitae censet *Theod.*; *speravi*, spero *in misericordia Dei in aeternum*, et ita in domo Dei firmis ac fixis radicibus plantatus haeream (*Ag.*). Quare concluditur cum laude providentiae et gubernationis divinae v. 11 *confitebor tibi in saecula, quia fecisti*, monet *Calm.* verbum facere aliquando absolute et sine regimine usurpari, cuius sensum ipsa orationis series indicet, uti hoc loco (cf. 22,32 hebr, 38,10; 105,13; 108,21), Dei gubernationem, normam retributionis seu iudicia Dei celebrat; *et exspectabo nomen tuum*, praestolabor manifestationem tuam; nomen Dei est Deus quatenus innotescit, sese manifestat; et hoc nomen *bonum est*, sicut ipse Deus dicitur bonus (100,5 hebr; 134,3. Matth. 19,17, Marc. 10,18) *in conspectu sanctorum tuorum*, « gnarus itaque ipsum bonum esse et bonorum auctorem, non potentibus in malitia, sed sanctis » (*Eus.*); « iucundum est nomen tuum, sed non in conspectu impiorum; ego quam dulce sit, scio; sed his qui gustarunt » (*Aug.*). Aliter iungit *Ag.*: idque faciam in conspectu sanctorum, ut non ego solus tibi laudes persolvam, sed sanctos quoque ad tuum nomen celebrandum excitem. Sancti חסידים pii, gratia seu benignitate Dei ditati; postea peculiaris quaedam classis Assidaei (cf. 1 Mach. 2,42; 7,13. 2 Mach. 14,6.

Ps. 52.

1. *In finem. Pro Maëleth intelligentiae David.*

Dixit insipiens in corde suo : | *non est Deus.* | 2. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus,* | *non est qui faciat bonum.* | 3. *Deus de coelo prospexit super filios hominum,* | *ut videat, si est intelligens — aut : requirens Deum.* | 4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt;* | *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* |

5. *Nonne scient — omnes : qui operantur iniquitatem,* | *qui devorant plebem meam, ut cibum panis ?* | 6. *Deum non invocaverunt :* | *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* | *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent,* | *confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* | 7. *Quis dabit ex Sion salutare Israel ?* | *cum converterit Deus captivitatem plebis suae,* | *exsultabit Iacob — et : laetabitur Israel.*

Psalmus iste est idem cum Ps. 13 paucis mutatis. Ubi enim ibi legitur Iahve (Dominus) habetur hic Elohim (Deus v. 3.6.7). Pro textu

latino haec adverte : v. 2 ibi in studiis, hic in iniquitatibus; ibi additur : non est usque ad unum, hic in v. 2 omittitur; v. 5 ibi nonne cognoscent, hic nonne scient ; ibi sicut escam panis, hic ut cibum panis. Maius discrimen cernitur in v. 6, ibi enim legitur : quoniam Dominus in generatione iusta est; consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est; v. 7. ibi cum averterit, hic cum converterit.

In hebr haec notanda sunt : in v. 2 hic legitur עול (v. 14 עלילה) ; in v. 4 סג (14 סר); magis differt v. 6, Hier vertit : quoniam Deus dissipavit ossa circumdantium te, confunderis, quia Deus proiecit eos. Similiter Aq Sym ὀστᾶ τῶν παρεμβαλλόντων περὶ σέ, LXX ὀστᾶ ἀνθρωπαρέσκων. Hebr emendant : Deus dissipavit ossa impii, confusi sunt. Qui hominibus placent, ἀνθρωπάρεσκοι intelliguntur hypocritae (ita Heracleotes, Didymus, in catena Cord); unde LXX pro mass. חנך legerunt חנף (cf. Iob 34,30 , 36,13) ; syr : Deus dissipavit ossa eorum ; nam qui hominibus placent, confusi sunt. Ceterum vide Ps. 13.

Titulus hebr על מחלת, LXX ὑπὲρ Μαελέθ, Aq ἐπὶ χορείᾳ, Hier per chorum; item Sym διὰ χοροῦ, Theod ὑπὲρ τῆς χορείας. Simplicior est titulus eiusdem psalmi 13 (14).

Ps. 53.

1. In finem. In carminibus intellectus David.
2. Cum venissent Ziphaei et dixissent ad Saul : nonne David absconditus est apud nos ?

3. Deus in nomine tuo salvum me fac, | et in virtute tua iudica me. | 4. Deus exaudi orationem meum, | auribus percipe verba oris mei ; | 5. quoniam alieni insurrexerunt adversum me, | et fortes quaesierunt animam meam, | et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

6. Ecce — enim : Deus adiuvat me, | — et : Dominus susceptor est animae meae. | 7. Averte mala inimicis meis, | — et : in veritate tua disperde illos. | 8. Voluntarie sacrificabo tibi | — et : confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est, | 9. quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, | et super inimicos meos despexit oculus meus.

David efflagitat opem Dei contra potentes inimicos qui impie eius vitae insidiantur (v. 3-5). Confidit se protegi a Deo, illos iri punitum; quare gratias agere vult (v. 6-9).

In inscriptione mentio fit narrationis 1 Sam. 23,19 iisdem verbis et 26,1. Quae in psalmo continentur, quamvis sint generalia, tamen satis bene ad illum eventum aptantur.

In v. 3 opem efflagitat *in nomine tuo* i.e. quia tu es Deus meus, pro-

tector meus quem invoco; cf. 51,11; in fortitudine tua *iudica me*, causam meam tuere, ius meum mihi da, Hier ulciscere me. Atque ardens haec petitio fundi debet v. 4; nam inimici potentes sunt v. 5 *alieni*, ita hebr, LXX, syr, Hier, quae designatio vix apta est pro Ziphaeis (cf. Ios. 15,55); targum autem non effert זרים, sed זדים uti aliqui codices hebr quoque, superbi insurgunt contra me, et saevi vitam meam appetunt, interitum mihi parant; Dei metum nullatenus ob oculos sibi ponunt.

Verum mediis in vitae insidiis maxima se erigit spe (cf. 3,4.7) v. 6 ecce Deus adiuvans me, et Adonai (dominator) est inter sustentantes animam meam i.e. me; ita hebr et targum. Sed de aliis adiutoribus nulla fit in psalmo mentio, et satis mirum est et plane singulare Deum aliis annumerari adiutoribus; quare textus mass. emendandus erit; nam eum non legerunt LXX ἀντιλήπτωρ, syr adiutor, Hier auxiliatur mihi, Sym ὑπέρεισμα fulcrum. Pro tuenda vita sua rogat, ut consilia et machinationes inimicorum fiant irrita; v. 7 ex textu hebr et targum : revertetur malum in inimicos meos; secundum normam retributionis exitum fore, psalmista indubie sperat. Sed LXX, Sym exprimunt qeri ἀποστρέψει, ἀνταποδώσει, reddet Deus malum oppressoribus meis, Hier, syr : redde venire fac, malum insidiatoribus meis; item vulg *averte mala inimicis meis*, verte mala in ipsos; *et in veritate tua*, qua omnia iuste iudicas (*Ag.*), vel secundum fidelitatem tuam, qua promissa servas (*Gen.*) *disperde illos*. In actionem gratiarum spondet v. 8 *voluntarie*, animo prompto et laeto *sacrificabo tibi*, et laudibus celebrabo nomen tuum bonum (cf. 51,11), Deum bonum, benignum, qui tanta bonitate se manifestat v. 9 *quoniam ex omni tribulatione* me eripis, *et super inimicos meos despexit oculus meus*, hebr ראה ב cum voluptate aliquid aspicere, pascere oculos, videndo ultionem et punitionem inimicorum laetari. Norma retributionis statuta in lege, re vera opere expressa, provocat optimum quemque ad laetitiam et Dei laudem.

Ps. 54.

1. *In finem. In carminibus intellectus David.*

2. *Exaudi Deus orationem meam* | *et ne despexeris deprecationem meam;* | 3. *intende mihi et exaudi me.* | *Contristatus sum in exercitatione mea* | *et conturbatus sum,* 4. *a voce inimici* | — *et : a tribulatione peccatoris ;* | *quoniam declinaverunt in me iniquitates,* | *et in ira molesti erant mihi,* | 5. *Cor meum conturbatum est in me* | *et formido mortis cecidit super me ;* | 6. *timor et tremor venerunt super me,* | *et contexerunt me tenebrae.* | 7. *Et dixi : quis dabit mihi pennas sicut columbae* | *et volabo et requiescam?* | 8. *Ecce elongavi fugiens,* | *et mansi in solitu-*

dine ; | 9. exspectabam eum qui salvum me fecit | a pusillanimitate spiritus et tempestate.

10 Praecipita, Domine, divide linguas eorum, | quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate, | 11. die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas | et labor in medio eius, 12. et iniustitia, | et non defecit de plateis eius usura et dolus. | 13. Quoniam si inimicus — meus : maledixisset mihi, | sustinuissem — utique : | et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, | abscondissem me forsitan ab eo ; | 14. tu vero homo unanimis, | dux meus et notus meus, | 15. qui simul mecum dulces capiebas cibos, | in domo Dei ambulavimus cum consensu ! | 16. Veniat mors super illos | — et : descendant in infernum viventes, | quoniam nequitiae in tabernaculis eorum, | in medio eorum.

17. Ego — autem : ad Deum clamavi, | et Dominus salvabit me ; | 18. Vespere et mane et meridie narrabo, et annuntiabo, | et exaudiet vocem meam ; | 19. redimet in pace animam meam | ab his qui appropinquant mihi, | quoniam inter multos erant mecum. | 20. Exaudiet Deus et humiliabit illos qui est ante saecula ; | non enim est illis commutatio, | et non timuerunt Deum. | 21. Extendit manum suam in retribuendo. | Contaminaverunt testamentum eius. | 22. Divisi sunt ab ira vultus eius, | et appropinquavit cor illius. | Molliti sunt sermones eius super oleum, | et ipsi sunt iacula. | 23. Iacta super Dominum curam tuam | et ipse te enutriet ; | non dabit in aeternum fluctuationem iusto. | 24. Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus. | Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos ; | ego autem sperabo in te — Domine :

David flagitans exauditionem exponit vehementes tribulationes ab inimicis sibi immissas suasque inde angustias ; quare fugam in desertum exoptat (v. 2-9). Nequitiam inimicorum et praecipue unius, olim familiaris amici, accuratius describit, eisque ultionem divinam exoptat (v. 10-16). Ipse autem firmiter sperat salutem et certo praedicit poenam eorum qui Deum non timent ; foedifragi sunt et hypocritae et violenti (v. 17-24).

Ad Absalomis coniurationem et perfidiam Achitophel (2 Reg. 15,12 ; 16,23) psalmum hunc referre pluribus placuit (cf. *Ag. Gen. Calm.*) ; conqueri Davidem de Ceilanis (1 Reg. 23) magis recepta de argumento sententia est secundum Corderium ; scriptor quidam anonymus apud Cord. psalmum hunc dicit machabaicum ex persona Oniae sacerdotis. Verum *Eus. Theod.* pluribus exponunt maiorem psalmi partem (a v. 10 et deinceps) nullo pacto posse de Davide intelligi, neque de ullo alio eventu veteris testamenti, sed unice de Christo.

Implorat exauditionem v. 2, hebr ne te abscondas a deprecatione mea. Cur tam instanter flagitet, exponitur v. 3 *contristatus sum* sollicitudine et cura qua exerceor, angor ; hebr ריד vagor ? LXX ἐλυπήθην (אבד ? Duhm), Sym κατηνέχθην προσλαλῶν ἐμαυτῷ depressus sum mecum loquens ; unde Hier : humiliatus sum in meditatione mea, *et contur-*

batus[1] *a voce inimici*, minis et accusationibus et opprobriis. *et a tribulatione*, oppressione, *peccatoris* ; idque magis declaratur : *quoniam declinaverunt in me iniquitates*, proiecerunt super me perniciem, omni conatu me perdere volunt, *et in ira molesti erant mihi*, Hier : et in furore adversabantur mihi ; explica tempore praesenti : in indignatione me lacessunt, me oppugnant. Quare v. 4 *cor meum conturbatum est in me*, hebr cor meum torquetur (Hier doluit), tremit intra me et terrores mortis ceciderunt super me. Tanta est infestatio inimicorum, ut iam formidine mortis percellatur. Quae angustiae animi etiam v. 6 exhibentur : *timor et tremor venerunt super me*, et operuit me horror i.e. totus horrore et tremitu corripior, Sym φρίκη horror ; LXX, vulg *tenebrae*, symbolum maximarum calamitatum. Quare optat ab istis miseriis aufugere in locum quietum : utinam haberem *pennas sicut columbae*, velocissimae scil. avis (*Alg.*) ; volarem et habitarem ; celeri volatu aliud mihi quaererem habitaculum ; v. 8 *ecce*, procul, in longinquum aufugerem et manerem in deserto. Ibi v. 9 *exspectabam*, exspectarem adiutorem qui me liberaret ab animi depressione et perturbatione ; hebr festinarem ad perfugium mihi, ad locum mihi tutum, a vento saeviente et a procella. Itaque impetus inimicorum, quos comparat turbulentis ventis et procellis, vult evitare, adeoque in desertum fugere.

Iam istam tempestatem clarius nobis proponit v. 10, videtur prius indignatione commotus petere, ut Deus inimicos perturbet, *praecipita*, confunde *divide linguas eorum*, discordiam et dissensionem inter eos effice ; dissolve eorum consilium et animorum concordiam ; nam si ipsi inter se in consiliis ad me perdendum dissident, eorum dissidium meum est emolumentum. Estne hic hebr allusio ad Gen. 10,25 בלג, בלל ? Qualis sit nequitia inimicorum, exhibet : *vidi iniquitatem*, oppressionem et rixam *in civitate* ; violentia et iurgium continuo, diu noctuque, circumdant eam ; *super muros*, en, oppressio et rixa sunt quasi custodes urbis super muros stantes, sunt dominatores urbis, in eius autem medio dominantur pernicies et molestia, et de plateis eius non recedit *usura et dolus*, Hier damnum et fraudulentia, hebr violentia et fraus. Praeclaram civitatem : custodes super muros sunt oppressio et rixa, in media urbe pernicies et molestia, seu *iniquitas*, *labor*, *iniustitia*, in plateis violentia et fraus : en quales domini, quales cives, quale civium inter se commercium !

Ex communi malitia effertur casus singularis quo praeprimis animus psalmistae gravi vulnere est afflictus, scil. perfidia amici ; v. 13,

1. Scribe, ut in v. 18 אהמה (*Lagarde*, Bildung der Nomina p. 27,1).

hebr reddes (fere cum Hier) non enim inimicus exprobrat mihi, ut sustineam, neque is qui me odit contra me se exaltat, ut abscondar ab eo ; unde apparet optime sensum exprimi in LXX et vulg *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*, etc. At vero talia atrocia non inimicus intulit — id ferri posset — at amicissimus v. 14 *tu vero homo* eiusdem mecum ordinis (dignitatis, conditionis *Gen.*), syr tu homo, sicut ego i.e. aequalis mihi, Sym ἄνθρωπε ὁμότροπός μοι, *unanimis*, LXX ἰσόψυχε, hebr אלוף hoc loco non est dux, sed amicus, familiaris, Sym συνήθης, *et notus meus*, Sym γνώριμός μοι, qui simul habuimus dulce secretum (ita Hier), qui simul dulcem habuimus consessum, consuetudinem, qui una dulce reddebamus colloquium, Sym ἐκοινολογούμεθα γλυκεῖαν ὁμιλίαν sensu eodem ; LXX hanc familiaritatem explicarunt ἐδέσματα, *qui simul mecum dulces capiebas cibos*, similiter syr quoque ; quae familiaris consuetudo etiam communi pietate eodemque cultu divino confirmata et quasi consecrata erat, *in domo Dei ambulavimus cum consensu* ἐν ὁμονοίᾳ ; hebr ברגש, Hier in terrore, Sym συνδιαιτώμενοι una viventes? contubernales? syr habet idem cum LXX ; si respicitur 64,3 hebr, censent aliqui verti posse ambulavimus cum multitudine (cf *Baethgen*, *Wellhausen*) ; cf. 41,5 ; sensus ergo est. : in vita privata et religiosa eramus coniunctissimi. In targum fit compellatio v. 14 et tu Achitophel, vir similis mihi. Contra hos omnes (v. 10-14) invocat ultionem Dei v. 16, alluditur ad Num. 16,30-33, ad mortem rebellium contra auctoritatem Moysis ; *veniat mors super illos*, Sym αἰφνιδίως θάνατος ἐπέλθοι αὐτοῖς, item Hier (exprimunt hebr qeri), ἐπάξει θάνατον, syr adduc mortem super eos ; *quoniam nequitiae in habitaculis eorum*, ita LXX, targum, syr omittit hanc vocem, Hier in congregatione eorum, Aq Sym ἐν συστροφῇ αὐτῶν in conversatione eorum ; emendat *Duhm* textum : pro malitia sua praecipitati ברעתם בוגדים.

Ipse autem psalmista v. 17 *ego autem ad Deum* clamo, *et Dominus salvabit me ;* v. 18 tribus temporibus : *vespere* (a vespera incipit dies), *mane et meridie* plango et gemo ; ita intellige hebr cf. v. 3 (Hier loquar et resonabo), et audiet vocem meam (syr audire faciam vocem meam), LXX εἰσήκουσέν μου, *et exaudiet vocem meam* (Hier). Spem suam enuntiat : v. 19 *redimet in pace animam meam*, me redimet (a vexationibus) et collocabit me in pace, in conditione pacifica, secura, in prosperitatem me vindicabit, *ab his qui appropinquant mihi*, hebr ne appropinquent mihi (vel : a bello contra me?), targum : ne accedat ad me malum ; multos enim habet adversarios : *quoniam inter multos* (hebr ב essentiae, unde Sym πολλοστοί), *erant mecum*, contra me, contendebant mecum ; Hier : multi enim fuerunt adversum me. Hos Deus *humiliabit* v. 20, qui iudex est ab initio (Hier), hebr

sedens (regnans) ab initio. Et quales isti permansuri sint, dicit : *non enim est illis commutatio*, non enim mutantur (Hier), non est illis conversio morum in melius, Sym οὐ γὰρ ἀλλάσσονται (emendat *Duhm* הליכות Prov. 31,27 iis non sunt mores, vivendi regulae) ; et cur maneant in pravitate, ratio obvia est : *non timent Deum*. In v. 21.22 legitur modo singularis, modo pluralis. Neque tamen assumi potest modo de cunctis adversariis esse sermonem, modo de illo uno v. 14. Cum numerus singularis praevaleat prae altero, iam eo ipso suadetur de uno esse sermonem, in quo fortasse reliqui depinguntur.

Et quidem amicis inuriam intulit v. 21 *extendit manum suam* ad amicos suos (ad pacifica sua, Hier ; syr contra proximum, targum in viros pacis suae), ad eos qui pacifice cum eo vivebant (cf. 40,1) ; dein factus foedifragus : contaminavit, profanavit, pactum suum, pactum quod inierat cum amico. In v. 22 LXX חביה ira exprimitur, hebr חמאה ; vertit Hier : nitidius butyro os eius ; verba eius sunt suavia, dulciora butyro, at bellum (est) cor eius ; sensus et cor fovent odium, inimicitias, perniciem ; קרב appropinquare, bellum ; חלק glabrum esse, dividere ; inde explicatur versio LXX, vulg *divisi sunt ab ira vultus eius, et appropinquavit cor illius*. Ex hebr describitur tertio tamquam insignis hypocrita, qui ore maximam prae se fert suavitatem, in corde autem bellicum fovet furorem ; vertit Sym λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτῶν, πολεμεῖ δὲ ἡ καρδία ἑκάστου αὐτῶν ; sensum eundem praebet targum. Eadem hypocrisis et perniciosa versutia declaratur : *molliti sunt sermones eius super oleum*, oleo molliores ; at revera *ipsi sunt iacula*. lanceae (Hier), λόγχαι Aq.

Concluditur psalmus comparatione quadam sortis iusti et impii v. 23 *iacta super Dominum curam tuam*, LXX, syr ; sortem tuam ? onus tuum ? desiderium tuum (*Wellh.*) ; veteres cernunt ibi notionem diligendi : ἀγαπήσει σε Aq Sym quinta sexta ; item Hier : proiice super Deum caritatem tuam, *et ipse te enutriet*, te sustentabit ; nam *non dabit in aeternum fluctuationem iusto*, non patietur unquam ut iustus malis obruatur ; licet enim, ait *Theod.*, aliquando in discrimen incidere permittat, celerem tamen opem feret. Diversa est conditio impiorum v. 24 *tu vero Deus, deduces eos in puteum interitus*, שחת plerumque fovea, sepulcrum ; at notione interitus, διαφθορά etiam adhibetur, uti alias iam dictum est, et hic secundum *Eus.* vertit Sym εἰς λάκκον διαφθορᾶς, nam vita longa et felix promittitur iustis ; *viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* ; immatura morte abripientur ; « vix ad eius spatii dimidium pervenient, quantum naturae beneficio vivere potuissent » (*Ag.*). Afferunt exempla Saul, Absalom, Achitophel (*Ag. Gen.*). Viri sanguinum sunt generatim non tantum ii qui caedes com-

mittunt, sed qui alios opprimunt, vexant (cf. Prov. 1,11 ; 12,6 ; 28, 17. Ps. 25,9 ; 50,16 ; 58,3 ; 138,19. Mich. 3,3). De eo qui iniuste divitias corradere studet, ait propheta : in dimidio dierum suorum derelinquet eas (Ier. 17,11) et psalmista petit : ne revoces me in dimidio dierum meorum (101,25) et Ezechias rex lamentatur : in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi (Is. 38,10). En, quoties spes commendatur : *ego autem sperabo in te*, ita concludit psalmista, qui spem iam bene declaraverat v. 17-20.

Ps. 55.

1. *In finem. Pro populo qui a sanctis longe factus est. David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.*

2. *Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo,* | *tota die impugnans tribulavit me;* | 3. *conculcaverunt me inimici mei tota die,* | *quoniam multi bellantes adversum me.* | 4. *Ab altitudine diei timebo;* | *ego vero in te sperabo.* | 5. *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi,* | *non timebo quid faciat mihi caro.*

6. *Tota die verba mea exsecrabantur,* | *adversum me omnes cogitationes eorum in malum.* | 7. *Inhabitabunt et abscondent;* | *ipsi calcaneum meum observabunt,* | *sicut sustinuerunt animam meam.* | 8. *Pro nihilo salvos facies illos;* | *in ira populos confringes.* | *Deus,* 9. *vitam meam annuntiavi tibi;* | *posuisti lacrimas meas in conspectu tuo;* | *sicut et in promissione tua;* | 10. *tunc convertentur inimici mei retrorsum.*

In quacumque die invocavero — te : | *ecce cognovi quoniam Deus meus es.* | 11. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem;* | *in Deo speravi; non timebo, quid faciet mihi homo.* | 12. *In me sunt Deus vota tua,* | *— quae : reddam, laudationes tibi;* | 13. *quoniam eripuisti animam meam de morte,* | *et pedes meos de lapsu;* | *ut placeam coram Deo in lumine viventium.*

Describit David impugnationes inimicorum, quibus tamen ob firmam in Deo spem minime terretur (v. 2-5). Iterum machinationes eorum delineat ; eas autem Dei ope quam cum lacrimis implorat irritas fore ex divina promissione confidit (v. 6-10). Quare laetam suam spem et firmam salutis fiduciam cum laude divina et gratiarum actione sollemniter profitetur (v. 11-13). Prior pars tituli hebraei nequit intelligi ; de variis tentaminibus explicationis vide Cornely (Introd. II, 185,4).

Davis bis fuit in Geth, 1 Reg. 21, 10-15, et 1 Reg. 27, 2-29, 11. Ad priorem eventum psalmum referunt *Theod. Ag. Calm. Cornely* ; ad alterum *Eus. Hoberg.*

Cum mentio fiat in inscriptione etiam populi, *Theod.* psalmum quoque refert ad captivos in Babylonia. Alii populum intelligunt de sociis Davidis

vel quadringentis in Odollam (1 Reg. 22,2) vel sexcentis in Geth (1 Reg. 27,2). In targum habetur inscriptio : de coetu Israel.

Vehemens delineatur in v. 2 impugnatio, *conculcavit* i.e. conculcat, ita שאף explicant LXX κατεπάτησεν, syr, Sym v. 3, Hier (cf. 56,4); unde vocem eadem notione acceperunt, ac שוף, quae notio solum hoc loco quadrat; nam inhiare שאף) ad membra parallela nec convenit nec dici potest de homine; *tota die* pugnans, bellator me tribulat. Idque repetitur v. 3, et sunt quidem *multi bellantes adversum me*; ergo *homo* v. 2 sensu collectivo ponitur, uti in v. 5 caro, homines debiles scil. quia auxilium speratur divinum. In v. 3 hebr in fine legitur מרום, Aq Hier vertunt Altissime, Sym οἱ πολεμοῦντές με ὑψηλότεροι, quae notio voci tribui nequit; LXX vulg *ab altitudine diei*, nequit intelligi; syr longiorem exhibet paraphrasin : quoniam multitudo pugnantium exaltati sunt super me. Alii explicant adverbialiter : superbe bellantes, alii censent assumi posse accusativum loci, bellantes in alta dignitate constitui (?). Sensum v. 4 bene expressit Hier : quacumque die territus fuero, ego in te confidam (eodem modo Sym); in epistola autem ad Suniam et Fretellam explicat vulg : non bellantes adversum me timebo, sed ab altitudine diei timebo, id est, tuum excelsum timebo lumen.

In periculo (v. 4 quando timeo, hebr) magnam spem profitetur; omnem a se longe removet timorem Hoc suum propositum enuntiat v. 5 *in Deo*, ope, favore Dei *laudabo sermones meos*, explica : res meas, rerum mearum statum agnosco bonum, vel potius secundum hebr : laudo sermones qui ad me facti sunt i.e. promissionem divinam; et ratio est quia in Deo spero; ideo non timeo, *quid faciat mihi caro*, scil. debilitas humana inimicorum. In hebr, Aq Sym targ habetur : laudabo verbum eius, ergo promissum eius (*Gen.*); scil. mediis in periculis recordatur laeto animo Dei promissa. Secundum *Eus.* quinta editio fert τὸν λόγον μου, in v. 11 omnes habent absolute verbum, ῥῆμα, λόγον sine addito, quod solum de verbo promissionis intelligi potest; quare etiam in v. 5 eadem explicatio et cum hebr lectio (verbum eius) adoptanda erit. Atque talis spei firmitas eo magis necessaria est, quia v. 6 *tota die verba mea* res meas, causam et conditionem meam, *exsecrabantur*, molestia afficiunt, affligunt, *omnes cogitationes eorum sunt adversum me in malum*, assidue volvunt consilia mihi perniciosa et cogitant quomodo mihi nocere possint. Eiusmodi conamina praebet v. 7, hebr vertunt Hier, Sym congregantur; alii (formam גור explicantes גרה notione) contendunt, insidiantur, vestigia mea observant, sicut qui praestolantur animam meam, i.e. mortem meam.

In eundem sensum accipe vulg *inhabitabunt*, *Gen.* : in unum habitant, congregantur; *et abscondent* laqueos, insidias struunt, *calcaneum meum observant*, itinera, actiones et opera ; *sicut*, prout *sustinent* exspectant *animam meam.*

Contra hos implorat ultionem divinam v. 8, ad quem versum notat *Eus.* haec obscure ἀσαφῶς dicta apud LXX apertius interpretatus est Symmachus : προσδοκῶντες τὴν ψυχήν μου διὰ ἀδικίαν · ῥῦσαι ἀπ' αὐτῶν, exspectantes animam meam propter iniquitatem ; libera ab illis ; LXX vulg *pro nihilo salvos facies illos*, estne idem ac : nullo modo eos salvabis? *Theod.* aliud legit : ὑπὲρ τοῦ μηδενὸς ὥσεις αὐτούς, facile tibi est καὶ λίαν εὐπετὲς et valde pronum eos expellere. Hebr, uti iacet, posset verti cum interrogatione : ob iniquitatem liberatio illis ? ! sed ex firma persuasione de norma retributionis talis interrogatio seu exclamatio indignationis non videtur alicui in mentem venire potuisse. Facilem emendationem recentiores proponunt aut inserentes אין propter iniquitatem non eis erit liberatio, aut scribentes פלט pro mass פלטי i.e. ob scelus eis repende, scil. debitam poenam ; id quod congruit ad sequentia : *in ira populos confringes*, *Deus*, deturba, praecipita. Bene notandum est adversarios seu inimicos nunc designari *populos*, quorum itaque conamina, infestationes, bella etiam in antecedentibus intelligenda sunt. Unde manifestum est non unum aliquem suo solum nomine loqui et orare, sed nomine populi Dei a gentibus infestati, nam nimis mirum esset quod *Gen.* vult, adversarios vocari populos propter multitudinem.

Contra hos preces funduntur v. 9 *vitam meam annuntiavi tibi*, vitae meae conditionem tibi expono ; aerumnas scil. et necessitates. Aliter hebr : miseriam meam tu numerasti ; targum dies vagationis meae numerasti ; *posuisti lacrimas meas in conspectu tuo*, hebr vertitur melius : positae sunt lacrimae meae in utre tuo ; nonne in libro tuo ? LXX, vulg *sicut et in promissione tua* ; tria igitur efferuntur, quibus spes opis divinae innititur : Deus numeravit dies miseriae, lacrimas habet collectas apud se, et secundum LXX insuper adest promissio divina. Quare v. 10 *tunc convertentur inimici mei retrorsum* ; ut *Eus.* refert, Sym textum hebr sic iungit : μὴ οὐχὶ ὅταν ἐξαριθμῇς, τότε etc. : annon cum enumeraveris (miserias meas et lacrimas), tunc convertentur retrorsum ; *in quacumque die invocavero te*, *ecce cognovi*, *quoniam Deus meus es* ; ad preces meas in fugam coniicies hostes meos. Firma exprimitur spes ac fiducia.

Quare sequitur v. 11 *in Deo laudabo verbum*, gloriabor in Deo de verbo promissionis ; vide ad v. 5. In gratiarum actionem persolvere spondet vota quae antea Deo promiserat, et quae propterea dicit vota

tua : v. 12 *in me sunt*, super me sunt, mihi incumbunt, *vota tua*, quae tibi vovi, *reddam*, *laudationes tibi*, i.e. sacrificia laudis et gratiarum actionis, v. 13 *quoniam eripuisti animam meam de morte*, tu servas populum tuum ab interitu, *et pedes meos de lapsu*, non solum eum servas ab interitu, sed etiam, ne quando corruat coram hostibus; hebr nonne, pedes meos de casu? potest considerari tanquam petitio et obsecratio, quae saepius proferri solet voce interrogantis : nonne id mihi tribues? cf. v. 9 hebr; censet *Duhm* istud nonne etc., notam esse marginalem qua alia lectio proponatur, cum de comminatione et periculo mortis in psalmo non fiat mentio. Salus autem conceditur, ad ambulandum coram Deo in lumine viventium, Sym ὥστε ὁδεύειν, Hier ut ambulem, LXX, vulg *ut placeam coram Deo*, quamdiu vixero, Sym διὰ φωτὸς τῆς ζωῆς per lumen vitae (hebr utrumque intelligi potest); lumen, lux felicitatem designat et laetitiam in oppositione ad tenebras miseriarum et mortis. Ad versionem LXX εὐαρεστῆσαι vide quae notavi ad 34,14 ; et idem iam cernitur 25,3.

Ex duplici inscriptione secundum LXX sequitur psalmum hunc tempore posteriore applicatum esse ad exsules ; inde probabile est aliquas dictiones esse mutatas, v. g. v. 8.

Ps. 56.

1. *Ne disperdas. David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam.*

2. *Miserere mei Deus, miserere mei,* | *quoniam in te confidit anima mea,* | *et in umbra alarum tuarum sperabo,* | *donec transeat iniquitas.* | 3. *Clamabo ad Deum altissimum,* | *Deum qui benefecit mihi.* | 4. *Misit de coelo et liberavit me;* | *dedit in opprobrium conculcantes me;* | *misit Deus misericordiam suam* | *et veritatem suam;* | 5. — *et eripuit : animam meam de medio catulorum leonum;* | *dormivi conturbatus;* | *filii hominum, dentes eorum arma et sagittae,* | *et lingua eorum gladius acutus.* | 6. *Exaltare super coelos Deus,* | — *et : in omnem terram gloria tua.*

7. *Laqueum paraverunt pedibus meis,* | — *et : incurvaverunt animam meam;* | *foderunt ante faciem meam foveam,* | — *et : inciderunt in eam.* | 8. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum;* | *cantabo et psalmum dicam;* | 9. *exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara,* | *exsurgam diluculo.* | 10. *Confitebor tibi in populis Domine* | — *et : psalmum dicam tibi in gentibus,* | 11. *quoniam magnificata est usque ad coelos misericordia tua* | *et usque ad nubes veritas tua.* | 12. *Exaltare super coelos Deus;* | — *et : super omnem terram gloria tua.*

Uti psalmus traditus est, versu intercalari v. 6.12 in duas partes dividitur. Implorata Dei misericordia affirmat David spem suam firmam, donec transeat iniquitas; iam spem suam describit v. 3.4 et quae-

nam sit iniquitas, exhibetur in v. 5. In altera parte iterum v. 7 describitur iniquitas et a v. 8 et seq. exhibetur quasi quoddam canticum triumphale spei. Delineatur itaque in psalmo spes probi et infestatio eius. Sensu videtur postulari, ut versus intercalaris ponatur post v. 7; nam v. 7 videtur arcte referri ad v. 5; et in hebr sela ponitur post v. 7.

Filialis in Deum fiducia bene exhibetur eo quod David *in umbra alarum tuarum* se refugium capere dicit; cf. 16,8; 35,8; 60,5; 90,4; ibi securus commorari vult, donec transeat pernicies; cf. Is. 26,20. In hac itaque protectione alarum Domini v. 3 *clamabo*, clamo ad Deum, *qui benefecit mihi*, hebr גמר perficiens mihi, causam meam ad bonum exitum perducens, Hier ad Deum ultorem meum (גמל ?). Iam qualem habeat spem salutis, declarat v. 4 *misit*, mittit sc. manum, opem suam, Hier mittet, cf. 17,18, *de coelo*; cf. 17,16 et salvat me; *conculcantes me* (cf. 55,1) dat in opprobrium, quam notionem syr, Hier quoque exprimunt; verbum חרף quidem notionis satis acerbae alias de Deo non dicitur; at cum irridere et similia Deo attribuantur, non est cur haec lectio repudietur ratione ipsius verbi. In oppositione ad sortem inimicorum, psalmista suam conditionem totam constitui Dei benevolentia et fidelitate asserit: *misit*, mittit *Deus misericordiam suam et veritatem suam*, gratiam et fidelitatem, fidem in promissis implendis; unde elucet illa promissa esse veritatem; et qualem speret exhibitionem misericordiae, seu gratiae et fidelitatis, dicitur in LXX, vulg v. 5 *et eripuit*, eripit, *animam meam de medio catulorum leonum*, in quorum medio habitat, *dormivi*, cubo *conturbatus*, quamvis strenue spem foveat, tamen in medio leonum cubans naturali quodam horrore et terrore perfunditur. Dein quinam sint leones isti, declaratur, *filii hominum*, leonum similes, me tamquam praedam quaerunt: *dentes eorum arma et sagittae*, vi bona mea rapere student; *lingua eorum gladius acutus*; calumniis et dicteriis et opprobriis me vulnerant.

In hebr 5 absolute initio ponitur: anima mea, dein pergitur: in medio leonum cubo (Sym εὐθαρσῶν confidens ἐκοιμήθην), להטים veteres referunt ad vocem leonum: Aq ἐν μέσῳ λεαινῶν κοιμηθήσομαι λάβρων, Sym μεταξὺ φλεγόντων; eodem modo Hier anima mea dormivit in medio leonum ferocientium; Theod μετὰ ἀναλισκόντων, cum consumentibus, simili modo *Duhm* explicat: inter leones cubo avidos hominum. Simpliciorem textum praebet syr: et salvat animam meam de canibus; cum dormiam conturbatus; hominum dentes lanceae et sagittae etc. Adversarii feroces leones vocari saepius solent; cf. 7,3; 16,10; 21,14.22; 34,17 etc. Et de talibus adversariis victoriam ope Dei se reportare certo sperat; unde Deum appellat, ut vim ac maiestatem suam osten-

dat v. 6 *exaltare super coelos Deus et in omnem terram gloria tua*; haec Dei gloria, qua pleni sunt coeli et terra, est firmissimum et incussum spei fundamentum.

In altera psalmi parte priore loco tangitur denuo iniquitas seu pernicies (cf. v. 2). Consuetae imagines laquei, foveae ad insidias et persecutiones declarandas adhibentur : v. 7 *laqueum*, rete, *paraverunt pedibus meis*, gressibus meis, *et incurvaverunt animam meam*, insidiis et infestationibus, dolore ac moestitia afficiebar; cf. v. 5 cubo conturbatus; *foderunt ante faciem meam*, coram me, *foveam*, *et ceciderunt in eam*, secundum normam retributionis aliter fieri nequit; cf. 7,16; 9,16; 34,7; Prov. 26,27. Uti in priore parte, affirmat psalmista firmam suam spem ac fiduciam v. 8 *paratum cor meum*, hebr firmum cor meum, Sym ἑδραία ἡ καρδία μου, stabile est cor meum, « nam tuam providentiam manifestam videns, non amplius diversas inimicorum machinationes reformido, sed paratus et instructus sum ad tua mandata sequenda tuaque beneficia decantanda » (*Theod.*); v. 9 *exsurge gloria mea*, *exsurge psalterium et cithara*, nablium et cithara; alacrem animum et ad Dei laudes promptum hisce indicat verbis; animam suam, quam gloriam suam vocat, i.e. se ipsum excitat, et ipsa quoque sensu carentia instrumenta hortatur, quasi suae laetitiae sensum habeant, ut laetitia exsultent (*Ag.*). Anima saepius dicitur gloria mea, cf. 7,6; 16,9 hebr; 29,13; *exsurgam diluculo*, hebr excitabo auroram; iam ante auroram cantabo et cantu meo expergiscere faciam auroram; poetice dicitur; et alias quoque aurora in sacris litteris personae in modum exhibetur; ita Is. 14,12 lucifer filius aurorae (hebr), palpebrae aurorae (Iob 3,9 hebr 41,10) et simili mo lo poetice fingit Ovidius : non vigil ales ibi cristati cantibus oris evocat auroram (Metamorph. 11,597; *Riehm*).

Non solum laudes privatas offerre vult, etiam populi erunt testes v. 10 *confitebor tibi in populis*, celebrato te inter populos; cf. 9,12; 45,11; 46,2; 48,2; Ez. 28,25; 37,28; et *psalmum dicam tibi in gentibus*; cf. 17,50 et argumentum huius cantici laudis erit v. 11 magnitudo misericordiae et fidelitatis Dei; cf. v. 4; quae magnitudo describitur *usque ad coelos*, *usque ad nubes*, ambitum terrae longissime excedit; maior est, longe maior quam humana sagacitas attingere potest; nam « cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus » (oratio Ecclesiae).

Concluditur laus Domini sollemni acclamatione v. 12; cf. v. 6.

David bis refugium quaesivit et invenit in spelunca; in spelunca Odollam 1 Reg. 22,1 et in locis tutissimis et in spelunca Engaddi 1 Reg. 24,1. Utra regio intelligatur, ex psalmo nequit colligi.

Quae habentur v. 8-12 fere eodem modo leguntur Ps. 107, 2-6.

Ps. 57.

1. *In finem. Ne disperdas. David in tituli inscriptionem.*

2. *Si vere utique iustitiam loquimini, | recta iudicate, filii hominum. | 3. Etenim in corde iniquitates operamini, | in terra iniustitias manus vestrae concinnant. | 4. Alienati sunt peccatores a vulva, | erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. | 5. Furor illis secundum similitudinem serpentis, | sicut aspidis surdae et obturantis aures suas, | 6. quae non exaudiet vocem incantantium | et venefici incantantis sapienter.*

7. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum; | molas leonum confringet Dominus. | 8. Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens; | intendit arcum suum, donec infirmentur. | 9. Sicut cera quae fluit auferentur, | — super : cecidit ignis, et non viderunt solem. | 10. Priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum, | sicut viventes sic in ira absorbet eos.

11. Laetabitur iustus, cum viderit vindictam; | manus suas lavabit in sanguine peccatoris. | 12. Et dicet homo : si utique est fructus iusto, | utique est Deus iudicans — eos : in terra.

Acerbe conqueritur David de iniustis principibus, qui ius pervertunt, in quorum inveteratam malitiam et contumaciam vehementer invehitur comparatione serpentum adhibita (v. 2-6). Petit, ut Deus eorum violentiam retundat et eorum conatus irritos reddat. Tali punitione et ultione et iusti laetabuntur et omnes agnoscent esse iudicem iustum Deum (7-12).

Bene iam monet *Ag.* interrogatione esse in v. 2 εἰ ἄρα *si utique* explicandum : ergone vere iustitiam loquimini et iusta decernitis recte iudicantes ? hebr num vere ius dicitis ? אלם, bene explicavit *Houbigantius*, legendum esse utpote allocutionem ad iudices ; num vere, dii, ius dicitis ? vocantur dii, uti 81,1.6 ; hoc loco cum vehementi irrisione ; ceterum de tali appellatione iudicum vide Ex. 21,6 ; 22,8.28. Cum compellentur in hoc membro dii, in altero melius explicabis : num recte iudicatis filios hominum ? Quales sint, exponitur v. 3 ; bonam lectionem praebet syr : etenim vos omnes *iniquitates operamini* (corrige בלב in בלכם), dii isti in terra pessime agunt : manus vestrae oppressionem appendunt, ita hebr ; attribuunt. Alias ex manibus deorum ius et beneficia exspectantur ; horum manus quasi in statera appensas (Iob 31,6) largiuntur molestias. Atque eorum malitia est inveterata v. 4 *alienati sunt*, deviant, *peccatores a vulva*, a primo ortu iniqui in malam partem a recto deviant, errant ab utero loquentes mendacium (hebr, Hier) ; vix nati se dant vitiis. Et quae sit eorum indoles, imagine proponitur et quidem LXX, vulg, Hier : *furor illis* sicut furor serpentis ; targum

venenum illis, et ea notione hebr. syr intelligi potest et hoc loco multo melius congruit comparationi; nam serpentes non tam ob furorem, sed ob venenum terrori sunt. Recte igitur *Ag. Gen.* veneni mentionem ingerunt; cf. Deut. 32,24. Mens et indoles eorum veneno infecta est, veneno impietatis, odii, iniustitiae, quo veneno aliis mortem inferunt. Accedit quod plane duri sunt et contumaces; sunt sicut aspis surda quae obturat aures suas; si serpens incantatoris carminibus non obedit, incantator surditatem eius praetendit; et cum obedire nolit ad incantationes, aures obturare dicitur; opinionem ac si serpens pulvere aut cauda aures occluderet nolens obsequi incantationibus, merito ridet *Ag.* eamque sine auctore ab aliis afferri reprehendit. Ita sunt iudices iniqui, qui voces iuris, argumenta iustorum, obsecrationes pauperum audire detrectant.

In hos inclamatur ultio divina. Eorum iniustitia et saevities comparatur ferocitati et crudelitati leonum. Rogat psalmista, ut Deus iis adimat potestatem nocendi, adeoque eorum conatus irritos reddat; quare v. 7 hebr, Hier, targum : Deus, contere dentes eorum, molas leonum confringe, Domine ! ut Aq quoque ἐκρίζωσον, κύριε. Dentibus et molaribus excussis praedam non discerpere possunt, fame peribunt. Eorum interitus, qui ex norma retributionis evenire debet, v. 8.9 variis imaginibus declaratur; v. 8 *ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens*, explica : quae tandem dilabitur, evanescit; hebr dissolvantur sicut aquae quae defluunt (Hier), quae tandem humo absorbentur; dein alia imagine : *intendit arcum suum, donec infirmentur*, Hier donec conterantur; Deus vindictae suae sagittis eos conficiet ; cf. 7,14 ; 17,15 ; 37,3 ; 44,6 ; 76,18 ; 143,6 ; hebr intendit sagittas suas (qeri), syr iaciet sagittas suas, donec deficient ; hebr est obscurum ; sed debet enuntiari, quid iactis sagittis efficiatur, targum : et erunt iaculis confecti. Mutatione textus aliqui efficiunt sententiam : sicut herba tenera quae collabitur (*Duhm, Wellh.*).

Alia imagine utitur psalmista v. 9 *sicut cera quae fluit auferentur* ita LXX, vulg, syr; hebr שבלול explicatur ex targum limax, Hier vermes, Sym χόριον secundae partus; hebr verti potest : sicut limax qui liquefactione abit; limax enim rependo multum pituitae relinquit, unde diffluere et quasi dissolvi videtur et in limum abire. Adiungitur hebr alia comparatio : abortus mulieris, Aq Sym ἔκτρωμα γυναικός, Hier quasi abortivum mulieris, quod non vidit solem, vel hebr non visum a sole. Hebr נפל אשת LXX, syr, vulg : *super cecidit ignis, et non viderunt solem ;* legerunt seu explicarunt אש ; sed quo sensu haec sententia capi potest ? non vident solem, potest referri ad iudices iniustos, non utentur prosperitate, sed melius in hebr refertur ad abortivum ; sed pro אשת signi-

lificationem *talpa* affert Iacob (Zeitschrift f. alttest. W. 18,292) ex talmude, targum et syro; et censat נפל probabiliter esse glossam; unde pro abortivo talpae talpam esse legendum. Demum in v. 10 per modum proverbii dici videtur, conamina eorum ac consilia irrita fieri, antequam quidquam efficiant; v. 10 Hier: antequam spinae vestrae crescant in ramnum, quasi viventes, quasi in ira tempestas rapiet eas; item Sym πρὶν ἢ αὐξηθῶσιν αἱ ἄκανθαι ὑμῶν ὥστε γενέσθαι ῥάμνος, ἔτι ζῶντα ὡς ὀλόξηρον λαῖλαψ ἄρει, adhuc viventem ut siccum turbo tollet. Eodem modo textum LXX et vulg esse capiendum *Ag.* censet: *priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum*, forte per quandam personificationem explica: antequam spinae advertant fieri rhamnum, i.e. priusquam pervenerint ad iustam magnitudinem, *sicut viventes*, media in vita florentes, *sic in ira absorbet eos*. LXX ὑμᾶς, ab imagine transitur ad inimicos imagine significatos; ita in LXX et vulg. — Hebr vertitur: antequam ollae vestrae sentiant paliurum (rhamnum); i.e. antequam ollae sentiant, calefiant igne rhamni; alterum membrum indiget emendatione בסירכם pro כסירכם secundo loco quod legitur: in ira tollet eum, scil unumquemque facinerosorum Deus quasi vehementi turbine abripiet, et quidem ἔτι ζῶντα, ut Sym bene vertit, scil. cum adhuc est in vitae vigore.

Et effectus huius iusti iudicii est v. 11 *laetabitur iustus, cum viderit vindictam*, gaudebit ob Dei iudicium qui fidem in se sperantium non frustratur (*Ag.*), laetus de iusto Dei iudicio, non de impiorum exitio gaudens (*Eus.*). Et tali iudicio in impios devoluto terra sanguine eorum oppleta consideratur (*Calm.*), unde incedens per terram gressus suos hebr, seu pedes *lavabit in sanguine peccatoris*, secundum *Eus.* reliqui interpretes praeter LXX habent τοὺς πόδας, ita quoque Hier pedes suos lavabit, targum plantas suas. Et ex tali iudicio agnoscent homines: v. 12 vere fructus est iusto (Hier), i.e. iustum esse revera affert utilitatem, et: *utique est Deus iudicans (eos) in terra;* in oppositione ad iniustos iudices Deus est iustus iudex et suo tempore conatus illorum sua iustitia destruet omnibusque ius dicet. Allusio fit ad v. 2 (utique secundum necessariam correctionem, quam iam Houbig. suggessit), quare hebr Elohim iudices in terra, Elohim cum plurali iungitur, quamvis Iahve intelligatur, ut *Duhm* bene notat.

Volunt aliqui (cf. *Baethgen*) psalmum dirigi contra magistratus extraneos, gentiles. At v. 4.5 describuntur deviantes, apostatae; immo rite intelliges: qui a matre sua, a synagoga, a plebe Domini eiusque sponsa recesserunt; vel si audacius tibi visum fuerit ita explicare, certe qui a primo ortu deviant, ii intelliguntur, qui a primo ortu rite instituti tamen deviant et apostatae fiunt; in v. 5 ii describuntur, qui repetitis admonitionibus surdos se praebent, aures occludunt, voces doctorum

legis audire nolunt. Unde de iniustis principibus Iudaeis sermo est. Neque talia iis obiectari, mirabitur qui reprehensiones prophetarum in malos principes factas norit (v. g. Is. 1,23; 5,11.21; 56,11. Ier. 5,5. 31; 19,3; 20,3; 23,2. Ez. 9,11; 34,2. Os. 4,1; 5,1; 7,3. Mich. 3,2.11 etc.). Num revera putas tempore regni David talem exstitisse corruptionem iudicum, qualis in psalmo describitur et regem cantico eam delineare, at ius et iudicium a Deo eiusque iudicio exspectare? Sunt quidem qui psalmum referentes vel ad tempus Saul regis, vel ad tempus Absalomis singula bene explicari posse censeant; vel dices carmen in universum dirigi contra omnes iudices iniustos, contra quos David suam accusationem proferat? Si cui haec non sufficiant, poterit provocare ad Commissionem biblicam, qua liceat ratione gravi titulum in dubium vocare.

Ps. 58.

1. *In finem, Ne disperdas. David in tituli inscriptionem, quando misit Saul et custodivit domum eius, ut eum interficeret.*

2. *Eripe me de inimicis meis, Deus meus,* | *et ab insurgentibus in me libera me;* | 3. *Eripe me de operantibus iniquitatem,* | *et de viris sanguinum salva me;* | 4. *quia ecce ceperunt animam meam;* | *irruerunt in me fortes.* | 5. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum,* | *Domine, sine iniquitate cucurri et direxi.* | 6. *Exsurge in occursum meum et vide* | *et tu Domine Deus virtutum, Deus Israel.* | *Intende ad visitandas omnes gentes;* | *non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.*

7. *Convertentur ad vesperam — et: famem patientur ut canes* | *et circuibunt civitatem.* | 8. *Ecce loquentur in ore suo — et: gladius in labiis eorum;* | *quoniam quis audivit?* | 9. *Et tu Domine, deridebis eos;* | *ad nihilum deduces omnes gentes.* | 10. *Fortitudinem meam ad te custodiam,* | *quia Deus susceptor meus es.* | 11. *Deus meus misericordia eius praeveniet me,* | 12. *Deus ostendet mihi super inimicos meos.*

Ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei; | *disperge illos in virtute tua et depone eos, protector meus Domine.* | 13. *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum;* | *et comprehendantur in superbia sua;* | *et de exsecratione et mendacio annuntiabuntur;* | 14. *in consummatione, in ira consummationis, et non erunt;* | *et scient, quia Deus dominabitur Iacob,* | *— et: finium terrae.* | 15. *Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes,* | *et circuibunt civitatem;* | 16. *ipsi dispergentur ad manducandum;* | *si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.*

17. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam,* | *et exsultabo mane misericordiam tuam,* | *quia factus es susceptor meus* | *et refugium meum in die tribulationis meae.* | 18. *Adiutor meus tibi psallam* | *quia Deus susceptor meus es, Deus — meus: misericordia mea.*

Instanter rogatur Deus, ut innocentem (David) a saevis persecutoribus tueatur (v. 2-6). Eorum furorem et blasphemias paucis describit

et opem Dei contra eos denuo implorat (v. 8-12). Praesertim petit, ut propter peccata maledictionis et mendaciorum humilientur ad agnoscendum Dei dominium. Dum illi sceleribus, infestationibus operam dant, ipse David fortitudinem Dei protectoris laudibus celebrat (v. 13-18). Titulo refertur psalmus ad initia persecutionis Saul; vide 1 Reg. 19,11 seq.

Saevi persecutores describuntur iam ipsis nominibus in v. 2.3 : inimici, adversarii, infestantes scil. seu insurgentes, operantes perniciem, viri oppressionum qui a caedibus minime abhorrent. Tales v. 4 ecce[1], insidiantur animae meae, hebr et insidiarum notionem etiam praebent LXX ἐθήρευσαν, quare vulg *ceperunt* potius de conatu capiendi intelligi debet; *irruerunt*, irruunt, vel melius contendunt, dimicant contra me *fortes*; et eiusmodi infestationes fiunt sine ulla mea culpa : *neque iniquitas mea*, *neque peccatum meum*, *Domine* scil. adest seu reperitur; bene sensum exhibet Hier : congregantur adversum me fortissimi absque iniquitate mea et absque peccato meo; item Sym ἐμοῦ τοῦ ἀναιτίου καὶ ἀναμαρτήτου, cum ego non darem causam et essem sine peccato; id quod in LXX et vulg repetito asseritur : *sine iniquitate cucurri*, vitae cursum eousque peregi *et direxi* recte vitam institui. Verum hebr : absente culpa accurrunt et sese praeparant, Hier non egi inique, et illi currunt et praeparantur, Sym μὴ οὔσης ἁμαρτίας ἐπιτρέχουσί μοι, et similiter sensum reddunt syr, targum.

Cum itaque innocens impetui hostili pateat, exclamat : *exsurge in occursum meum* hebr evigila in occursum meum; cum Deus opem ferre differat, silere, quiescere, dormire quandoque dicitur (27,1; 33,22; 43,23. Is. 42,14); quare si opem fert, exsurgit, evigilat : *et vide*, qualem stragem edant adversarii; imploratur v. 6 *Domine Deus virtutum*, exercituum, *Deus Israel*, *intende* evigila *ad visitandas omnes gentes*, sc. ut puniantur et coerceantur. Hic iam clare patet, non agi de uno aliquo qui patiatur. Titulis magnificis : Deus exercituum, Deus, protector, ultor, bonorum largitor pro Israel, admonetur Deus ut animadvertat in gentes, ergo in extraneos; *ne miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*, qui perfide malum faciunt.

Ex v. 7 describuntur latrunculi qui singulis diebus vespere (hebr לָעֶרֶב) urbem infestant et ex v. 6.9 colligendum est eos esse ex alienigenis (cf. 4 Reg 24,2) *convertentur ad vesperam*, revertunt quavis vespera et ululant ut canes. Hier latrant ut canes, ita quoque Aq Sym Theod syr targum; solum LXX vulg *famem patientur*, et circumeunt

1. Pro הִנֵּה ecce Perles legi vult חִנָּם frustra, sine causa, ob parallelismum in altero membro : neque iniquitas mea.

civitatem, discurrunt per urbem; clamores tollunt, blasphemant v. 8 *ecce, loquentur in ore suo*, vociferantur, maledicunt, *et gladius in labiis eorum*, caedes comminantur; blasphemias proferunt; et haec peragunt magna insolentia: *quoniam quis audivit*, quis audit? impune se cuncta perpetrare posse putant ac si nemo sit, neque homo, neque Deus, qui audiat et vindicet. Quare v. 9 *et tu, Domine, deridebis eos*, subsannabis omnes gentes (hebr, Hier); firmam spem psalmista profitetur fore, ut Deus impudentiam illam coerceat; cf. 2, 4. Quod legitur v. 10 LXX, vulg, targum, Hier: *fortitudinem meam ad te custodiam*, explicari solet: fortitudo mea consistit in auxilio tuo, eam tibi acceptam refero (*Heracl. Theod. Ag. Gen.*); verum si respicitur v. 17 et quod praebet syr v. 10 Deus, te laudabo, v. 10 hebr poterit emendari: fortitudo mea, de te cantabo, *quia Deus susceptor meus es*, hebr quia Deus arx mea; v. 11 Dei *misericordia praeveniet me*, benignitas eius seu gratia mihi obviam venit opem ferens, *ostendet mihi super inimicos meos* ראה ב hiph faciet me videre gaudium de insidiatoribus meis, ostendet mihi ultionem quam de iis capiet (*Ag. Gen*).

Talem pro illa latrunculorum colluvie poenam expetit qua populus continuo ob oculos habeat Dei protectoris sui opem et ultionem; ita v. 12 *ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei*, hebr ne obliviscatur populus meus; si enim morte abrepti disparent, cum iis videtur etiam memoria et documentum ultionis Dei disparuisse; aliter si vagi et miseri vitam trahunt: *disperge illos in virtute tua*, fac eos vagari per exercitum tuum, *et depone eos*, fac eos descendere, de statu et conditione sua, humilia eos, et in v. 13 mentio fit eorum superbiae; *protector meus, Deus*, hebr scutum nostrum Adonai; iterum apparet, non unum aliquem loqui, sed coetum: nam nostrum scutum compellatur Deus, ita targum, Sym ὑπερασπιστὰ ἡμῶν κύριε. Sequitur in v. 13 *delictum oris eorum ἁμαρτίαν, λόγον χειλέων*, quem accusativum absolute praepositum *Eus. Heracl.* explicant adiicientes διὰ ἁμαρτίαν propter, et ita explica: *propter delictum oris eorum, propter sermonem labiorum ipsorum*, Sym τῇ ἁμαρτίᾳ, τῷ λόγῳ *comprehendantur in superbia sua*; de delicto oris, labiorum cf. v. 8; pro magniloquentia et superbia iis erit humiliatio: *et de exsecratione et de mendacio annuntiabuntur in consummatione*, facilius intelligi potest textus graecus διαγγελήσονται συντέλειαι consummationes ob maledictum et mendacium annuntiabuntur; unde explica vulg: propter maledictionem et mendacium certiores fient (accipient nuntium) se fore in consummatione, *in ira consummationis*, in gravi poena interitus, *et non erunt*, tandem peribunt. Hebr verte: et propter maledictum et mendacium quod loquuntur, consume in ira, consume ut non iam sint, Sym συντέλεσον ἐν θυμῷ. ἀνάλωσον, ἵνα

μὴ ὦσιν. In ipsa hac poena *scient*, experientur, *quia Dominus dominabitur Iacob et finium terrae*, qui scil. est protector populi sui et ultionem capit puniens alienigenas, utpote dominator usque ad fines terrae. Ne apparens quaedam contradictio adsint cum v. 12 ne occidas eos, *Duhm* pro ואיבמו scribit אובמו consume scelus eorum.

Infestationem illorum diutius durare indicatur v. 15 ipsa repetitione ; discurrentes per urbem *disperguntur*, *ad manducandum*, vagantur; *si vero non fuerint saturati, et murmurabunt* ; si non repererint tantum praedae, quantum appetunt, tunc fremunt. Ita agunt sordidi illi. Psalmista vero seu coetus piorum spe in Deum confortati Deum celebrant adiutorem v. 17 *ego autem cantabo fortitudinem tuam et exsultabo mane*, hebr quovis mane (לבקר), ut illi quovis vespere revertuntur et fremunt — *misericordiam tuam*, *quia factus es* arx mea et refugium meum *in die tribulationis meae* ; mediis in istis incursionibus nocturnis populus experitur auxilium et protectionem a Deo, unde quovis mane persolvunt gratiarum actionem v. 18 *adiutor meus*, fortitudo mea, *tibi psallam*, quia Deus arx mea, Deus meus benignus (Deus gratiae meae).

Facile patet psalmum hunc ex una illa occasione particulari tempore posteriore ad occasionem magis generalem infestationis populi Dei per extraneos esse conformatum ; de qua conformatione vide v. 6.9 (hebr) ; v. 12 etc.

Ergo iure referas hunc psalmum ad id quod n. IV (Comiss. bibl.) affirmatur, alios esse psalmos qui ut melius aptarentur circumstantiis historicis vel sollemnitatibus populi iudaici leviter fuerint retractati vel modificati subtractione vel additione unius alteriusque versiculi salva tamen totius textus sacri inspiratione.

Ps. 59.

1. *In finem. Pro his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi David in doctrinam.*
2. *Cum succendit Mesopotamiam Syriae et Sobal et convertit Ioab et percussit Idumaeam in valle Salinarum duodecim millia.*

3. *Deus repulisti nos—et : destruxisti — nos;* | *iratus es — et : misertus es nobis.* | 4. *Commovisti terram et conturbasti eam;* | *sana contritiones eius, quia commota est.* | 5. *Ostendisti populo tuo dura;* | *potasti nos vino compunctionis;* | 6. *Dedisti metuentibus te significationem,* | *ut fugiant a facie arcus;* | 7. *ut liberentur dilecti tui,* | *salvum fac dextera tua et exaudi me.*

8. *Deus locutus est in sancto suo :* | *Laetabor —et : partibor Sichimam;* | *et con-*

vallem tabernaculorum metibor; | 9. *Meus est Galaad et meus est Manasses;* | *et Ephraim fortitudo capitis mei;* | *Iuda rex meus;* | 10. *Moab olla spei meae;* | *in Idumaeam extendam calceamentum meum;* | *mihi alienigenae subditi sunt.*

11. *Quis deducet me in civitatem munitam?* | *quis deducet me usque in Idumaeam?* | 12. *Nonne tu Deus qui repulisti nos,* | *et non egredieris Deus in virtutibus nostris?* | 13. *Da nobis auxilium de tribulatione,* | *quia vana salus hominis;* | 14. *in Deo faciemus virtutem;* | *et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

Lamentatur David nomine suo et populi de magna clade accepta, in qua tamen pii protectionem divinam experti sunt (v. 3-7). Ut iterum opem divinam expetant, excitantur recordatione oraculi antiqui, quo praeter regiones cis-et transiordanicas etiam Edom, Moab, Philisthaeam subactum iri promittitur (v. 8-10). Unde spem concipiunt efflagitandi auxilium divinum, quamvis populus ad tempus repelli a Deo videatur (v. 11-14).

Inscriptione assignantur tempora bellorum quae narrantur 2 Reg. 8.10 et et 1 Par. 18.19. Illis temporibus, antequam Edomitae subigerentur, irruptione facta populo Dei magnam intulerunt stragem, uti ex verbis psalmi v. 3 etc. elucet. De ista strage in libris historicis non fit mentio explicita.

Clade magna se a Deo esse proiectos lamentantur : *repulisti nos*, Hier proiecisti nos, *destruxisti nos* ; *iratus es* — post humilem agnitionem subiungunt petitionem : restitues nos, seu recreabis nos (hebr) ; quae fiducia etiam in LXX et vulg exprimitur. Vehementia cladis exhibetur imagine terrae motus v. 4 concussisti (tremere fecisti) terram, disrupisti eam (hebr, Hier) ; *sana contritiones eius*, confractiones eius, nam vacillat. In terra discissa, fracta, vacillante adumbratur conditio misera regni et exercitus, perturbatio, imminutio virium, damna illata, trepidatio, discrimen maioris ruinae imminentis. En, quomodo in tuum populum egisti v. 5 videre fecisti *ostendisti populo tuo dura*, multum afflixisti nos; potasti nos vino titubationis, vino soporis (cf. Is. 51,17.22), vino consopiente (Hier) ; Aq οἶνον κατανύξεως vinum torporis, Sym οἶνον σάλου titubationis ; immisisti in nos aerumnas et calamitatem quibus mentes conturbantur, quibus prae angustia quasi vertigine correpti in modum ebriorum agitamur et fluctuamus ; cf. Ier. 25,15. Ez. 23,33. Nah. 3,11. Attamen in ipsa clade infligenda Deus pios suos cultores non plane dereliquit v. 6 *dedisti timentibus te significationem*, σημείωσιν LXX, Aq σύσσημον, Sym σημεῖον signum (Hier), hebr signum, vexillum, *ut fugiant a facie arcus*, ut sese tuto reciperent et in tuto collocarent a sagittariis ; cf. Ier. 4,6 levate signum, fugite. Hac significatione divinae tutelae aliquid consolationis praebetur ; inde autem ansam capiunt ulterius petendi integram instaurationem v. 7 *ut libe-*

rentur dilecti tui, dilectum vocat Deus ipsum populum (Ier. 11,15), ita vocatus est Benjamin Deut. 33,12); Deo quasi in memoriam revocant quanto amore alias prosecutus sit populum : en, etiam nunc est dilectus tuus ; ergo *salvum fac dextera tua et exaudi me!*

Quam petitionem quo magis commendent, antiquum oraculum allegant 8. *Deus locutus est* in sanctuario suo (hebr, Hier) : *laetabor et partibor Sichimam*, servatur hic in vulg forma antiquata partibor, metibor, *et convallem tabernaculorum metibor* et vallem Socoth dimetiar Hier). Iacob reversus ex Haran per aliquod tempus quievit in regione Socoth (Sukkoth) in orientali plaga Iordanis et inde transivit in Salem urbem Sichimorum (Gen. 33,17.18); designatur itaque in Sichem regio a Iordane occidentalis, in Socoth regio orientalis; alluditur ad tempus, quo Iosue terram singulis tribubus divisit Ios. 14,2 : 18,5). Deus itaque populo suo regiones illas attribuit; v. 9. *meus est Galaad et meus est Manasses*, regio Galaad, Manasse, regio huic tribui attributa, in utraque ripa Iordanis ; *Ephraim fortitudo capitis mei*, tribus Ephraim protectio, galea capitis mei ; potenti hac tribu possessio terrae et hereditatis Domini in tuto collocatur. *Iuda rex meus*, Iuda sceptrum meum (cf. Gen. 49,10) ; de Iuda enim elegit principes (1 Par. 28,4). Etiam extranei erunt subiecti : v. 10 *Moab olla* lavacri mei (Hier), aquaemanalis meus, Moab redigetur in servitutem ; munera servi praestare debebit; LXX λέβης τῆς ἐλπίδος μου. *olla spei meae*, quam versionem iam explicat *Ag.* רחץ enim hebr apud Chaldaeos significat בטח sperare (sim. *Gen.*) ; interpres graecus itaque vocem ex alia dialecto hac notione donavit ; Aq λέβης λουτροῦ μου, syr pelvis pedum meorum (*Theod* : ὁ δὲ σύρος · κάδος τῆς πλύσεως μου) ; sed Sym quoque vocem hebr ex notione aramaica accepit : λέβης ἀμεριμνίας μου securitatis meae seu confidentiae : *in Idumaeam extendam calceamentum meum* super Edom proiiciam calceum meum (hebr), ad contemptum exprimendum, ut sit Edom servus qui portet calceos domini cf. Matth. 3,11) ? vel ad occupationem Edom significandam ? *mihi alienigenae subditi sunt*, Philisthaei, qui apud LXX ἀλλόφυλοι appellari solent ; hebr, uti textus traditur ; de me Philisthaea ede clamorem ; vel cum ironia : iubila ; syr super Philisthaeam vociferabor, targum de Philisthaea iubila, coetus Israel. Tempore David eiusque bellis oraculum hoc impletum esse, ex iis quae 2 Reg. 8, 1-14 enarrantur sine ullo negotio apparet.

At interea David vehementer dolet, praesentem conditionem longe distare ab hoc oraculo ; v. 11 *quis deducet me in civitatem munitam*, cum sequatur in altero membro *in Idumaeam*, haec civitas erit Petra, nisi malueris cum allusione ad ביצרי (munitam) agnoscere בצרה, Bosra. Cladem in bello cum Idumaeis esse inflictam, ex hoc gemitu satis

clare evincitur; et in sequentibus confirmatur : v. 12 *nonne tu Deus* ? utique Deus isque solus potest nos ducere ! at : *repulisti nos* (v. 2) et non egrederis cum nostris exercitibus; sumus derelicti, Deus iam non est pro nobis Deus sabaoth ! At perpetuo suos non potest derelinquere; unde merito rogant v. 13 *da nobis auxilium* contra hostem; *quia vana salus hominis* ; nostra subsidia non valent efficere quidquam. Verum *in Deo*, cum Deo *faciemus virtutem*, facimus forte, *et ipse ad nihilum deducet*, conculcabit hebr, Hier, *tribulantes nos*, hostes nostros. Ita clade accepta tamen ad spem sese erigunt, quae firma spes iam elucet in petitione illa v. 3.

Oraculum illud iterum legitur Ps. 107,8-14.

Ps. 60.

1. *In finem. In hymnis David.*

2. *Exaudi Deus deprecationem meam;* | *intende orationi meae.* | 3. *A finibus terrae ad te clamavi,* | *dum anxiaretur cor meum;* | *in petra exaltasti me, deduxisti me,* | 4. *quia factus es spes mea,* | *turris fortitudinis a facie inimici.* | 5. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula,* | *protegar in velamento alarum tuarum.*

6. *Quoniam tu Deus—meus : exaudisti orationem meam,* | *dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.* | 7. *Dies super dies regis adiicies;* | *annos eius usque in diem generationis et generationis.* | 8. *Permanet in aeternum in conspectu Dei;* | *misericordiam et veritatem—eius : quis requiret ?* | 9. *Sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi :* | *ut reddam vota me de die in diem.*

Populus in exsilio positus et afflictus cum spe et desiderio petit, ut reducatur ad sanctuarium Dei (v. 2-5); hereditate restituta animo iam praesagit regnum messianum, quare regi Messiae fausta adprecatur (v. 6-9).

Ardens efflagitatio et clamor ad Deum fit *a finibus* terrae מִקְצֵה : quae dictio fere semper dicitur a terra valde longinqua, ab extremo quasi orbe terrarum cf. Is. 5,26; 42,10 laus eius ab extremis terrae; 43,6 affer filias meas de extremis terrae; 48,20; 49,6 ut sis salus mea usque ad extremum terrae; 62,11; Ier. 25,31. Ab usu adeo constanti non videtur recedendum. Preces itaque funduntur non ab extrema Palaestina, sed a longinqua regione, ab illa quae Is. 5,26 etc designatur, a terra exsilii. Ad quam acceptionem omnino consonum est quod habetur v. 6-9. Sicut enim prophetae annuntiarunt exsilium, ita pariter vaticinati sunt reditum, cui reditui iungunt instaurationem regni gloriosam, regnum messianum cf. Os. 2,16; 3,5; Am. 9,8-15. Mich. 2,12.13; 4,1-8. Is. 49 seq. Ier. 3,14-18; 23,3-8; 30,8-11, 17-19; 31,4-14. Ez. 34,13 seq. 36,6 etc.). Hisce notionibus imbutum se

exhibet psalmista, qui in persona populi in exsilio constituti flagitat, ut haec instauratio quantocius concedatur; petit itaque sicut Daniel petivit (Dan. 9,2.17-20 quando intellexit numerum annorum, ut complerentur desolationis Ierusalem anni), et ut oravit Zacharias : Domine usque quo tu non misereberis Sion; iste iam septuagesimus annus est (Zach. 1,12).

Ita psalmista noster v. 3 *a finibus terrae ad te clamo*, Hier de novissimo terrae, cum triste fuerit cor meum, hebr potius in languore cordis mei; desiderio enim tabescit cor eius, cuius affectus ratio redditur in petitione : in petram altiorem prae me deduc me, i.e. in locum firmum, tutum, quem ego meis viribus neutiquam attingere possum, tu me adduc; unde explica vulg *in petra exalta me, deduc me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici*; petitio habet firmum fundamentum : quia tu es refugium mihi, turris munitissima (Hier) ; quare me non relinquere potes in potestate inimici. Et qualis sit petra illa, seu locus tutus, cuius desiderio languescit cor eius (v. 3 עטף), declaratur forma cohortativa (hebr) v. 5 *inhabitabo*, inhabitare mihi liceat, utinam inhabitem *in tabernaculo tuo in saecula*, in loco, in quo Deus singulari modo habitat, in terra scil. quae Domini est propria (cf. 36,29 ; 38,13) ; non unice intelligi posse locum sanctuarii seu templum, patet ex membro parallelo : *protegar*, refugium capiam *in velamento alarum tuorum*, vide 16,8; 35,8. Deut. 32,11.

Etiam accuratius proponitur petitio affirmatione v. 6 *quoniam tu, Deus meus exaudisti* exaudis vota mea, et quae sint eius desideria, subditur prius pro toto populo Dei : *das hereditatem*, possessionem eorum qui timent nomen tuum ; praebes possessionem cultorum tuorum. Haec possessio est terra patribus olim promissa, ex qua foedere violato populus est eiectus in exsilium, ad quam autem tamquam ad initium restaurationis et praeparationis regni messiani redituri sunt (cf. Is. 48,20. Ier. 3,18; 23,8; 32,43. Ez. 36,24). Terminus autem restaurationis est regnum messianum et ipse Messias rex, cui corona, in ultimo rege Iuda abiecta, iterum danda est (Ez. 21,25-27). Quare secundo subduntur de rege Messia enuntiationes ex oraculis prophetarum collectae v. 7 rex erit in aeternum : anni eius (erunt) sicut generatio et generatio, sedet, *permanet* in aeternum in conspectu Dei (cf. 2 Reg. 7,14. Is. 9,7). Gratia et veritas seu fidelitas erunt eius comites, hebr v. 8 gratiam et veritatem (fidelitatem) tribue, ut eum custodiant; hebr מן LXX vulg τίς : *misericordiam et veritatem eius quis requiret*, quis requirere et scrutari possit (*Gen.*), nunquam non illi adsunt, ut ea suis tribuat (*Ag.*). Alii voculam illam מן (imperat. apocop?) plane omittunt, Aq ἔλεος καὶ ἀλήθεια διατηρήσουσιν αὐτόν, Sym περιφράξει αὐτόν,

quinta, sexta ἔλεος καὶ ἀλήθεια ἀπὸ σοῦ φυλάξουσιν αὐτόν, Hier misericordia et veritas servabunt eum ; erit rex, uti dicitur Prov. 20,28.

Tertio dicitur, quid populus huic regi in perpetuum largiturus sit : v. 9 *sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi*, in perpetuum laudes tuas celebrabo, reddens vota mea per singulos dies (Hier).

Hunc psalmum esse orationem exsulum in Babylonia veteres iam bene concluserunt ex v. 3 a finibus terrae ad te clamo ; ita Theod. et Theod. heracl. Athanasius (*M.* 27,273), vetus ille paraphrastes apud Corderium, Didymus (catena Cord.), Beda venerabilis (*M.* 93,798), Euthymius (*M.* 128,620). Spem exprimi reditus alii censent, pro ipso reditu iam gratias persolvi placuit aliis ; in rege pauci vident Zorobabel, tamquam typum Christi (Didymus, Euthymius), alii Christum.

Coniectura est proposita illud בן v. 8 ex margine in textum irrepsisse ; esse scil. abbreviationem pro בוא, ut attentio dirigatur ad *nun* retentum in forma יִנְצְרֵהוּ.

Ps. 61.

1. *In finem. Pro Idithun. Psalmus David.*

2. *Nonne Deo subiecta erit anima mea ? | ab ipso enim salutare meum.* | 3. *Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus,* | *susceptor meus, non movebor amplius.* | 4. *Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos,* | *tamquam parieti inclinato et maceriae depulsae?* | 5. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti,* | *ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.*

6. *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea* | *quoniam ab ipso patientia mea ;* | 7. *quia ipse Deus meus et salvator meus,* | *adiutor meus, non emigrabo.* | 8. *In Deo salutare meum et gloria mea ;* | *Deus auxilii mei, — et : spes mea in Deo — est :* | 9. *Sperate in eo omnis congregatio populi,* | *effundite coram illo corda vestra ; Deus adiutor noster — in aeternum :*

10. *Verumtamen vani filii hominum,* | *mendaces filii hominum in stateris ;* | *ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* | 11. *Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere ;* | *divitiae si affluant, nolite cor apponere.* | 12. *Semel locutus est Deus ;* | *duo haec audivi : quia potestas Dei est* | 13. *et tibi Domine misericordia,* | *quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.*

David se tradit plena spe et fiducia in manus Dei protectoris, dum inimici in eum irruunt eum prostraturi (v. 2-5). Verum assurgit ad maiorem in Deo fiduciam, ad quam alios quoque exhortatur (v. 6-9). Ab hominibus, eorum machinationibus ac divitiis ne quis sibi imponi sinat ; nam Deo est voluntas et potestas unicuivis retribuendi iuxta opera eius (v. 10-13).

Quod Ieremias dixit : bonum est praestolari cum silentio salutare Dei (Lam. 3,26), id psaltes quoque profitetur : tantum ad Deum silentium (est) anima mea; me silens et patiens, plena resignatione, Deo committo; *subiecta erit anima mea Deo*; eius voluntati ac dispositioni submissa; et ratio est : *ab ipso enim salutare meum* ; ex eo solo mihi salus obtingit. Idque pluribus explicatur : tantum is petra mea et salus mea, munitio mea (arx mea): non vacillabo multum (v. 3 hebr); aliquam trepidationem confitetur, quae scil. pro natura et infirmitate humana sua sponte in periculis exoritur neque continuo voluntatis imperio cohiberi potest. Quae animi commotio non obstante firma fiducia in impetu hostili incutitur v. 4 *quousque irruitis in hominem*, quamdiu clamorem tollitis? alii vertunt; Aq Hier insidiamini; quae sequuntur, uti in vulg secundum LXX efferuntur, nequeunt intelligi; at parva mutatione aptus sensus consentaneus hebr haberi potest : vultis interficere universi vos (eum qui est) sicut paries inclinatus et maceria corruens; ergo eum qui ruinae iam proximus est, plane propellere in perniciem et perdere volunt. Qui sensus aptus est; quare non opus est coniectura *Duhm* scribentis צרה pro רצה : vociferamini sicut cadente pariete et maceria depulsa, quae sententia ipsa satis contorta et obscura est. Iste conatus eum perdendi ulterius describitur in v. 5 tantum de sublimitate eius deliberant depellere hebr, *Gen.*; simili notione explica vulg *verumtamen pretium meum*, τὴν τιμήν μου dignitatem meam, honorem meum, *cogitaverunt repellere*, placuerunt sibi in mendacio (hebr, Hier), amant mendacium, *ore suo benedicunt et in corde suo maledicunt*, hypocritae sunt. LXX ἔδραμον ἐν διψει, unde vulg *cucurri in siti*, quod non habet sensum; iam *Eus.* errorem graphicum suspicatus est in LXX pro ἐν ψεύδει : cucurrerunt in mendacio; alter error est quod ירצו explicarunt a רוץ currere.

Inimicorum insidiis opponit suam ad Deum fiduciam v. 6 *verumtamen Deo subiecta esto anima mea*, Deo retice, anima mea (Hier), ad Deum tacitus quiesce; *quoniam ab ipso patientia mea*, exspectatio mea, praestolatio mea (Hier), spes mea ab ipso venit. Idque declaratur v. 7 tantum ipse est petra mea et salus mea, arx mea; non vacillabo (hebr); uti assolet pro abstractis ponuntur concreta in LXX : *Deus meus, salvator meus, adiutor meus, non emigrabo*, Aq Sym οὐ σφαλήσομαι, non damnum patiar, Hier non timebo. Quae firma fiducia in v. 8 pulcherrime asseritur : *in Deo salutare meum*, salus mea firmiter consistit in Deo; *et gloria mea* item; petra roboris mei, refugium meum in Deo (hebr, firmissima tutela mea et protectio in Deo mihi data est. Ad eandem fiduciam capiendam adhortatur psalmista totum coetum populi Dei v. 9 *sperate in eo* omni tempore (hebr, Aq Sym Hebr syr targum),

populo (syr), populi (Hier), populo domus Israel (targum); sed quia populo tam solitarie poni mirum est, praeferri debet lectio LXX, vulg *omnis congregatio populi*, *effundite coram illo corda vestra*, fuse ei explicate omnia vota, desideria, aerumnas, sollicitudines, curas mentium vestrarum; nam *Deus* est refugium nobis (hebr), *adiutor noster in aeternum*, vulg hoc loco εἰς ἀιῶνα (apud Hier semper) videtur transtulisse in aeternum.

Haec in Deum fiducia commendatur oppositione infirmitatis ac fragilitatis auxilii humani; v. 10 tantum halitus (sunt) filii Adam, mendacium filii viri (nobiles?); *verumtamen vani*, *mendaces filii hominum*; et si in stateris ponuntur, reperiuntur omnes simul halitu leviores; is est sensus ex hebr, uti *Ag*. *Gen*. et recentiores concipiunt; vertit *Gen*.: in stateras ut ascendant, ipsi prae vanitate pariter, i.e. halitu sunt ad unum omnes leviores. In LXX, vulg mendaces exhibentur in commercio: *in stateris*, *ut decipiant*, LXX τοῦ ἀπατῆσαι· αὐτοὶ ἐκ ματαιότητος ἐπὶ τὸ αὐτό ipsi sunt ex vanitate pariter; *ipsi de vanitate in idipsum*, omnes pariter sunt vani. Ex tanta hominum infirmitate infertur conclusio v. 11 *nolite sperare in iniquitate*, in violentia, et in rapina ne vanam collocetis spem: *divitiae si affluant*, *nolite cor apponere*, nolite id magnum putare, nolite magni aestimare; nam cor apponere alicui rei est illam magnam putare (*Ag*.).

Quid agitur, si impii violentia, oppressione, rapina in alios saeviunt et opes sibi accumulant? v. 12 *semel locutus est Deus*, *duo haec audivi: quia potestas Dei est*, *et tibi*, *Domine*, *misericordia*, gratia; *quia tu reddes unicuique iuxta opera sua*, secundum opus suum. Ergo si impii in alios iniurias committunt et prosperitate florent, memores sint pii et oppressi divinae rerum gubernationis, in qua elucet Dei potestas, benignitas, secundum quae duo attributa cuivis rependet secundum opus eius; oppressoribus retribuet secundum potentiam suam, oppressis secundum gratiam suam. Norma retributionis huius omnia demum aliquando iuste ac recte disponentur. Alii vertunt: semel locutus est Deus, bis audivi — ita ut semel, bis rythmice dividantur, sed ad utrumque membrum pariter pertineant; sicut v. g. in v. 11 violentia et rapina.

Ps. 62.

1. *Psalmus David. Cum esset in deserto Idumaeae.*

2. *Deus*, *Deus meus*, *ad te de luce vigilo*, | *sitivit in te anima mea*, | *quam multipliciter tibi caro mea*, | 3. *in terra: deserta et invia*, *et inaquosa*; | *sic in sancto apparui tibi*, | *ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam*. | 4. *Quoniam melior est mise-*

ricordia tua super vitas, | *labia mea laudabunt te.* | 5. *Sic benedicam te in vita mea,* | *— et : in nomine tuo levabo manus meas.* | 6. *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea,* | *et labiis exsultationis laudabit os meum.*

7. *Si memor fui tui super stratum meum,* | *in matutinis meditabor in te;* | 8. *quia fuisti adiutor meus,* | *et in velamento alarum tuarum exsultabo.* | 9. *Adhaesit anima mea post te;* | *me suscepit dextera tua.* | 10. *Ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam;* | *introibunt in inferiora terrae;* | 11. *tradentur in manus gladii,* | *partes vulpium erunt.* | 12. *Rex vero laetabitur in Deo;* | *laudabuntur omnes qui iurant in eo,* | *quia obstructum est os loquentium iniqua.*

Maximo desiderio, anima et corpore, David fertur in Deum, quem antea in sanctuario coluit; eius gratiam se perpetuo celebraturum profitetur, qua anima eius plene satiatur (v. 2-6). Per noctem quoque de Deo cogitare, in eius protectione exsultare, Deum toto cordis affectu complecti, haec ei placent; Deus autem perdet inimicos inflicta clade, de qua rex et cultores Dei Deum laudabunt (v. 7-12). — Hebr in deserto Iudaeae.

In hebr proprie habetur : Deus Deus meus es tu, te quaero; sed cum nomen שחר auroram dicit, vertunt : *ad te de luce vigilo*, πρὸς σὲ ὀρθρίζω LXX, de luce consurgam ad te, sitivit te anima mea, desideravit te caro mea; ita Hier; explica verba tempore praesenti; sitit et ut Sym habet ἐπιποθεῖ σε ἡ σάρξ μου concupiscit te caro mea; illud *quam multipliciter*, ποσαπλῶς explicatur ex כמה, sed hebr habetur verbum כמה desiderio ferri, confici; cupere. Verbum, uti Sym Hier, etiam syr rite expressit : exspectat te caro mea, sicut targum quoque. Secundum lectionem *in terra deserta*, psalmista consisteret in regione invia; at syr praebet : sicut terra sitibunda, etiam Sym praebet ὡς ἐν γῇ διψάδι, quare pro hebr ב lege כ et habes aptam comparationem : sicut terra arida et languens sine aqua, scil. aquam expetit et sitit, ita anima mea sitit Deum; cf. 41,2; comparationem diserte addit syr : sicut terra sitibunda expetens aquam. Textum latinum in eundem sensum explicat *Ag.* : sicut qui versatur in terra arente, sic ego siti et desiderio tui teneor; vel anima mea sitit, sicut terra arens. In 142,6 videtur esse allusio quaedam : anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Eodem desiderio, v. 3 *sic in sancto apparui tibi*, hebr vidi te; magno desiderio et amore Dei frequentavit sanctuarium Dei, *ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam*, ut scil. intimo sensu animi perciperet, gustaret Deum potentem et sublimem, ut praeclaram sibi efformaret notionem (pia meditatione) de Dei potentia et gloria. Et quantopere in Deo gavisus sit, declarat v. 4 *quoniam melior est misericordia tua super vitas*, gratiam Dei maius aestimat bonum quam vitam. Quare : *labia mea laudabunt te*; et in hac persuasione de maximo bono, quod in gratia Dei

nobis offertur per totam vitam Deum laude et benedictione prosequi vult, v. 5 *sic benedicam te in vita mea et in nomine tuo*, te invocans ac laudans, *levabo manus meas*, preces fundam. Tali autem laude et cultu Dei anima gustu et consolatione satiatur v. 6 *sicut adipe et pinguedine*, pinguissimo quodam pastu, cibo delicatissimo, donis gratiae Dei, *repletur anima mea*, satiatur anima mea, *et labiis exsultationis*, labiis laudantibus canet os meum (Hier) ; ex abundantia cordis os loquitur.

Animus eius ita impletus est laude Dei, ut etiam noctu memoria eius occupetur v. 6 *si memor fui*, illud si non efferunt Sym syr Hier : recordans tui in cubili meo per singulas vigilias meditabor tibi. Alii corrigunt אף pro אם, etiam super stratum meum memor sum tui, *in matutinis*, hebr in vigiliis, de te meditor, v. 8 *quia fuisti adiutor meus*, auxilium mihi ; *et in velamento*, in umbra *alarum tuarum exsulto* ; cf. 16,8 ; 35,8 ; 56,2 ; 60,5. Continua haec memoria Dei oritur ex intimo amore quo in Deum fertur v. 9 *adhaesit anima mea post te*, adhaeret anima mea tibi, me fulcit dextera tua. Quare tutus sum ab insidiis inimicorum v. 10 *ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam*. Hier interficere quaerunt animam meam, vitae meae insidiantur ; at frustra ; εἰς μάτην, hebr ad perniciem ; *introibunt in inferiora terrae*, in orcum, ad inferos ; morte praematura luent insidias mihi structas ; *tradentur in manus gladii*, in bello gladio peribunt, *pars vulpium erunt* ; praeda vulpium erunt, corpora eorum insepulta iacebunt in escam ferarum. Adversariis prostratis et rex et populus, cultor Dei, laetabuntur v. 12 *Rex vero laetabitur in Deo*, et omnis qui iurat per eum gloriabitur, quia obstruitur os loquentium mendacium. Iurare per Deum unus est actus cultus et adorationis Dei ; designantur itaque qui cultores Dei hanc suam fidem et fidelitatem revera profitentur, causam Dei tuentur. Os loquentium mendacium probabiliter denotat idololatras in oppositione ad eos qui iurant per Deum, dum illi iurant per mendacium, gloriantur in mendacio, qua voce quandoque idololatria denotatur (cf. Is. 44,20. Ier. 10,14.). Unde ex v. 10 sq. simul manifestum fit agi etiam de hostibus populi Dei et psalmum dici ex persona quoque piorum. Illud *laudabuntur* explicant *Gen.* gloriabuntur, *Ag.* quivis gloriabitur, sibi gratulabitur.

Paraphrastes graecus apud Corderium et Beda ven. referunt psalmum ad captivos in Babylonia et regem intelligunt Zorobabel (quem iidem vident 59,9 et 60,7) ; « hanc nos sententiam sequimur » dicit Calmet in argumento psalmi. Verum non apparet ratio relinquendi titulum. David in fuga coram Saul erat in deserto Iudaeae. Si praetuleris lectionem graecam : in deserto Idumaeae, poteris cogitare de itinere David in Moab (1 Reg. 22,3).

PS. 63.

1. *In finem. Psalmus David.*

2. *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor; | a timore inimici eripe animam meam. | 3. Protexisti me a conventu malignantium, | a multitudine operantium iniquitatem; | 4. quia exacuerunt ut gladium linguas suas, | intenderunt arcum rem amaram, | 5. ut sagittent in occultis immaculatum; | 6. subito sagittabunt eum et non timebunt; | firmaverunt sibi sermonem nequam; | narraverunt ut absconderent laqueos; | dixerunt : quis videbit eos?*

7. *Scrutati sunt iniquitates; | defecerunt scrutantes scrutinio. | Accedet homo ad cor altum ; | 8. et exaltabitur Deus. | Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, | 9. et infirmatae sunt contra eos linguae eorum ; | conturbati sunt omnes qui videbant eos; | 10. et timuit omnis homo, | et annuntiaverunt opera Dei, | et facta eius intellexerunt. | 11. Laetabitur iustus in Domino et sperabit in eo, | et laudabuntur omnes recti corde.*

Petit David protectionem contra multos adversarios, qui linguas suas acuunt, sagittas in iustum occulte iaciunt, laqueos ponunt obfirmata malitia (v. 2-6). Verum dum putant consilia sua optime excogitata, Deus eorum conamina irrita reddit, ita ut omnes obstupescant et iusti in Deo iubilent gloriantes (v. 7-11).

In v. 2 hebr audi Deus vocem meam in sollicitudine mea, quam in mea conditione inquieta et sollicita ad te dirigo; *a timore inimici*, a timore quem inimicus mihi incutit, a terribili periculo quod ab inimico mihi imminet, *eripe animam meam*, serva vitam meam (hebr). In v. 3 continuatur petitio; quare *protexisti* lege cum hebr vel proteges, vel protege, vel (cum Hier) absconde me *a conventu malignantium*, a tumultu *operantium iniquitatem* (hebr, Hier). Iam v. 4-7 describitur haec iniquitas. Et primo quidem v. 4 linguis suis, tamquam gladiis acutis utuntur ad infligenda vulnera; cf. 54,22; acuerunt linguas ad calumnias proferendas, ad dicteria et irrisiones, *intenderunt arcum*, tetenderunt sagittam suam (hebr, Hier); cf. 58,8 hebr; tamquam appositionis loco additur *rem amaram*, sermonem amarum; sagitta eorum est sermo acerbus, animum dolore transfigens; tale iaculum emittunt ex occultis insidiis in virum probum v. 5 *ut sagittent in occultis immaculatum ; subito sagittabunt eum*, de repente proiiciunt in eum sine ulla verecundia, audacter, intrepide *et non timebunt*. E contra v. 6 sese confortant ad malum facinus : *firmaverunt sibi sermonem nequam*, דבר uti verbum, ita saepe rem, facinus significat; ad hanc confortationem etiam pertinet, quod inter se colloquuntur, *narrant* se velle abscondere laqueos, et dicunt : *quis videbit eos*? laqueos scil.; gaudent quia eos tam bene

absconduntur, ut nemo eos advertere et proin cavere possit; ita loquentes *quis* etc. sibi ipsi gloriantes gratulantur de sua astutia.

Putant quidem se molimina sua prudenter disposuisse; at Deus ea disperdet; v. 7 *scrutati sunt iniquitates*, excogitant perversitates; *defecerunt scrutantes scrutinio*, ἐξέλιπον destiterunt, omiserunt; eo scil. sensu, quia consilia sua firmiter statuerunt, omittunt ulteriorem deliberationem. Ea significatione vertitur quoque hebr: ‹rem› absolvimus; bene excogitatum (est); et intimum hominis et cor profundum, inscrutabile; quot mala consilia homines excogitant! vulg *accedet homo ad cor altum*; homo ad altas, callidas cogitationes, ad profunda consilia se confert. Pro hebr תמנו ‹perfecimus?› scribunt alii טמנו absconderunt, absconduntur consilium bene excogitatum.

At Deus dissipat consilia impiorum (32,10 v. 8 *exaltabitur Deus*; plane inefficaces et infirmas reddit eorum machinationes: *sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum*, en ictus eorum plane debiles fiunt, quasi lusus parvulorum in iaciendis sagittis; cf. v. 4; en, ad quid tandem recidet eorum conatus v. 5; *et infirmatae sunt contra eos linguae eorum*; v. 4 exacuerunt quidem linguas; at, quae est Dei pro suis protectio, illas linguas reddit infirmas, mutas, iam non valentes eloqui. Ita secundum LXX, vulg; legerunt LXX חיים ,ימים; inde discrimen totum facile explicatur. In hebr enim habetur: iaciet eos Deus sagitta ‹Hier sagittabit eos Deus iaculo›; subito factae sunt plagae eorum: faciet eos corruere propter linguam eorum ‹cum parva emendatione textus hebr›.

Qui testes sunt huius Dei iudicii, movent super eos caput ‹hebr›, *conturbati sunt omnes qui videbant eos*; salutaris timor singulis incutitur v. 10; haec iudicia Dei annuntiantur et facta, opera Dei attenta consideratione homines prosequuntur; ad illa animum advertunt; v. 11 et iustus exinde laetitiam capiet et spem in Deum maiorem concipiet, ad Deum confugiet et gloriabuntur *omnes recti corde*; laudabuntur, vide 62,12.

PS. 64.

In finem. Psalmus David. Canticum Ieremiae et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.

2. *Te decet hymnus Deus in Sion,* | *et tibi reddetur votum — in Ierusalem:* | 3. *Exaudi orationem — meam:* | *ad te omnis caro veniet.* | 4. *Verba iniquorum praevaluerunt super nos,* | *— et: impietatibus nostris tu propitiaberis.* | 5. *Beatus quem elegisti et assumpsisti,* | *inhabitabit in atriis tuis;* | *replebimur in bonis domus tuae;* | *sanctum est templum tuum,* | 6. *mirabile in aequitate.*

Exaudi nos Deus salutaris noster, | *spem omnium finium terrae et in mari longe;* |

7. praeparans montes in virtute tua, | accinctus potentia; | 8. qui conturbas profundum maris, | sonum fluctuum eius. | Turbabuntur gentes 9. et timebunt | qui habitant terminos a signis tuis; | exitus matutini et vespere delectabis.

10. Visitasti terram et inebriasti eam, | multiplicasti locupletare eam. | Flumen Dei repletum est aquis; | parasti cibum illorum, quoniam ita est praeparatio eius. | 11. Rivos eius inebria, multiplica genimina eius; | in stillicidiis eius laetabitur germinans. | 12. Benedices coronae anni benignitatis tuae, | et campi tui replebuntur ubertate; | 13. pinguescent speciosa deserti, | et exsultatione colles accingentur. | 14. Induti sunt arietes ovium | et valles abundabunt frumento; | clamabunt etenim hymnum dicent.

In hebraeo titulus est: psalmus David, canticum.

In tribus hymni partibus totidem manifestationes divinae gubernationis celebrantur; et primo quidem bona et dona laudantur spiritualia quae populo suo concedit (v. 2—6); dein universalis Dei in omnem terram providentia effertur (v. 6-9); denique benignitas Dei in terrae fertilitate concedenda, in bonis temporalibus dandis, laudatur (v. 10-14).

Ex meditatione divinae gubernationis et benignitatis David psaltes magno cordis affectu exclamat: *te decet hymnus Deus*, et *tibi redditur votum*; ergo laus et eius testificatio in votis, sacrificiis; hebr proprie: tibi silentium, hymnus; Hier tibi silens laus, Aq σιωπῶσα αἴνεσις, targum coram te reputatur sicut silentium laus; potest sensus esse: tantum abest a maiestate Dei vel maxima laus, ut potius silentium sit quam laus (*Aq.*), vel silentium admirationis nostrae est laus, cum impares simus verbis convenientem hymnum Deo dicere. Sed haec, utut vera, tamen aliquid nimiae subtilitatis sapiunt. LXX, syr, vulg σοὶ πρέπει, *te decet hymnus*, et ita merito etiam plerique recentiorum explicant (participium verbi דמה punctis parumper mutatis ponentes: par, congruens). Canticum laudis et votum persolvitur, v. 3 ad te, qui exaudis orationem, *omnis caro venit*, ita hebr, scil. ut laudem et vota reddant, omnes ad te accedunt. Videntur igitur gratias Deo agere sollemnitate hac pro fertilitate terrae et ubertate messis, uti v. 10 seq. suadetur.

Quam gratiarum actionem autem bene ordiuntur, confitentes peccata et veniam concessam Deo acceptam referentes v. 4 verba iniquitatum (hebr, Hier) i.e. multiplicia peccata *praevaluerunt super nos*, obruerunt nos, ut nos ab ipsis emergere non possimus; *impietatibus nostris tu propitiaberis*; veniam a Deo sperant: delicta nostra — tu ignosces ea (hebr). Hac spe imbuti efferunt, quantum bonum sibi collatum sit in electione divina v. 5 *beatus* quem eligis et appropinquare facis, ut habitet in atriis tuis; iste beatus autem est populus Dei; nam statim pergitur: *replebimur*, satiemur *in bonis domus tuae*, additur tamquam appo-

sitio : *sanctum templum tuum*, Hier sanctificatione templi tui, refert appositionem ad *in bonis* ; *mirabile in aequitate*, LXX θαυμαστὸς ἐν δικαιοσύνῃ mirabilis vel Deus vel ὁ ναός σου ; etiam templum sacra quadam verecundia prosequendum est ob illustria iudicia iustitiae et clementiae Dei in eo edita (*Ag.*) ; quam terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli (Gen. 28,17). Templum eo quoque est mirabile, seu sacro timore prosequendum ἐν δικαιοσύνῃ, ob iustitiam quia cultu pio, oratione, sacrificiis facto Deus concedit cultoribus צדק id quod rectum est, probitatem, iustitiam ; cf. 3 Reg. 8,32 : si venerit in domum tuam, tu exaudies in coelo iustificans iustum et retribuens ei secundum iustitiam suam.

In hebr ultimum hoc membrum refertur ad sequentia : terribilia in iustitia respondes nobis, Deus salutis nostrae ; petitionibus nostris respondisti et etiamnum respondes ita, ut in tua iustitia terribilia facias contra hostes nostros ; uti in exitu ex Aegypto, in victoria Iosue, in clade hostium David. In hisce responsionibus Dominus se manifestavit Deum et dominatorem universi orbis terrarum : *spes omnium finium terrae*, vel, ut Hier habet, confidentia omnium finium terrae et maris longinqui (seu hebr : omnium terrae marisque finium longinquorum) ; *et in mari longe*, melius LXX καὶ τῶν ἐν θαλάσσῃ μακράν. Quatenus vero sit in Deo מבטח securitas quoque omnium, declaratur exemplis v. 7 *praeparans*, stabiliens *montes in virtute sua*, *accinctus potentia* ; montes firmiter et secure consistere facit ; aliud exemplum habetur in mari : compescens, seu sedans sonitum maris, sonitum fluctuum eius, et tumultum populorum ; ita hebr ; solum LXX et vulg *qui conturbas profundum maris*, verum Aq καταστέλλων, Theod quinta καταπραΰνων, Hier compescens, ita quoque syr, targum ; et cum Deus dicatur quasi securitas, magis consentanea est haec notio sedantis fremitum maris et tumultum nationum. Ceterum 88,10 etiam in LXX שבח rite explicatur : motum fluctuum eius tu mitigas, σὺ καταπραΰνεις.

Porro universalis Dei dominatio et providentia exhibetur quoque v. 9 *et timebunt qui habitant terminos a signis tuis* ; talia signa sunt quae in rerum natura hominibus apparent terribilia et altioris numinis potentiam et operationem iis suggerunt, uti sunt tempestates, sterilitates, pestes, signa coelestia ; vaticinia quoque prophetarum de exteris nationibus. Aliud eius securitatis documentum cernitur in stabili ista dierum noctiumque vicissitudine : *exitus matutini et vespere delectabis* ἐξόδους πρωΐας καὶ ἑσπέρας τέρψεις, domicilia ex quibus egrediuntur dies et nox facis iubilare ; ortum solis et ortum stellarum facis iubilare i.e. sol oriens et stellae Dei laudes annuntiant, eo modo sicut dicitur : cum me laudarent astra matutina (Iob 38,7) ; facis iubilare, ut

sonum iubilationis edant, efficis, ea ratione, uti dicitur : coeli enarrant gloriam Dei. Quod hebr dicitur facis iubilare, etiam intelligi potest : facis, ut dies et nox alacriter et cum gaudio suum peragant cursum ; cf. 18,6 exsultavit sol ut gigas ad currendam viam. Alii explicant de extremis regionibus orientalibus et occidentalibus ; Deum ubique ab oriente usque ad occasum efficere iubilationem.

Ab hac universali providentia psaltes transit ad illam particularem qua Deus suis providet bona temporalia v. 10 *visitasti terram et inebriasti eam*, benigna cura respexisti terram, eam irrigasti (LXX, Sym, Hier, targum) ; hebr potius (שקיתה), ut syr, abundantia donasti eam, *multiplicasti locupletare eam*, terram permultum divitem fecisti. Qua ratione abundantia illa et divitiae effectae sint, explicatur sequentibus : primo habebantur pluviae : *flumen Dei repletum est aquis*, hebr canalis Dei plenus aqua ; canalis Dei, per quem aquae superiores in terram deducuntur, erat plenus aqua, i.e. Deus misit satis imbrium ; inde *parasti* frumentum illorum, *quoniam ita* (canali Dei pleno aquis) *est praeparatio eius*, ita praeparas cibum, imbre rite concesso. Et Deum id praestitisse per singula exponitur (prius duobus infinitivis hebr) v. 11 *rivos eius inebria*, sulcos eius (LXX αὔλακας) irrigas, sulcos terrae et agri ; dein hebr. deprimis, planas, glebas eius, ne scil. induratae impedimento sint, imbribus dissolvis, seu emollis eas ; germini eius (plantis terrae) benedicis. Sensum exhibent LXX, vulg *multiplica genimina eius*, *in stillicidiis eius* ἐν ταῖς σταγόσιν αὐτῆς (in guttis aquarum quae terra obveniunt) *laetabitur germinans* herba.

Ex iis quae Deus v. 10.11 beneficia contulit, iam consequitur v. 12 hebr coronasti annum bonitatis tuae, vel bonitate tua ; orbitae tuae distillant pinguedinem ; Dominus quasi curru vehitur per agros in pluviis et vestigia eius vel semitae stillant ubertatem (*Alg. Gen. Calm.* et recentiores). In LXX, vulg *benedices coronae anni benignitatis tuae*, coronam anni, copiam, abundantiam, divitias, fructus accipimus (*Alg. Gen.*), *et campi tui replebuntur ubertate* ; est effectus orbitarum Dei stillantium pinguedinem. Tota regio laetissimum praebet aspectum v. 13 *pinguescent speciosa deserti* ; stillant prata deserti (hebr) *et exsultatione colles accingentur*, se cingunt, laetis germinibus, floribus, amoeno fructuum proventu vestiuntur colles et exornantur ; v. 14 *induti sunt arietes ovium*, explicant hanc lectionem LXX, vulg : ex bonis pascuis arietes praeclaris velleribus induuntur ; hebr vertunt : campi sese vestiunt grege ; emendat Houbig הרים pro mass. כרים montes vestiuntur gregibus ; similiter dicit poeta, oves pendere procul de rupe ; sic habetur oppositio : montes vestiuntur gregibus ; *et valles abundabunt frumento*, hebr valles se operiunt frumento, iubi-

lant, imo canunt; colles et valles sua amoenitate et abundantia fructuum quasi alta voce *clamant*, imo *hymnum dicunt*, Deum, optimum populi benefactorem et largitorem bonorum, praedicant et laudabilem demonstrant.

Ps. 65.

1. *In finem. Canticum Psalmi resurrectionis.*

Iubilate Deo omnis terra; | 2. *Psalmum dicite nomini eius;* | *date gloriam laudi eius;* | 3. *Dicite Deo: quam terribilia sunt opera tua, — Domine:* | *in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.* | 4. *Omnis terra adoret te et psallat tibi,* | *psalmum dicat nomini tuo.* | 5. *Venite et videte opera Dei;* | *terribilis — in: consiliis super filios hominum;* | 6. *— qui: convertit mare in aridum;* | *in flumine pertransibunt pede,* | *ibi laetabimur in ipso;* | 7. *qui dominatur in virtute sua in aeternum;* | *oculi eius super gentes respiciunt,* | *qui exasperant non exaltentur in semetipsis.* —

8. *Benedicite gentes Deum nostrum,* | *et auditam facite vocem laudis eius;* | 9. *qui posuit animam meam ad vitam,* | *et non dedit in commotionem pedes meos.* | 10. *Quoniam probasti nos Deus,* | *igne nos examinasti, sicut examinatur argentum;* | 11. *induxisti nos in laqueum,* | *posuisti tribulationes in dorso nostro;* | 12. *imposuisti homines super capita nostra;* | *transivimus per ignem et aquam,* | *et eduxisti nos in refrigerium.*

13. *Introibo in domum tuam in holocaustis;* | *reddam tibi vota mea,* | 14. *quae distinxerunt labia mea,* | *et locutum est os meum in tribulatione mea.* | 15. *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum,* | *offeram — tibi: boves cum hircis.* | 16. *Venite, audite et narrabo, omnes qui timetis Deum,* | *quanta fecit animae meae.* | 17. *Ad ipsum ore meo clamavi* | *et exaltavi sub lingua mea.* | 18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo,* | *non exaudiet Dominus.* | 19. *Propterea exaudivit Deus,* | *et attendit voci deprecationis meae.* | 20. *Benedictus Deus, qui non amovit* | *orationem meam et misericordiam suam a me.*

Omnes admonentur ad Deum laudandum, qui potestatem suam exercet in omnes gentes (v. 2-7), qui postquam populum suum afflixit, eum consolatus firmavit (v. 8-12); quare ei offeruntur sacrificia et laudis cantica ex corde puro, cuius preces benigne exaudiet (v. 13-20). — In hebraeo titulo nihil legitur de resurrectione.

Adhortationi generali *iubilate* subditur modus v. 2 *psalmum dicite*, i.e. cantate gloriam nominis eius (hebr. Hier), *date gloriam laudi eius*, ad verbum hebr ponite gloriam laudem eius, i.e. facite gloriosum, praeclarum canticum laudis eius. Nomen Dei denotat manifestationes Dei quibus cognitio eius hominibus panditur. Quare ad huius nominis gloriam celebrandam, opera Dei sunt commemoranda; unde v. 3 *quam ter-*

ribilia sunt opera tua; et horum operum quanta sit vis et efficacia, declaratur : *in multitudine* ob magnitudinem potentiae tuae adulantur te inimici tui, *mentientur* simulant subiectionem, devotionem, reverentiam, quam animis non gerunt; cf. 17,45. Textus hebr potest aliter quoque iungi : dicite Deo : quam terribilis ! opera tua in magnitudine roboris tui; te adulantur inimici tui. Ad magnum affectum designandum repetitur v. 4 adhortatio; et ei subministratur argumentum laudis v. 5 *venite et videte opera Dei, terribilis in* operatione *super filios hominum*, maxima reverentia metuendus cernitur in sua cum homine actione; atque eiusmodi magnalia sunt : *qui convertit* ὁ μεταστρέφων *mare in aridam* terram, *in flumine pertransibunt pede*, alluditur ad transitum per mare rubrum et per Iordanem (Ex. 14; Ios. 3); sed haec magnalia simul documento sunt, qualiter Deus animadversurus sit in exteras nationes pro securitate populi sui, et qualia beneficia paratus sit concedere.

Cum allusione ad illa magnalia prophetae promittunt reditum ex exsilio; ita Is. 11,15.16; 42,15 ponam flumina in insulas et stagna arefaciam; 43,2.16 haec dicit Dominus : qui dedit in mari viam et in aquis torrentibus semitam; 44,27. A reducibus autem ex exsilio hunc psalmum cani, veteres iam docuerunt; ita Theod. et Theod. heracl. et paraphrastes graecus, Euthymius, Beda, quibus consentit Calmet. Hi itaque reduces merito dicunt allusione illa commemorata : *ibi laetemur in eo*, inter sese exhortantes ad gaudium in Deo, qui uti olim, ita nunc similia pro populo egit v. 7 *et qui dominatur in virtute sua in aeternum*; et cum prophetae plurima iam edidissent vaticinia in gentes (Is. Ier. Ez.), hoc Dei in gentes dominium merito peculiari ratione efferunt : *oculi eius super gentes respiciunt; qui exasperant*, rebelles ne extollantur; contumaces Deus deiiciet, ut in oneribus prophetarum praedicitur.

Admonentur gentes, ut Deum laudent ob salutem populo Dei concessam, id iam indicatur Is. 44,23 : iubilate extrema terrae, quoniam redemit Dominus Iacob, idque facile explicatur quia tandem gentibus bona Dei obventura sunt ex regno messiano, cuius praeparatio habetur in reditu et instauratione populi (cf. Is. 42,4; 49,6; 60,3.9); redemptionem Israel Ieremias quoque gentibus annuntiat 31,10 : audite verbum Domini gentes et annuntiate in insulis quae procul sunt et dicite : qui dispersit Israel congregabit eum; cf. Ez. 36,23; eodem modo v. 8 *benedicite gentes Deum nostrum, qui posuit animam meam ad vitam*, hebr animam nostram, qui nos, quasi mortuos in exsilio, ad vitam reduxit (cf. Ez. 37) et a casu nos erexit ita ut iam firma securitate consistamus, *et non dedit in commotionem pedem nostrum* (hebr). Ex qua afflictione autem pervenerit ad novam illam vitam et

stabilitatem, exponitur v. 10-12 ; v. 10 *quoniam probasti nos* rebus adversis, tribulatione, *igne nos examinasti, sicut argentum* ; cf. 16,3 ; Is. 48,10, ecce excoxi te, elegi te in camino paupertatis ; in igne non tam remotionem scoriarum spectari, sed vehementem ardorem afflictionum notari, etiam sequentibus suadetur, quibus solum tribulationes designantur ; v. 12 *induxisti nos in laqueum*, hebr in rete, alii : in carcerem ; cf. Is. 42,22 ; *posuisti tribulationes in dorso nostro* ; cf. Lam. 5,5 ; targum posuisti catenam in lumbis nostris, similiter Sym κύκλωσιν, inclusionem τῇ ὀσφύϊ ἡμῶν femori nostro. Hisce conditio exsilii notari videtur ; cf. 136,3 ; Lam. 1,3. Is. 42,22 ; 49,9 ; v. 12 *imposuisti homines super capita nostra*, Lam. 5,8 servi dominati sunt nostri ; Is. 51,23 te humiliaverunt et dixerunt : incurvare, ut transeamus, et posuisti ut terram corpus tuum et quasi viam transeuntibus ; *transivimus per ignem et aquam*, per varias angustias et tribulationes ; cf. Is. 43,2 ; *et eduxisti nos in refrigerium* ; consolatus es nos libertate concessa ; Sym εἰς εὐρυχωρίαν, alii εἰς ἀνάπαυσιν, εἰς παραμυθίαν. hebr in abundantiam ; sed veterum versiones suadent scribendum esse רוחה pro mass. רויה.

Pro isto refrigerio, pro liberatione ex captivitate babylonica (*Ag.*) iam persolvunt gratiarum actionem v. 13 *introibo in domum tuam in holocaustis*, iam igitur tempus est templi reaedificati, *reddam tibi vota, quae* locutum est os meum *in tribulatione mea* ; talia vota enuntiantur 50,21 ; offerre volunt pinguia, *medullata*, selecta, plena medullae et succi (*Gen.*), *cum incenso arietum*, cum nidore ex sacrificio arietum ; multa ac optima sacrificia offerre volunt. Simul cum oblationibus iunguntur laudes et enarrationes beneficiorum v. 16 *narrabo quanta fecit animae meae* ; cf. v. 9-12 ; Deum autem opem flagitantibus contulisse auxilium et beneficium liberationis, indicatur v. 17 *ad ipsum clamavi* ; uti in v. 14 vota fecerunt in tribulatione, *et exaltavi sub lingua mea*, LXX, Hier in lingua mea ; syr et exaltavi eum lingua mea ; hebr רוכם, targum laus eius sub lingua mea (id quod haud facile intelligitur, quomodo laus iam adsit sub lingua vel ibi quasi lateat ?), Sym καὶ ὑψώθη παρχρῆμα ἡ γλῶσσά μου et exaltata est confestim lingua mea ; textus mass. corrigendus erit secundum syr. Atque revera exsules admonentur ut orent Dominum (Is. 55,6) et propheta docet eos preces fundere (Is. 45,8 ; 51,9 ; 58,9 ; 63,7 ; 64,1).

Preces autem Deo acceptas ex puro corde fieri oportet v. 18 *iniquitatem si aspexi in corde meo*, si spectarem, intenderem pravum, *non exaudiet Dominus* ; quia autem iniquitatem non fovi in corde meo (*Eus. Theod. Ag.*) — scimus quia peccatores Deus non audit (Ioan. 9,31 : Corderius) — v. 19 *propterea exaudivit Deus et attendit voci deprecationis meae* ; sed attende illud διὰ τοῦτο, *propterea*, ideo (Hier) in hebr non

poni, verum legi אכן profecto, attamen; Aq ἄρα, syr tunc audivit, targum in veritate audivit Deus; itaque ex hebr non adscribitur exauditio probitati precantium. Concluditur pulchra doxologia v. 20 *benedictus Deus qui non amovit* non abstulit (Hier) *orationem meam et misericordiam suam*, gratiam suam, *ame*; non reiecit orationem meam, quemadmodum ille conqueritur: sed et cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam (Lam. 3,8. *Ag.*). Affert Corderius sententiam ex S. Augustino : « cum videris non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia eius » (*M.* 36,801).

Ps. 66.

1. *In finem. In hymnis. Psalmus cantici — David :*

2. *Deus misereatur nostri et benedicat nobis;* | *illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri,* | 3. *ut cognoscamus in terra viam tuam,* | *in omnibus gentibus salutare tuum.* | 4. *Confiteantur tibi populi, Deus.* | *confiteantur tibi populi omnes;* | 5. *laetentur et exsultent gentes,* | *quoniam iudicas populos in aequitate* | *et gentes in terra dirigis.* | 6. *Confiteantur tibi populi, Deus:* | *confiteantur tibi populi omnes.* | 7. *Terra dedit fructum suum;* | *benedicat nos Deus, Deus noster.* | 8. *Benedicat nos Deus,* | *et metuant eum omnes fines terrae.*

In titulo hebraeo non nominatur David.

Occasione gratiarum actionis pro messe ubere (v. 7) rogatur, ut Deus benedictionem et favorem det ad voluntatem suam cognoscendam et inter gentes salutare suum, quo fiat ut omnes Deum laudent et iusto eius regimine laetentur.

Psalmum hunc aliqui adiungunt ad antecedentem. Sed ob v. 7 videtur potius referri posse ad 64, 10-14, ut notat Calmet, qui putat duos hos psalmos 64.66 cantatos esse, dum primitiae deferrentur ad templum vel post messem in festo tabernaculorum.

In v. 2 fere recolitur forma benedictionis sacerdotalis (Num. 6,24; *Eus. Ag. Gen.*); *illuminet vultum suum* cf. 26,1; 30,17; 33,6; 35,10; 43,4; *ut cognoscamus viam tuam*, petunt accepta benedictione messis benedictionem sublimiorem, cognitionem viae Domini, operum Domini et modi gubernationis eius (cf. Is. 55,8; 58,2), in quibus continentur quae hominibus praescripsit; targum : ut innotescat in terra via tua, in omnibus populis redemptio tua. Ita quoque verte hebr : ad cognoscendam viam tuam, et inter omnes gentes salutem tuam, vel ut bene habet Hier : ut nota fiat in terra via tua, in universis gentibus salus tua. Iam

respicitur benedictio illa universalis, olim in Abraham omnibus promissa; quare admonentur populi ad Deum laudandum v. 4.6. Exprimitur v. 5 desiderium, ut gentes laetentur et exsultent de iusta et benigna Dei gubernatione, ut sub eius regimine laetam agant vitam. Psalmus magnam spirat in exteras nationes benevolentiam et vaticinia messiana de salute gentibus largienda optime delineat eo quoque, quod v. 8 omnes populi in universo orbe ut fiant cultores Dei, precando exoptatur (cf. Ier. 33,9. Is. 11,9.10; 44,23; 49,6; 54,4.5; 56,7; 65,1 etc.).

Ps. 67.

1. *In finem. Psalmus cantici ipsi David.*

2. *Exsurgat Deus, — et : dissipentur inimici eius,* | *et fugiant qui oderunt eum a facie eius.* | 3. *Sicut deficit fumus deficiant;* | *sicut fluit cera a facie ignis,* | *— sic : pereant peccatores a facie Dei.* | 4. *Et iusti epulentur — et : exsultent in conspectu Dei,* | *et delectentur in laetitia.* | 5. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius,* | *iter facite ei qui ascendit super occasum;* | *Dominus nomen illi; exsultate in conspectu eius,* | *— turbabuntur a facie eius :* | 6. *patris orphanorum* | *et iudicis viduarum. Deus in loco sancto suo.*

7. *Deus qui inhabitare facit unius moris in domo,* | *— qui : educit vinctos in fortitudine* | *similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.* | 8. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui,* | *cum pertransires in deserto.* | 9. *terra mota est, etenim coeli distillaverunt* | *a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel :* | 10. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuae,* | *et infirmata est, tu — vero : perfecisti eam.* | 11. *Animalia tua habitabunt in ea,* | *parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* | 12. *Dominus dabit verbum* | *evangelizantibus virtute multa :* | 13. *rex virtutum dilecti dilecti :* | *et speciei domus dividere spolia.* | 14. *Si dormiatis inter medios cleros,* | *pennae columbae deargentatae,* | *et posteriora — dorsi : eius in pallore auri.* | 15. *Dum discernit coelestis reges super eam,* | *nive dealbabuntur in Selmon.*

16. *Mons Dei mons pinguis,* | *mons coagulatus, mons pinguis :* | 17. *ut quid suspicamini montes coagulatos?* | *mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo,* | *etenim Dominus habitabit in finem.* | 18. *Currus Dei decem millibus multiplex,* | *millia laetantium, Dominus in eis — in : Sina in sancto.* | 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem,* | *accepisti dona in hominibus :* | *etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.* | 20. *Benedictus Dominus die quotidie :* | *prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum;* | 21. *Deus noster, Deus salvos — faciendi :* | *et Domini Domini : exitus mortis.* | 22. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum,* | *verticem capilli perambulantium in delictis suis.* | 23. *Dixit Dominus : ex Basan convertam,* | *convertam in profundum maris :* | 24. *ut intingatur pes tuus in sanguine,* | *lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.* | 25. *Viderunt ingressus tuos, Deus,* | *ingressus Dei mei, regis mei, — qui est : in sancto.* | 26. *Praevenerunt principes coniuncti psallentibus,* | *in medio iuvencularum tympanistriarum.* | 27. *In ecclesiis benedicite Deo Domino,* | *de fontibus Israel :* | 28. *ibi Beniamin ado-*

lescentulus in mentis excessu; | *principes Iuda, duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthali.*

29. *Manda Deus virtuti tuae,* | *confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* | 30. *A templo tuo in Ierusalem* | *tibi offerent reges munera,* | 31. *Increpa feras arundinis* | *congregatio taurorum in vaccis populorum,* | — *ut : excludant eos qui probati sunt argento; dissipa gentes quae bella volunt.* | 32. *Venient legati ex Aegypto,* | *Aethiopia praeveniet manus eius Deo.* | 33. *Regna terrae, cantate Deo;* | *psallite Domino,* — *psallite Deo:* | 34. *qui ascendit super coelum coeli, ad orientem;* | *ecce dabit voci suae vocem virtutis.* | 35. *Date gloriam Deo super Israel,* | *magnificentia eius et virtus eius in nubibus.* | 36. *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel;* | *ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi* — *suae:* | *Benedictus Deus.*

Psaltes incipit a verbis Moysi (Num. 10,35). Dominus exsurgit; inde territi hostes diffugiunt, iusti exsultant; Domino iter facienti laudes canendae sunt, protectori populi sui in sanctuario suo (v. 2-6). Laudes autem Domini celebrantur commemoratione antiquorum magnalium Dei in eductione ex Aegypto, in itinere per desertum, in fertilitate terrae, in victoriis, in prosperitate populi (v. 7-15). Celebrantur laudes porro in electione sanctuarii stabilis in Sion, ad quem montem Dominus triumphator sollemni pompa ascendit (v. 16-19); laudes triumphatoris etiam ex antiquo oraculo proponuntur (v. 20-24), et ipsa pompa describitur (v. 25-28). Celebratur demum maiestas Domini in Sion regnantis, cui reges munera afferent, qui hostes coercebit, cui tandem omnes gentes obsequium praestabunt et qui ex sanctuario suo virtutem suam manifestat (v. 29-36).

Si quaeritur de tempore et occasione psalmi, plurimae feruntur opiniones. Qui aliquam rem gestam vel victoriam celebrari assumunt, assignant vel 2 Reg. 6, vel victoriam David de Syris, Edomitis 2 Reg. 8.10, vel de Syris, Edomitis, Ammonitis 2 Reg. 11.12; vel generatim de omnibus victoriis celebrari canticum; cum autem templi mentio fiat, alii commemorari volunt victoriam Iosaphat de Moab et Edom (4 Reg. 3), vel victoriam Ezechiae de Assyriis reportatam 4 Reg. 19 vel in celebratione paschali 2 Par. 30, vel victorias Machabaeorum 1 Mach. 5 post consecrationem templi ; vel quia Basan fit mentio, celebrari et commendari res gestas ab Alexandro Iannaeo. En, a tempore Davidis per decursum saeculorum iam ventum est usque ad annum fere 70 ante Christum ! Aliis placuit nullam spectari rem gestam, sed notionem proponi propheticam regni Dei.

Imprimis ob oculos habendum est, clare describi Dominum ascendere in Sion et agi pompam sollemnem ; unde facile sequitur arcam transferri in Sion. Iam quod in v. 17 ex textu hebr dicitur, quam aptissime congruit cum prima translatione arcae in montem Sion (cf. 2 Reg. 6, 12. 1 Par, 15, 3. 25-29 ; 16, 1. 7-34). Exhibentur enim

ibi montes magni Basan cum invidia quadam respicere ad parvum montem Sion, eo quod ipse ex beneplacito Dei sit electus ut arcam recipiat, seu ut Dominus ibi habitet. Iam talis affectus invidiae apte supponitur et exprimitur ex tempore electionis et translationis *primae*; minus bene post longius tempus, quando iam ipsa diuturnitate et assuetudine vehementia affectus subsidere solet atque imminui. Quare poetice non minus quam psychologice in ista montium magnorum personificatione et in eorum invidiae affectu cerni oportet ipsam primam montis Sion electionem. Quod vero legitur v. 19, videtur esse allusio satis clara ad expugnationem arcis Sion ; iactabant Iebusaei : non ingredietur David huc. Expugnatione facta habitavit David in arce, vocavit eam civitatem David et adduxit arcam in civitatem David cum gaudio (2 Reg. 5, 6.9 ; 6, 12).

Electio stabilis sanctuarii, in quo Deus habitare singulari ratione concipitur, quasi cumulum et ultimam addit perfectionem beneficiis eousque collatis atque simul est sollemnis quaedam promissio ac firmum documentum stabilis regni Dei in Israel, quod regnum (iam ex oraculis patriarchis concessis) gentes quoque complecti debebit. Quare intelligitur, cur psaltes recenseat beneficia accepta, cur ipsam electionem sanctuarii sollemni pompa celebrari describat : in salutem populi, in ruinam rebellium, cur tandem hoc sanctuarii beneficium ad gentes quoque pertinere praesagio messiano demonstret.

De sublimissimo hoc psalmo adnotat *R. Cornely*, Psalmorum Synopses, Paris 1899, p. 50 : « Hymnum esse messianicum ex Eph. 4,8 sqq. constat, ubi S. Paulus v. 19 de Christi ascensione explicat; at eum simili modo, quo Ps. 46., eminente (vel forte etiam typico) potius quam litterali suo sensu de hoc mysterio agere, cum plerisque recentioribus arbitramur ».

Manifestationem Dei esse pro diversa hominum indole in ruinam et in salutem uti v. 2-4 et 7 exprimitur, ita quoque 21 sq. et 30 sq. proponitur. Prima psalmi verba deprompta sunt ex Num 10, 35 ; cum elevaretur arca ad iter per desertum instituendum, dicebat Moyses : surge Domine et dissipentur inimici tui et fugiant qui oderunt te a facie tua. Quae verba hic ex hebr efferuntur per affirmationem : exsurgit Deus ; disperguntur inimici eius, et fugiunt osores eius a facie eius ; hisce itaque verbis res olim gesta nobis ob oculos ponitur : elevatur arca, portatur in agmine Israelitarum — moneri itaque videmur ipsis verbis inaugurari pompam qua transferatur arca. Effectus Domini exsurgentis i. e. opem ferentis in v. 3 cum gradatione describitur : *sicut fumus deficit*, dissipatur plane et evanescit, *sicut cera* diffluit, diluitur, sic tolluntur,

pereunt impii ; celeritas et facilitas ruinae depingitur ; cf. 57, 9. Plane alius est Dei auxiliatoris effectus in iustos v.4 et *iusti* laetantur et exsultant *in conspectu Dei* ; etiam hic effectus melius describitur per affirmationem ; vulg. *epulentur*, LXX εὐφρανθήτωσαν ; in vulg etiam ἑορτάζειν vertitur epulari. Hanc Dei opitulatoris manifestationem laudum canticis celebrandam esse dicitur v. 5 canite, psallite *nomini eius* Deo hymnum dicite ob ea quibus se manifestat ; *iter facite ei*, viam parate ascendenti per deserta (hebr, Hier) ; ex verbis v. 2 et eorum historica significatione intelligitur, cur praeparatio pompae ad arcam transferendam exhibeatur tamquam : viam parate Domino ingredienti per desertum ; qua comparatione iam indicatur simul memoria beneficii in itinere per desertum praestiti.

Nomen eius est Iah, Iahve (LXX uti assolet Κύριος, *Dominus*) quo nomine ut fidelis foederis custos ac vindex designatur, qui quod promisit opere exsequitur (cf. scire, cognoscere Iahve, in psalmis, apud Ez. experiri eius vel promissiones vel minas). Quare *exsultate in conspectu eius* ; quod LXX vulg additur *turbabuntur a facie eius* est altera quaedam versio ; unde hic omittenda ; et ratio exsultationis est, quia revera Dominus partes agit v. 6 *patris orphanorum et iudicis viduarum*, qui ius et causam debilium agit et tuetur et tamquam talis residet *in loco sancto suo* apud populum.

Et quomodo se ostenderit custodem ac vindicem debilium et fidelem exsecutorem promissionum declaratur v. 7-15 ; et primo in universum dicitur v. 7 *Deus inhabitare facit* derelictos in domo, יחיד cf. 25, 16 hebr ; qui tamquam solitarii (Hier) in alienis regionibus versabantur ; LXX μονοτρόπους, *unius moris*, οὐ πολύτροποι (Eus.) non diversi moris, qui idem vitae institutum sequuntur, Sym Theod κατοικίζει μοναχοὺς ἐν οἴκῳ. Et quomodo seu ex qua misera conditione illis providerit stabilem habitationem et patriam, tangitur : *qui educit vinctos in fortitudine*, ἐν ἀνδρείᾳ LXX Hier ; Sym εἰς ἀπόλυσιν in dimissionem, Theod ἐν εὐθύτῃσιν bene et recte ; in prosperitate uti syra vox explicatur (eiusdem cum hebr originis כשר) ; *similiter* etiam eduxit *eos qui exasperant*, contumaces, rebelles, *qui habitant in sepulcris* ; ii tandem in deserto mortui sunt ; eorum habitatio sunt sepulcra in deserto ; vertit Hier increduli habitaverunt in siccitatibus. Sym οἱ δὲ ἀπειθεῖς κατοικήσουσι καύσωνος ξηρότητα, inobedientes habitabunt aestus siccitatem, terram aridam, Aq λεωπετρίανδε petram levem, levigatam inhabitant. Hisce satis clare eductio ex Aegypto cum diverso effectu indicatur.

Iam iter per desertum et legislatio in Sina tangitur v. 8 *Deus cum egredereris* ante populum tuum, *cum pertransires in deserto*, *terra mota est*, cf. Ex. 19,18 ; *coeli distillaverunt a facie Dei*, τοῦ Θεοῦ τοῦ

Σινὰ, Dei qui in Sinai se manifestavit ; cf. Deut. 4, 11 mons ardebat usque ad coelum ; Deus descendit super montem in igne (Ex 19, 18) : gloria Domini habitavit super Sinai et erat species gloriae, sicut ignis ardens super verticem montis (Ex. 24, 16.17) ; locutionis modus habetur quoque Iud. 5. 4. 5. Hebr legitur : ante faciem Dei, hic Sinai, ante faciem Dei. In LXX lectiones variant ; omittitur του Σινα, scribitur etiam τουτο Σινα. Bonum sensum praebet lectio vulgaris (uti supra).

Ipsis vocibus deserti et Sinai magna illa Dei beneficia in memoriam revocantur. Quid Deus terra occupata praestiterit, tangitur v. 10-15. Ubertas terrae declaratur v. 10 *pluviam* largam tribuis *hereditati tuae*, est simul symbolum benedictionis divinae ; uti alias, terra dicitur hereditas Domini ; nam statim sequitur **v. 11 turba tua** habitat in ea ; et si terra *infirmata est*, si quando quasi iam effeta fructus non reddere videbatur, *tu perfecisti eam*, tu eam confirmasti ; hereditatem laborantem confortasti (Hier). In ista hereditate Dei habitationem accepit populus v. 11 *animalia tua*, grex tuus, hebr vertunt etiam (ex 2 Sam. 23, 13) turba tua habitabat in ea ; Deus populo suo bona providit : *parasti in dulcedine tua*, paras in bonitate tua pauperi ; hebr imperfectum bene designat opera Dei quae ex diuturno tempore exsistunt.

Praeterea Deus populo suo concessit victorias : v. 12 *Dominus dat verbum evangelizantibus virtute multa* ; Deus annuntiatricibus dedit nuntium faustum : *rex virtutum dilecti dilecti*, ut habeatur sensus, concipe : Dominus exstitit rex exercituum sui dilecti populi, quibus exclamationibus victoriae annuntiabantur. Hebr : Adonai dat verbum ; annuntiatrices, turba magna (ergo frequentes victoriae indicantur) : reges exercituum fugiunt, fugiunt. Aliud victoriarum documentum est : *et speciei domus* (dat Dominus) *dividere spolia*, hebr potest intelligi : et habitatrix domus dividit spolia. Victoriis reportatis pacem et divitias sibi compararunt. Haec prosperitas populi depingitur imagine columbae pulcherrimae v. 14 *si dormiatis*, si recumbitis, *inter medios cleros*, inter caulas, *pennae columbae deargentatae*, argento obtectae, *et posteriora dorsi eius*, hebr alae eius, *in pallore auri*, in virore auri, populus quasi columba Domini consideratur ; cf. Cant. 2, 10. 14 ; 5, 3 ; 6, 8 ; Osee comparat Ephraim columbae (7, 11) et etiam totum populum (11, 14). Obscurum est quod sequitur in v. 15 *dum discernit coelestis reges super eam*, *nive dealbabuntur in Selmon*, hebr ningebat in Selmon ; uti sententia fertur, intelligi nequit. Ex variis coniecturis et emendationibus textus, accipe unam : dum Omnipotens reges dispelleret, proiecit eos in umbram mortis. Selmon mons est in Samaria Iud. 9, 48 ; num etiam hoc loco ? num mons Ἀσαλμανες in Hauran ? cuius mentionem facit Ptolemaeus (cf. *M. Hagen*. Lex. bibl. s. v. Selmon.

Transitus fit ad montem sanctuarii. Non altos montes Basan elegit Deus ; unde isti invident monti Sion quem eligit Deus ; v. 16 *mons Dei mons pinguis*, hebr mons Basan, mons qui deceat sanctuarium Dei, debet esse mons excelsus, sicut mons Basan *mons coagulatus*, *mons pinguis*, mons culminum (culminibus insignitus), mons est Basan, qui itaque altis cacuminibus sese elevans aspectum praebet magnitudinis amplissimae ; v. 17 *ut quid suspicamini montes coagulatos*, in textu vulg : cur vos oculos levatis ad montes culminum, quasi hi essent eligendi — at aliter hebr, quare invidetis montes cacuminum monti (quem) desideravit Deus in sedem suam ? similiter Aq εἰς τί ἐρίζετε ὄρη ὠφρυωμένα, τὸ ὄρος ὃ ἐπεθύμησε ὁ Θεὸς τοῦ καθίσαι ἐπ' αὐτό ; id quod Hier vertit : quare contenditis, montes excelsi, adversum montem quem dilexit Deus ut habitaret in eo? Quae invidia seu contentio apte fingitur in prima electione montis Sion, uti supra iam notatum est. Et ad insultandum illi invidiae, cum emphasi repetitur : *etenim*, profecto, *Dominus habitabit in finem* ; mons Basan probabiliter intelligitur mons Hermon, qui tribus cacuminibus eminet (cf. *Baethgen*).

Describitur quo apparatu Dominus introeat ad sanctuarium in Sion v. 18 *currus Dei decem millibus multiplex*, currus Dei est agmen quo circumdatus est (cf. רכב Is. 21, 7. 9) ; nam cum eo sunt sanctorum millia (Deut. 33, 2) ; agmen eius sunt myriades et millia iterationis (hebr), sed versiones praebent : millia laetantium, LXX εὐθηνούντων, Hier millia abundantium, Sym χιλιάδες ἠχούντων, similiter Aq ; et eo modo hebr erit emendandum ; *Dominus in eis*, in medio est magnifici huius comitatus, *in Sina in sancto*, hebr Sinai in sanctuarium ; est valde obscurum ; num Sinai quasi intrat in sanctuarium, ita ut sanctuarium fiat alter mons Sinai, ex quo Deus loquatur (Ex. 25, 22) ? Proposita est coniectura, ut pro verbis textus בם סיני legatur בא מסיני i. e. Dominus venit ex Sinai in sanctuarium (cf. Perles l. c. p. 49, Hupfeld).

Tali agmine circumdatus v. 19 *ascendisti in altum*, in collem Sion, *cepisti captivitatem* : ut triumphator captivos secum ducit, *accepisti dona in hominibus* [1] ; explicant dona inter homines, vel dona ab hominibus ; at utrumque est valde ieiunum et supervacaneum ; quare assumatur ב in, uti saepius occurrit, tanquam accuratior quaedam determinatio ad obiectum (uti habetur Num. 18, 26. Ios. 13, 6. 7 ; Ps. 78, 55), accepisti dona et haec dona consistunt in hominibus, sunt homines ; et hi praesertim illi sunt : *etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*, rebelles contra habitare Dominum ; qua sen-

1. Eph. 4,8 citatur ἔδωκεν δόματα τοῖς ἀνθρώποις, et ita targum ad psalmum : dedisti dona filiis hominum. Similiter sabacthani (Matth. 27,46) targum refert.

tentia satis manifeste alluditur ad narrationem de expugnatione arcis Sion 2 Reg. 5, 6, de qua dixerant Iebusaei : non ingredietur David huc.

Hoc sanctuarium et haec victoria felix est omen ; unde v. 20 *benedictus Dominus* per singulos dies ; *prosperum iter faciet nobis*, hebr portat nos (Hier, Aq, Sym), nos sustentat, curam gerit de nobis *Deus salutarium nostrorum*, Deus est salus nostra (hebr). Quae sententia magis declaratur in v. 21 *Deus noster Deus salvos faciendi*, Deus nobis est Deus opitulationum, Deus ad opitulationes et Iahve Adonai habet exitus (evasiones) e morte ; etiam in summis periculis Deo non desunt subsidia salutis, *et Domini Domini exitus mortis* sunt ; valet vario modo eripere a morte. Verum uti vivificat et reducit ex inferis ita etiam mortificat et deducit ad inferos (1 Reg. 2, 6 v. 22 *verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum*, *verticem capilli perambulantium in delictis suis*, Sym κορυφὴν ἔντριχον, verticem multa capillatura hirsutum, quo ferocitas quaedam et contumacia designari videtur. Confirmatur illud *confringet* oraculo antiquo v. 23 *dixit Dominus* : *ex Basan convertam*, *convertam* ex profundo mari ; ex oriente (Basan) et ex occidente (ex profundo maris), imo si fugissent in profundum maris, reducam hostes tuos, ita *ut intingatur pes tuus in sanguine*, ὅπως ἂν βαφῇ ὁ πούς σου LXX, Hier ut calcet pes tuus in sanguine ; *lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*, ut tingatur lingua ab ipso sanguine ex inimicis ; sententia hebr plerumque explicatur : ut lingua canum ex inimicis (habeat) partem suam.

Iam ipsa pompa describitur, v. 25 *viderunt ingressus tuos Deus*, bene LXX ἐθεωρήθησαν αἱ πορεῖαί σου, conspiciuntur, cum admiratione spectantur ingressus, *regis mei qui est in sancto* ; pompae quae Domino celebrantur habitanti in sanctuario : v. 26 *praevenerunt*, praecedunt cantores, postea (sequuntur) psallentes, *in medio iuvencularum tympanistriarum*. Ex canticis videtur depromi v. 27 *in ecclesiis benedicite Deo Domino*, in coetibus, vos qui estis *de fontibus Israel*, progenies Israel ; cf. Is. 48, 1 ; 51, 1. Ex principibus tribuum nominantur duo ex regione meridionali, ex septemtrionali etiam duo. Primo loco merito nominatur *Beniamin* parvus, tribus parva, *in mentis excessu* ἐν ἐκστάσει, in admiratione, in magna animi inflammatione et exsultatione, quae explicatio aptum praebet sensum ; nam Ierusalem, adeoque sanctuarium in finibus Beniamin situm erat (Deut. 33, 12. Ios. 18), quare merito Beniamin in admiratione et obstupefactione positus exhibetur. Hebr רדם explicat Aq ἐπικρατῶν αὐτῶν, Hier continens eos, alii corrigunt קדם Beniamin praecessit, sed v. 26 primi incedunt cantores ; *principes Iuda duces eorum*, hebr רגמתם certe corruptum est : Hier vertit

principes Iuda in purpura sua, similiter quinta versio (ex syr hexapl) habentes diademata ; regni ; alii aliter : turba eorum; *principes Zabulon, principes Nephthali*, hi etiam in cantico Debborae laudantur (Iud. 5, 18) ; tempus indicatur regni integre consistentis. Regio meridionalis, Iudaea, et regio septemtrionalis, Galilaea, designatur.

Hoc vero sanctuarium pignus est protectionis divinae ; ex eo manifestabitur Dei maiestas (v. 29-36) v. 29 *manda, Deus, virtuti tuae*, praecipe potentiae tuae, ut scil. maxime sese manifestet ; *confirma quod operatus es (in) nobis* ; tuam nobis firmam protectionem continuo exhibe ; potest cum aliquibus statim adiungi *a templo tuo*, ex templo tuo ; ex tuo sanctuario nobis confer salutem ; dein : *in Ierusalem tibi* afferent *reges munera* (ita עַל posse concipi certum est ; cf. 2 Sam. 15, 20; 2 Reg. 25, 20 etc). Secundum textum mas. explica : propter templum tuum (quod eminet) super Ierusalem tibi offerent reges munera, Sym διὰ τὸν ναόν σου τὸν ἐπάνω τῆς Ἱερουσαλήμ.

Quae dona ut Domino in Sion regnanti afferantur, opus est ut triumphator reges inimicos devincat ; quare v. 31 *increpa feras arundinis*, increpa bestiam calami (Hier), symbolum Aegypti (cf. Ez. 29, 3), videtur esse allusio ad behemoth, hippopotamum (Iob 40, 21); *congregatio taurorum in vaccis populorum* ; coniunge cum antecedente : increpa turbam fortium, taurorum, cum vitulis populorum i. e. duces cum agminibus suis; considerantur duces in medio agmine stantes, quasi tauri in medio vaccarum seu vitulorum. Quod sequitur *ut excludant eos qui probati sunt argento*, explica, si placet : duces isti id volunt, ut eiiciant et expellant eos qui Deo probati sunt et aestimantur quasi argentum. Hebr quandoque vertitur : increpa coetum, qui se prosternat cum frustis argenti. Ceterum haec omnia sunt dubia, nec quidquam certi ex antiquis versionibus colligi potest ; apud recentiores variae feruntur coniecturae (cf. *Duhm*, *Wellh.* Zeitschrift f. alttest. Wissenschaft 19, 156, *Cheyne*, Psalms) ; *dissipa gentes quae bella volunt* ; et victoriis gloria Domini manifestabitur, ut a longe veniant *legati ex Aegypto* ; *Aethiopia praeveniet manus eius Deo*. LXX προφθάσει χεῖρα αὐτῆς, Aethiopia porriget manum suam Deo ? Hier Aethiopia festinet dare manus Deo, ita Sym σπευσάτω διδοῦσα χεῖρα, Aq Αἰθίοψ δρομώσει χεῖρα αὐτοῦ τῷ θεῷ. Ex usu verbi hebr רוץ hiphil Gen. 41, 14 et 1 Sam. 17, 17 et 2 Chron 35,13 hebr verti potest Cusch — afferet manus eius Deo.

Ex gentibus longinquis exhortatio progreditur ad universa regna v. 33 *regna terrae cantate Deo, psallite Deo*, cuius maiestas describitur ex coelesti sanctuario : *qui ascendit super coelum coeli*, hebr qui vehitur in antiquissimis coelis coelorum, Aq τῷ ἐπιβεβηκότι ἐν οὐρανῷ

οὐρανοῦ ἀρχῆθεν qui ascendit in coelum coeli ab initio, sim Sym ἐκ πρωτης. Hier qui ascendit super coelum coeli a principio; aeterna eius in summo coelo sedes declaratur. Et Deus vocem suam potentissimam audire faciet, id est, potenter se manifestabit; *ecce dabit voci suae vocem virtutis*; et hac Dei manifestatione omnes excitantur v. 35; *date gloriam Deo*; et ad laudem Dei celebrandam invitantur duplici ratione; *super Israel magnificentia eius* (elucet) *et virtus eius* (potentia eius) *in nubibus*: magnificum se ostendit in gubernatione populi; in nubibus, in coeli regione apparet eius potentia, in quibus quam maxima deprehenditur hominum impotentia, qui ne guttam quidem pluviae aut advocare aut arcere valeant. Hac Dei notione proposita rite concluditur: *mirabilis*, terribilis, Deus ex sanctuariis suis; ita hebr et quidem bene; nam praeter sanctuarium (templum) in Sion in v. 33 sedes eius aeterna in coelis coelorum commemorata est (cf. 3 Reg 8, 27-32); ex utroque sanctuario et iudicia et beneficia eius hominibus proveniunt (ex Sion cf. 9,13; 13,7; 19,3; 73,2; 83,8 etc. Am. 1,2; ex coelo 2,4; 13,2; 19,7; 35,6; 56,4 etc. et utrumque coniunctum enuntiatur 10,5 Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes eius). Ut talis Deus, scil. ut *Deus Israel*, *ipse dabit virtutem* (potentiam) *et fortitudinem* (copiam roboris) *populo suo. Benedictus Deus*, qua doxologia apte canticum istud absolvitur, quo universa Dei beneficia in Israel et demum in universas nationes cum praeclara maiestatis divinae laudatione proposita sunt.

Ps. 68.

1. *In finem, pro iis, qui commutabuntur, David.*

2. *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt | aquae usque ad animam meam;* | 3. *infixus sum in limo profundi, | et non est substantia;* | *veni in altitudinem maris, | et tempestas demersit me.* | 4. *Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae;* | *defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* | 5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei | qui oderunt me gratis;* | *confortati sunt qui persecuti sunt me | inimici mei iniuste;* | *quae non rapui, tunc exsolvebam.*

6. *Deus tu scis insipientiam meam, | et delicta mea a te non sunt abscondita.* | 7. *Non erubescant in me qui exspectant te, | Domine, Domine virtutum;* | *non confundantur super me, | qui quaerunt te, Deus Israel;* | 8. *quoniam propter te sustinui opprobrium, | operuit confusio faciem meam.* | 9. *Extraneus factus sum fratribus meis, | et peregrinus filiis matris meae;* | 10. *quoniam zelus domus tuae comedit me, | et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* | 11. *Et operui in ieiunio animam meam, | et factum est in opprobrium mihi;* | 12. *et posui vestimentum meum cilicium;* | *et factus sum illis in parabolam;* | 13. *adversum me loquebantur qui sedebant in porta, | et—in me: psallebant qui bibebant vinum.*

14. *Ego vero orationem meam ad te, Domine;* | *tempus beneplaciti, Deus;* | *in multitudine misericordiae tuae exaudi me,* | *in veritate salutis tuae.* | 15. *Eripe me deluto, ut non infigar,* | *libera me ab iis qui oderunt me et de profundis aquarum;* | 16. *non me demergat tempestas aquae,* | *neque absorbeat me profundum,* | *neque urgeat super me puteus os suum.* | 17. *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua,* | *secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me;* | 18. *et ne avertas faciem tuam a puero tuo;* | *quoniam tribulor, velociter exaudi me;* | 19. *intende animae meae,—et: libera eam;* | *propter inimicos meos eripe me.* | 20. *Tu scis improperium meum* | *et confusionem meam et reverentiam meam;* | 21. *in conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me,* | *improperium exspectavit cor meum et miseriam,* | *et sustinui qui—simul: contristaretur et non fuit,* | *et qui consolaretur, et non inveni;* | 22. *et dederunt in escam meam fel,* | *et in siti mea potaverunt me aceto.*

23. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum,* | *et in retributiones et in scandalum;* | 24. *obscurentur oculi eorum ne videant,* | *et dorsum eorum semper incurva.* | 25. *Effunde super eos iram tuam;* | *et furor irae tuae comprehendat eos.* | 26. *Fiat habitatio eorum deserta,* | *—et: in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet;* | 27. *quoniam quem tu percussisti persecuti sunt,* | *et super dolorum vulnerum meorum addiderunt.* | 28. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum,* | *et non intrent in iustitiam tuam.* | 29. *Deleantur de libro viventium,* | *et cum iustis non scribantur.*

30. *Ego sum pauper et dolens;* | *salus tua Deus suscepit me;* | 31. *laudabo nomen Dei cum cantico,* | *et magnificabo eum in laude;* | 32. *et placebit Deo super vitulum novellum,* | *cornua producentem et ungulas.* | 33. *Videant pauperes et laetentur,* | *quaerite Deum et vivet anima vestra;* | 34. *quoniam exaudivit pauperes Dominus,* | *et vinctos suos non despexit.* | 35. *Laudent illum coeli et terra,* | *mare et omnia reptilia in eis;* | 36. *quoniam Deus salvam faciet Sion;* | *et aedificabuntur civitates Iuda;* | *et inhabitabunt ibi et hereditate acquirent eam.* | 37. *Et semen servorum eius possidebit eam;* | *et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.*

Psaltes multis tribulationibus obrutus et persecutioni multorum obnoxius frustra in auxilio petendo fatigatus est (v. 2-5). Propter Deum et zelum pro domo Dei a suis est derelictus, opprobriis expositus, in ipso suo luctu habitus ludibrio; cum talia sustineat innocens petit, ne sua sorte appareat spem in Deo falli (v. 6-13). Quare intense rogat ut secundum Dei misericordiam eripiatur ex tribulationum et persecutionum tempestatibus, et repetitam petitionem fulcit proposita denuo misera sua conditione ex opprobriis et calumniis inimicorum, quae omnia sustinere debeat nullo consolante (v. 14-22). Quare ad iustum Deum confugiens efflagitat, ut Deus iram suam super inimicos effundat et iusta retributione poenis et immatura morte eos affligat (v. 23-29). Spe auxilii divini confortatus laudes Deo se celebraturum promittit; ex sua salute pios laetitiam capturos esse. Et denique omnia ad laudem Dei invitat pro salute et restitutione civitatum Iuda et pro incolumitate populi Dei (v. 30-37).

Veterum aliqui psalmum referunt ad exsilium babylonicum; ita Theodorus heracl. Theodoretus, Euthymius, graecus interpres apud Corderium. De tempore Machabaeorum explicant Theodorus mops. et Beda. Neutra acceptio caret difficultate. Psaltes vel coetus piorum experiuntur persecutiones ob cultum Dei et zelum pro domo Dei. Hoc ad tempus exsilii nequit referri. Nam inimici sunt ipsi fratres, non alieni, sed contribules; zelus pro domo Domini templum contra profanatores defendi indicat. Ad exsilium utique spectant ultimae sententiae v. 36.37; quibus exoritur difficultas, ne psalmus referatur ad tempus Machabaeorum, cui ceteroquin ob persecutiones religionis causa, ob apostatas Iudaeos, ob templi profanationem omnino congruere videri posset.

At hisce sepositis attendatur oportet titulus, quo psalmus Davidi adscribitur: in ultimis versibus 36 et 37 iunior sacer poeta aliqua adiecit quibus psalmus usui temporis posterioris accommodatus est. Psaltes autem ita infestationes exhibet, ut generatim proborum virorum persecutiones ob oculos habeat; ita scil. Spiritus sanctus eius modos loquendi direxit, ut de homine iusto et patiente generatim agat, imo potissimum etiam de iusto et patiente κατ' ἐξοχήν i. e. de Christo.

David conditionem afflictam et angustias suas in v. 2.3 variis imaginibus seu comparationibus explicat; esse imagines patet tum earum varietate, qua inter se pugnant, tum v. 5 declaratis adversariis. Et primo se exhibet quasi aquis suffocatum: *intrant aquae usque ad animam*, aquis vitam fere iam exstingui dicit; notionem angustiarum aquis exprimi vide v. g. 17,17; 39,2; usque ad animam declarat vitae periculum; *infixus sum in limo profundi*, id quod revera Ieremiae contigit 38,6 descendit itaque Ieremias in coenum; et in tali limo *non est substantia*, status, sed magis demergitur; « et non possum consistere » (Hier); idem exprimitur alia imagine; veni in profundas aquas et flumen operuit me (hebr. Hier). In istis tribulationibus frustra maximo ardore opem divinam imploravit v. 4 *laboravi clamans*, fatigatus sum clamore meo, *raucae factae sunt fauces meae*, vel inflammatae; exasperatum est guttur meum (Hier), *defecerunt oculi mei*, tabescunt, languescunt, *dum spero in Deum*, Hier exspectantes Deum meum; ita quoque Aq Sym, et eo modo textus mas. recte redditur; LXX ἀπὸ τοῦ ἐλπίζειν ἐπὶ τὸν θεόν μου (ergo legerunt מִיַּחֵל). Quanta sit adversariorum turba, cum exaggeratione, uti fert dolor vehemens, effert v. 5 plures sunt *qui oderunt me gratis* quam capilli capitis mei; *confortati sunt* perdentes me, *inimici mei iniuste*, qui mendaciter, sine causa, me infestant; *quae non rapui, tunc exsolvebam*, tum reddo; proverbii genus est (*Calm.*); fere sicut illud: patres nostri manducaverunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt; patres nostri peccaverunt et nos iniquitates

eorum portavimus (Ez. 18,1. Lam. 5,7). Dicit itaque : istis meis adversariis nihil iniuriae intuli et tamen ab iis affligor et punior. Ita etiam *Theod.* : « eàrum iniuriarum quas non intuli iniuste poenas luo » ; cf. Ier. 15,10.

Affirmat psaltes : contra illos nihil peccavi, utique coram Deo non me innocentem iacto ; humiliter confitetur v. 6 *Deus tu scis insipientiam meam*, Sym τὴν ἀπειρίαν μου imperitiam meam, *et delicta mea* LXX πλημμέλειαι, defectus, errata *a te non sunt abscondita* ; talia commisi quae solus Deus novit ; coram hominibus omnino sine culpa sum. Ab omnibus ergo pius cultor Dei habetur. Quare merito petere potest : v. 7 *non erubescant in me*, ne pudore afficiantur ob meam causam et sortem sperantes in te Domine ; secundum normam retributionis pii opem divinam experiuntur, salvantur, eripiuntur a periculis (cf. 33,13 sq 36,9-15. 35-40) ; proinde si me non adiuveris, ecce unus sperans in te iam pudore afficitur, ego ipse scil. fallor in spe mea ; insuper omnes sperantes in Deum hac mea calamitate continuo permanente neque sublata erubescere debebunt, quia vident hominem pium et iustum tamen derelinqui. Exponit itaque Deo, quo suam fulciat petitionem, simul etiam offensionem piorum, si Deus quasi in se uno normam illam neglexerit retributionis.

Quae petitio eo magis exauditione digna censeri debet, quia propter Dei causam opprobria sustinet v. 8 *propter te* ; ita conqueri potuit posterius etiam Ieremias : vae mihi mater mea, quare genuisti me, virum rixae, virum discordiae in universa terra 15,10 ; ab ipsis fratribus tamquam alienus et inimicus habetur v. 9 *extraneus factus sum fratribus meis* ; animorum alienatio inter nos facta est ; id expertus est Ieremias, cum viri Anathoth vitae eius insidiarentur (Ier. 11, 18-21). Inimicitias psaltes incurrit propter Deum ; id clarius exponitur v. 10 *quoniam zelus domus tuae comedit me*, zelum pro sancta domo Dei magnum exhibuit ; se tali zelo ardere quasi consumi profitetur ; zelum ostendit Ieremias 7,11 numquid spelunca latronum facta est domus ista ? ideo *opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* ; eo autem zelo furor eorum, qui in ipsum Deum opprobria iactabant, eo magis in psalten incensus est. Ipse autem ieiunio et habitu lugentis indutus opem Dei in tribulatione sua imploravit, quod utrumque adversariis occasio erat maioris contumeliae v. 11 *et operui*, LXX συνέκαμψα incurvavi [1], humiliavi, *in ieiunio animam meam*, hebr ad verbum vertit Hier : et flevi in ieiunio animam meam ; targum et flevi in ieiunio animae meae, in meo ieiunio, syr et humiliavi (depressi) in ieiunio ani-

1. Proponit Perles, ut pro אבכה legatur אדכה.

mam meam; *et factum est in opprobrium mihi*; lugentis in modum vestitus incessit, vestimentum habuit *cilicium*, σάκκον LXX, saccum (hebr שַׂק, Hier), pannum e pilis textum, *et factus sum illis in parabolam*, in carmen ludicrum, in ludibrium. In coetibus ad portam urbis, ubicumque convenerunt ad confabulandum, *adversum me loquebantur*, et (sum) fidium cantus bibentium siceram (hebr), ludibrium, canticum ludicrum potatores vini in me edunt. Similem vitam agere iussus est Ieremias : non ingredieris domum convivii, ut sedeas cum eis et concedas et bibas (16,5.8) ; hoc ei opprobrio habitum esse quis neget? cf. Iob 30,9 nunc in eorum canticum versus sum et factus sum eis in proverbium.

Ipse vero v. 14 dirigit orationem ad Deum, *tempus beneplaciti, Deus*, tempus favoris est, cum Deus exaudiat preces ; tale tempus sibi efflagitat ; quare provocat ad multitudinem misericordiae Dei et ad veritatem, seu fidelitatem salutis quam Deus petentibus promisit ; unde v. 15.16 prioribus imaginibus repetit tribulationum descriptionem cum petitione : *eripe me, libera me*; ne operiat me fluvius aquae (Hier), *neque urgeat*, occludat, *super me puteus os suum*, ne me obruat et submergat abyssus. Porro Deum implorat v. 17 pro bonitate gratiae et pro multitudine miserationum ; ne subtrahat favorem servo suo v. 18 cui sunt angustiae ; v. 19 accede ad animam meam (Hier), redime eam ; *propter inimicos meos eripe me*, ne me esse derelictum glorientur (*Gen.*). Quo maiorem vim addat petitioni, iterum commemorat afflictam suam conditionem v. 20 *tu scis improperium meum*, ignominiam meam, contemptum ; *in conspectu tuo sunt*, tu nosti omnem malitiam tribulantium me. Et quantopere se sentiat afflictum, declarat v. 21 *improperium* frangit, conterit cor meum (hebr), Hier opprobrio contritum est cor meum et desperatus sum ; Sym ὀνειδισμὸς κατέαξε τὴν καρδίαν μου καὶ ἠνιώμην, confregit cor meum et dolore afflictus sum, Aq συνέτριψε. καὶ ἀπεγνώσθην, contrivit et desperatus sum. Quod vulg habet *improperium exspectavit cor meum*, fere est idem ac : malorum meorum finem non vidi (*Gen.*). Et ad augendam miseriam affert : *et sustinui*, id est, et exspectavi (hebr, Hier) *qui simul contristaretur et non fuit* ; nemo mihi miserationem exhibebat ; neminem qui me consolaretur inveni ; desideravit, at frustra. Tamen hanc et sitim consolationis et commiserationis crudeliter inimici vexarunt et deriserunt v. 22 *et dederunt in escam meam fel, in siti mea potaverunt me aceto*, acerbis dicteriis et irrisionibus me satiarunt ; pro consolationis desiderio meo me pungebant aculeis sermonum et contumeliarum.

Psalti quam maxime persuasum est valere apud Deum normam retributionis. Quare eam nunc in medium adducens comminationes in

oppressores congerit. Ex imagine de esca et potu in v. 22 facile transitur ad v. 23 *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, cibi sunt ad vigorem corporis ; illis fiant in perniciem, in laqueum i. e. in rem qua capiantur et prosternantur ; *in retributiones* (ita LXX, Aq Sym Theod syr Hier), in retributiones ipsis debitas, ergo in poenas et castigationes, *et in scandalum*, in offensionem qua cadant, in ruinam. Praebet targum : et sacrificia eorum in scandalum ; ita merito recentiores emendant textum hebr, ut schelamim intelligantur, non retributiones. Fortasse sermo est de sacrificiis, qualia impios offerre Ieremias reprehendit (7,10.21). Illis v. 24 lumen oculorum obscuretur ; *dorsum eorum incurva*, hebr lumbos eorum continuo nutare fac ; redde eos corpore debiles ; lumine et vigore corporis priventur. Largam irae Dei in eos effusionem adprecatur v. 25, *et furor irae tuae comprehendat eos*, hebr ardor irae tuae. Simul cum iis plectatur eorum progenies et pereat (cf. Ex. 20,5) ; v. 26 *fiat habitatio eorum deserta*. domicilium eorum, domus eorum careat incolis ; v. 27 *quem tu percussisti*, fatetur psaltes pro suis erratis quae v. 6 fassus est se a Deo afflictum esse ; sed illi super dolorem vulneratorum tuorum addiderunt.

Cum in hebr hic sermo fiat de tuis confossis vel vulneratis in membro parallelo ad quem tu percussisti, clarum habemus indicium psalten gerere personam coetus piorum, vel in se sortem quoque aliorum exhibere. Augetur malitia, quia afflictis non solum non consolationem et iuvamen praebent, verum dolorem augent. Quare sicut ipsi augent et aggravant dolorem afflictorum, ita *appone iniquitatem super iniquitatem eorum*, ita sine eos ruere de iniquitate in iniquitatem (quod Deus permittit fieri, saepius facere dicitur ; cf. Is. 45,7) ; unde maioribus poenis fient obnoxii, *et non intrent in iustitiam tuam*, non veniant ad iustitiam quae coram Deo valeat ; sententia est eadem quae sequitur : *cum iustis non scribantur* ; si Deus conficit catalogum iustorum, illi non scribantur ; *deleantur de libro viventium*, morte praematura fac ut abripiantur (cf. Ex. 32,32). Quae maledictiones ut rite concipiantur, utiliter comparantur similes quaedam, quas Ieremias propheta in suos persecutores protulit ; vide Ier. 11,20 ; 17,18 duplici contritione contere eos ; 18,21-23 et 20,10.14-18.

Ex eadem norma retributionis colligit pro se certam spem et fiduciam ; v. 30 *ego* quidem nunc *sum pauper et dolens* ; *salus tua*, *Deus suscipiet me* (Hier), hebr exaltabit me ; quare v. 31 *laudabo nomen tuum cum cantico* ; et talis laus et agnitio maiestatis divinae Deo magis accepta est quam sacrificia quae ex optimis victimis fiunt. Ex eadem norma pii omnes in quacumque tribulatione gaudium et solatium capient v. 33, videntes mansueti laetabuntur ; qui quaeritis Deum,

vivet anima vestra (Hier) ; et vivat cor vestrum (hebr), novum capiat vigorem ; animos erigite ad laetam fiduciam, v. 34 *quoniam exaudit pauperes Dominus et vinctos suos non despicit* ; qua ratione pii Dei cultores ab impiis in potentia constitutis vinciantur, in carcerem mittantur, exemplo docemur Ier. 20,2 et percussit Phassur Ieremiam prophetam et misit eum in nervum ; et vide Ier. 32,2 ; 33,1 ; 36,5 ; 37, 14.15 ingressus in ergastulum sedit ibi Ieremias diebus multis ; 38,6 ; 40,1. Quare non opus erit de captivis in exsilio assyriaco cogitare ; nam quod Ieremias expertus est, alii quoque qui Dei causam strenue tuebantur experiri poterant ; insuper cogita de querelis prophetarum propter violentias et oppressiones (Is. 5,23 ; 28,14 ; 56,11 ; 58,4 sq. Ier. 5,5 ; 6,13. Os. 4,1. Mich. 3,2.3 etc.).

Hanc Dei in afflictos curam agnoscant v. 35 *laudent eum coeli et terra, mare et omnia reptilia in eis*, et omne quod movetur in eis (hebr, Hier) ; prosopopoeia ad exaggerationem (*Gen.*) ; exprimitur maximum desiderium, ut Deus summis laudibus exaltetur, quare totus mundus et omnes creaturae provocantur, ut praeconia edant. Ad tempus exsilii spectant v. 36.37, quibus spes instaurationis declaratur ; Sion, Ierusalem, urbes Iuda aedificabuntur ; redibunt in hereditatem ; *et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea* (cf. Ier. 23,8 ; 32,37).

Aliqua quae in psalmo de iusto dicuntur, sensum maxime plenum et perfectum consecuta sunt in Christo ; quare psalmum typice messianum ostendunt quae in novo testamento ex hoc psalmo afferuntur ; cf. Ioan. 2,17 ; 15,25 ; 19,28. Act. 1,20. Rom. 11,9 ; 15,3.

Ps. 69.

1. In finem, Psalmus David. In rememorationem, — quod salvum fecerit eum Dominus :

2. Deus in adiutorium meum — intende : | Domine ad adiuvandum me festina. | 3. Confundantur et revereantur qui quaerunt animam meam, | avertantur retrorsum et erubescant, | qui volunt mihi mala ; | 4. Avertantur statim erubescentes, | qui dicunt—mihi : euge, euge.

5. Exsultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te, | et dicant semper : magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. | 6. Ego vero egenus et pauper — sum : | Deus adiuva me ; | adiutor meus et liberator meus — es : tu, | Domine, ne moreris.

De titulo להזכיר vide ad ps. 37.

David petit auxilium divinum, ut qui vitae suae insidiantur cum

confusione repellantur (v. 2-4), ut pii Dei cultores in Deo laetentur eumque exaltent ; ut ipse cito opem Dei experiatur (v. 5-6).

Psalmus hic paucis mutatis iam legebatur 39, 14-18. In v. 2 habetur hebr exclamatio : Deus ad eripiendum me, Iahve ad auxilium meum festina ; in v. 4 hebr avertantur ob confusionem suam, qui dicunt mihi : euge, euge, id est sese proripiant, aufugiant propter ignominiam suam ; Hier : revertantur ad vestigium confusionis suae, qui dicunt : vah, vah. In v. 6 Deus, festina mihi, Hier festina pro me.

Ps. 70.

1. — *Psalmus David. Filiorum Ionadab, et priorum captivorum :*

In te Domine speravi, | non confundar in aeternum. | 2. In iustitia tua libera me et eripe me, | inclina ad me aurem tuam et salva me ; | 3. esto mihi in Deum protectorem | et in locum munitum, ut salvum me facias, | quoniam firmamentum meum et refugium meum es tu. | 4. Deus meus, eripe me de manu peccatoris, | et de manu contra legem agentis et iniqui, | 5. quoniam tu es patientia mea, Domine, | Domine spes mea a iuventute mea. | 6. In te confirmatus sum ex utero, | de ventre matris meae tu es protector meus; | in te cantatio mea semper.

7. Tamquam prodigium factus sum multis, | et tu adiutor fortis. | 8. Repleatur os meum laude, — ut cantem gloriam : tuam; | tota die magnitudinem tuam. | 9. Ne proiicias me in tempore senectutis ; | cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me ; | 10. quia dixerunt inimici mei mihi, | et qui custodiebant animam meam, concilium fecerunt in unum, | 11. dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, | quia non est qui eripiat. | 12. Deus ne elongeris a me, | Deus meus in auxilium meum respice.

13. Confundantur — et : deficiant detrahentes animae meae, | operiantur confusione et pudore qui quaerunt mala mihi ; | 14. ego autem semper sperabo, | et adiiciam super omnem laudem tuam. | 15. Os meum annuntiabit iustitiam tuam, | tota die salutare tuum, | quoniam non cognovi litteraturam. | 16. Introibo in potentias Domini ; | Domine memorabor iustitiae tuae solius. | 17. Deus docuisti me a iuventute mea ; | et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua : | 18. et usque in senectam et senium, | Deus ne derelinquas me, | donec annuntiem brachium tuum | generationi omni quae ventura est potentiam tuam, | 19. et iustitiam tuam Deus usque in altissima, | quae fecisti magnalia ; Deus quis similis tibi?

20. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas, | — et : conversus vivificasti me ; | et de abyssis terrae iterum reduxisti me. | 21. Multiplicasti magnificentiam tuam, | et conversus consolatus es me. | 22. Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, | Deus psallam tibi in cithara, sanctus Israel. | 23. Exsultabunt labia mea, cum cantavero tibi, | et anima mea, quam redemisti ; | 24. sed et lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam, | cum confusi et reveriti fuerint, qui quaerunt mala mihi.

In hebraeo nullus legitur titulus. Graeca inscriptione videtur indi-

cari ex verbis davidicis exsules sibi preces composuisse. Populus in captivitate positus flagitat : esto Domine protector meus ; libera me de potestate peccatorum, tu spes mea et protector meus a iuventute (v. 1-6). Multi me a te derelictum clamant, et tu tamen es adiutor meus ; ne discedas a me in senectute mea, cum inimici in me exsultent (v. 7-12). Illos confunde ; ego autem praedicabo magnalia tua ; uti me a iuventute docuisti, ita mihi opem fer in senectute, ut potentiam tuam annuntiem generationi venturae (v. 13-19). Uti me afflixisti, ita me revoca ad vitae vigorem, ut continuo valeam praeconia annuntiare (v. 20-24).

Inscriptio apud LXX apta est ad argumentum psalmi. Regno enim destructo merito mentio fit senectutis ipsius populi ; in v. 7.10.11 voces audiuntur gentilium ; ex illis ut eripiantur flagitant v. 4 ; viget spes instaurationis v. 20.

Profitetur populus pius exsul se refugium quaerere in Domino, *in te speravi* ; additur petitio in hebr : *ne confundar in aeternum* ; noli permittere ut confundar ; v. 2 quae est tua iustitia in rerum gubernatione, *libera me* ; v. 3 esto mihi robustum habitaculum ut ingrediar iugiter (Hier ita vertit hebr ; alii emendant hebr eo modo quo legitur 31,3 hebr) ; ceterum vide 30, 1-3, ubi eadem leguntur ; sicuti hic fere apud LXX et partim apud Sym ; in hebr autem : praecepisti ut salvares, quia petra mea et arx mea tu es, Aq ἐχύρωμά μου, Sym καταφυγή μου. In v. 4 qui populo in exsilio dominantur tamquam impii, iniqui, violenti designantur : *eripe me de manu*, de potestate impii, iniqui et violenti ; exhibetur exsilium similiter, uti Is. 42,22 et 52,5 dominatores eius inique agunt (cf. 51,23 ; 52,2, etc.).

Haec petitio autem fit v. 5 *quoniam tu es patientia mea*, exspectatio mea (hebr, Hier), *spes mea a iuventute mea*, iuventus populi est tempus eductionis ex Aegypto, uti etiam indicatur Ier. 2,1, ubi illa periodus vocatur adolescentia populi, et pariter Ez. 16,6 seq. ; v. 6 *in te confirmatus sum*, innixus sum, *ex utero, de ventre matris meae tu es protector meus*, a prima origine ; cf. Is. 51,2 attendite ad Abraham patrem vestrum et ad Saram quae peperit vos. Hebr. גּוֹחִי LXX σκεπαστής, protector meus (Hier), Sym σὺ ἐπεῖδές με tu respexisti me, syr fiducia mea, targum ex ventre matris meae extraxisti me, et *Gen.* scribit : interim *goz* proiectorem, eiectorem sonat, cf. Ps. 21,11 ; eam notionem ex aramaico etiam recentiores voci tribuunt. Et ex primo ortu *in te cantatio mea semper*, continuo erat de te canticum laudis ; syr te laudavi omni tempore. Semper enim erant veri cultores Dei in populo.

Conditio eorum in exsilio accuratius exhibetur v. 7 *tamquam pro-*

digium factus sum multis, quasi portentum (Hier), veluti res stupenda et portentosa ; idque explicatur v. 11 gentes considerant populum Iahve in exsilio tamquam a Deo suo eiectum et exsecratione perculsum ; cf. 1 Cor 4,13 omnium peripsema usque adhuc ; Israel oppressus et humiliatus a gentibus habebatur tamquam maledicto onustus ; at aliter sentit Israel *et tu adiutor fortis*, tu refugium meum forte (hebr), spes mea fortissima (Hier). Idque statim probant ; nam v. 8 plenum est *os meum laude* tua, tota die magnificentia tua ; inter gentes quoque laudem Dei profitentur ; ita eos docuit Ieremias 10,11, ita in epistola quae legitur Baruch 6, et laudes Dei tempore exsilii praedicantur Is. 40. 12-31 ; 44-23 etc. In exsilio est tempus senectutis populi ; utique evenit exsilium longo tempore post adolescentiam, post exodum ex Aegypto ; v. 9 *ne proiicias me in tempore senectutis* ; promittit Deus : usque ad senectam ego ipse et usque ad canos ego portabo (Is. 46,4) ; Deus populum senescentem non fastidiet, sed sustentabit ; *cum defecerit virtus mea*, in exsilio erat vermis Jacob (Is. 41,14) ; *ne derelinquas me* ; quae petitio ipsis oppressorum dicteriis provocatur v. 10.11 ; dicuntur inimici *custodire animam meam*, id est insidiari vitae meae ; nam qualem custodiam adhibeant, declarant ipsi : *persequimini, comprehendite eum* ; contra quos flagitant : Deus, *ne elongeris a me* ; cf. 21,12 ; 34,22 ; ad auxilium meum festina (hebr) ; cf. 39,14 ; 69,2 .

Contra hanc exsultationem inimicorum, qui gloriantur quod populo iam non sit auxiliator (v. 11), petunt a Deo protectore v. 13 *confundantur, deficiant*, consumantur adversarii animae meae (Hier) ; cf. 34,4.26 ; 39,14 ; 69,3. Et Deus pro sua iustitia v. 2) debebit eos humiliare ; quare v. 14 *ego autem semper sperabo* ; *et adiiciam*, augebo et multiplicabo laudationes tuas (Hier, Aq Sym syr) ; hanc Dei in retributione *iustitiam* et salutem *annuntiabit os meum* v. 15, *quoniam non cognovi litteraturam*, Sym οὐ γὰρ ἐξαριθμήσαι non enim scio (possum) numerare ; similiter targum : nescio enim numerum eorum, scil. opera quibus Deus manifestavit iustitiam suam et salutem nequeunt numerari. Ideo quia tot sunt, ut nequeant numerari, v. 16 *ingrediar*, veniam ad potentias Domini, id est, magnalia Dei cum laude praedicabo ; explicatur enim ingredi seu venire membro parallelo : *memorabor iustitiae tuae solius* ; hanc tuam solam efferre et praedicare opus est contra adversarios ; in ea magnalia Dei continentur. Aliter explicat *Gen.* : quoniam non cognosco libros (sacros, profanas scientias ignoro), veniam ad potentias Dei recolendas ; fere *Duhm* quoque : quia in scriptis versatus non sum, venio cum tua fortitudine (libris operam dare, uti Dan. 9,2 et Zach. 9-14, ego nescio ; sed habeo robur a Deo ad eum laudandum) ?

Merito possunt praedicare iustitiam Dei (quae ei soli competit) : nam v. 17 *docuisti me a iuventute mea*, Deus per servos suos, prophetas, eruditor et doctor fuit populi ; per gubernationem ei ostendit suam iustitiam, per beneficia et miracula eum provocavit ad laudes Deo dandas ; atque id non frustra fuisse dicunt : *et usque nunc pronuntiabo, annuntio, mirabilia tua*, cantica Sion, psalmi testimonium dant. Uti me docuisti in iuventute, ita quoque v. 18 *usque in senectam et senium ne derelinquas me* ; opem Dei exposcit, ut annuntiem, vel ne derelinquas me donec annuntiavero *brachium tuum*, magna roboris tui opera, *generationi omni venturae*, *potentiam tuam et iustitiam tuam*, et pertingunt *usque in altissima*, *quae fecisti magnalia* ; quanta fecisti magnalia (Hier) ? Aq. Sym ὁ θεός, ἕως ὕψους, ἃ ἐποίησας μεγαλεῖα. *Deus, quis similis tibi*? bene recolunt doctrinas exsulibus traditas (Is. 40, 12.13 ; 41,26 ; 43,13 ; 44,7. Ier. 10,6).

Nunc quidem in miseria constitutus sum v. 20 *quantas ostendisti mihi tribulationes*, iterum vivificabis me et *de abyssis terrae* iterum reduces me ; de profundis terrae iterum me ascendere facies (hebr) ; Aq ὅσας ἔδειξας ἡμῖν, Hier vivificabis nos, rursum educes nos, item targum (nobis, nos, uti hebr scribitur). Spes reditus ac liberationis exprimitur ; vivificabis cf. Ez. 37, 1-14. Eadem spes enuntiatur v. 21 multiplices magnitudinem meam et denuo consoleris me ; Hier multiplicabis, consolaberis ; haud bene vulg *multiplicasti* ; efflagitant instaurationem, statum pristinum eumque praestantiorem ; quam gloriosa enim instauratio describitur a prophetis ; unde petunt, ut augeatur, maior fiat magnitudo eorum et eo modo ut Deus ipsos consoletur de tribulationibus (cf. Is. 40,1 ; 51,3-12 ego, ego ipse consolabor vos ; 66,13 quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos . Ipsi autem laudes promittunt sollemnes cum instrumentis musicis v. 22 ; celebrabunt *veritatem*, fidelitatem Dei, qua promissa fecit vera ; et *Sanctus Israel* laudatur, qui ad honorem nominis sui exsilium se soluturum dixit (Is. 48,11), Sanctus Israel est appellatio Dei valde frequens apud Isaiam (1,4 ; 5,19.24 ; 10, 17, 20 ; 12,6 etc.). Totus homo ministerio vocis et animi affectu Deo laudes dicat oportet v. 23 ; et Dei iustitia tunc praesertim perpetuum erit argumentum praeconii, cum *confusi et reveriti fuerint*, pudore vel ignominia affecti, *qui quaerunt mala mihi* ; cf. 34,28 ; 69,3. Gentes iri confusum, Israel cum exsultatione rediturum, vide pluribus locis Is. 40,23 ; 41,29 ; 44,23-26 ; 48,20 etc.

Ps. 71.

1. *Psalmus in Salomonem.*

2. *Deus iudicium tuum regi da | et iustitiam tuam filio regis, | iudicare populum tuum in iustitia | et pauperes tuos in iudicio.* | 3. *Suscipiant montes pacem populo | et colles iustitiam.* | 4. *Iudicabit pauperes populi,* | — *et: salvos faciet filios pauperum | et humiliabit calumniatorem;* | 5. *et permanebit cum sole et ante lunam | in generationem et generationem.* | 6. *Descendet sicut pluvia in vellus | — et : sicut stillicidia stillantia super terram;* | 7. *orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis,* | *donec auferatur luna.*

8. *Et dominabitur a mari usque ad mare,* | *et a flumine usque ad terminos — orbis : terrarum;* | 9. *coram illo procident Aethiopes,* | *et inimici eius terram lingent.* | 10. *Reges Tharsis et insulae munera offerent,* | *reges Arabum et Saba dona adducent;* | 11. *et adorabunt eum omnes reges terrae;* | *omnes gentes servient ei;* | 12. *quia liberabit pauperem a potente | et pauperem cui non erat adiutor;* | 13. *parcet pauperi et inopi,* | *et animas pauperum salvas faciet;* | 14. *ex usuris et iniquitate redimet animas eorum,* | *et honorabile nomen eorum coram illo.*

15. *Et vivet et dabitur ei de auro Arabiae | et adorabunt de ipso semper,* | *tota die benedicent ei.* | 16. *Et erit firmamentum in terra in summis montium,* | *superextolletur super Libanum fructus eius,* | *et florebunt de civitate sicut foenum terrae.* | 17. *Sit nomen eius — benedictum : in saecula;* | *ante solem permanet nomen eius;* | *et benedicentur in ipso — omnes tribus terrae :* | *omnes gentes magnificabunt eum.*

18. *Benedictus Dominus Deus Israel qui facit mirabilia solus.* 19. *Et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum ; et replebitur maiestate eius omnis terra; fiat, fiat !*

20. *Defecerunt laudes David filii Iesse.*

Ex titulo hebraeo לשלמה Salomon videtur designari auctor psalmi. LXX εἰς Σαλομών. Psalmum esse messianum, in ipso targum significatur. Psaltes Deum precatus ut regiam potestatem suam regi det, iam felicem eius regni conditionem describit et eius durationem perpetuam indicat (v. 2-7); dein eius regni in universum orbem dominationem, regum omnium gentiumque omnium subiectionem annuntiat, simul cum hac externa regni specie internam gubernationis indolem, opiferam miseris, exponens (v. 8-14). Quare omnes regi bona adprecabuntur ; erit mira terrae fertilitas, in hoc rege salus cunctis nationibus continget (v. 15-17).

Regis est facere iudicium et iustitiam populo (cf. 2 Reg. 8,15). Modo perfectissimo hoc praestat rex supremus, Deus. Hunc suum gubernandi modum et suam rationem administrandi iustitiam et suum cuique ius tribuendi ut Deus regi largiatur, precatur psaltes v. 1 ; rex in membro parallelo vocatur filius regis, habet itaque regiam digni-

tatem legitime, ex prosapia regia, rex est ex rege. Si itaque iuxta modum divinum populus regitur in iustitia et pauperes quoque ius suum consequuntur, tunc effectus et fructus huius iustitiae erit pax universo populo, id v. 3 enuntiatur : *suscipiant*, ferent *montes pacem populo et colles iustitiam*, montes et colles, terra, uti fructus, ita nunc felicitatem et pacem praebebunt ; in hebr et colles in iustitia, colles quoque uti montes ferent pacem, cuius causa et origo est iustitia. Quomodo pax illa seu felicitas efficiatur in iustitia, exponitur v. 4 *iudicabit pauperes populi*, hisce ius dicet, eorum causam aget, tuetur ; *salvos faciet*, proteget homines conditionis inferioris, qui sunt pauperes ex pauperibus, ex stirpe contempta ; *et humiliabit calumniatorem* et conquassabit oppressorem (hebr), eum qui vi et oppressione iniuriam infert. Ita stabilietur iustitia ; ex ea orietur pax ; haec autem erit perpetua ; nam v. 5 *et permanebit* rex qui ita iudicat *cum sole et ante lunam*, coram luna, quamdiu sol et luna lucent in coelo, ille cum iis vivet, *in generationem et generationem*, per decursum generationum ; LXX συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ ; in hebr nunc habetur : et timebunt te cum sole, ita syr, Sym targum, Hier (et timebunt te quamdiu erit sol et ultra lunam). Quam benedictionem rex allaturus sit, declaratur comparatione v. 6 *descendet sicut pluvia in vellus*, in detonsa prata, super herbam resectam, ut succrescat et germinet (*Gen.*) ; Aq. ἐπὶ κουράν, in abscissum ; de voce גז cf. Am. 7,1, *et sicut stillicidia*, sicut imbres, irrigatio terrae (hebr) cf. Os. 6,3, sicut stillae inrorantes terram (Hier) ; pluviis dependet fertilitas et ubertas terrae ; quod pluvia praestat terrae, id donabit rex suis subditis, et quales fructus sit producturus, nos docet v. 7 *orietur*, germinabit (hebr, Hier seu florebit *in diebus eius iustitia et abundantia pacis*, et quousque aderit haec iustitia et multitudo pacis ? donec non sit luna ; ergo uti in v. 5, quamdiu hic mundi cursus durat.

Beatitate descripta et duratione iam de extensione mentio fit v. 8 *et dominabitur*, hebr dominetur, *a mari usque ad mare*, notum erat Iudaeis mare mediterraneum et mare rubrum (indicum ?) ; verum hic potius intellige : ab extremo terrae usque ad extremum, vel cogita terram natantem in oceano, ergo undique mari circumdatam, *a flumine* (Aegypti ? Euphrate ?) *usque ad terminos orbis terrarum* ; si in priore membro designatur extensio terrae ab occidente ad orientem, potest hic deprehendi totus terrae tractus a meridie ad septentrionem ; cf. Zach. 9,10. Uti orbis terrarum est regio (territorium) dominationis eius, ita eam quoque agnoscent omnes gentes v. 9-11 ; *Aethiopes procident, inimici terram lingent*, prostrati humiliabuntur ; hebr coram eo incurvabuntur bestiae deserti, deserticolae ? sed LXX Aq Sym Hier

praebent Aethiopes, syr insulae, targum Africani; pulverem lingere signum est subiectionis humillimae, qua osculentur pulverem terrae ad testificandam servitutem (*Gen.*); v. 10 *reges Tharsis*, reges longinqui; Tartessus in Hispania? *insulae*, regiones maritimae, *munera offerent*; reges שבא (Arabia felix) *Arabum et Saba* (Meroe) *dona adducent*, tributum conferent (Hier). Haec non solum afferri exempli causa et quia ad ornatum orationis pertineat ad singularia et particularia descendere, verum in his maius quid intelligi, patet ex v. 11 *et adorabunt eum*, se prosternent ei, *omnes reges*, *omnes gentes servient ei*. Et hanc servitutem libenter praestabunt propter indolem clementiae eius regiminis v. 12 quia liberabit pauperem clamantem (hebr); et eruet *pauperem*, *cui non erat adiutor*; item v. 13 *parcet*, miserebitur, *pauperi et inopi*; v. 14 ex oppressione et violentia *redimet animas eorum* et pretiosus erit sanguis eorum oculis eius (hebr, Hier). Profecto hic depingitur ille qui dixit : principes gentium dominantur eorum et qui maiores sunt potestatem exercent in eos; non ita erit inter vos (Matth. 20,45. Marc. 10,42. Luc. 23,25), et qui ipse est mitis et humilis corde Matth. 11,29).

Tali regi omnes faustissima quaeque acclamabunt et adprecabuntur v. 15 hebr et vivat, sit felix ac beatus; et detur ei de auro Arabiae et orabunt pro ipso continuo, « precabuntur ei felicia; anthropathice de Christo loquitur ut de rege optimo, pro cuius incolumitate et vitae diuturnitate assidue rogat populus » (*Gen.*); *tota die benedicent ei*, eum celebrabunt, optima quaeque ei adprecabuntur. In hebr v. 16 et sit abundantia frumenti in terra usque ad cacumen (caput) montium; LXX στήριγμα *et erit firmamentum* (frumentum) *in terra in summis montium* usque ad summitatem montium; et segetes plurimae comparantur in hebr : et strepat (commoveatur) sicut Libanus fructus eius; cogita scil. ventum leniter flantem, quo sonus edatur segetibus commotis, sicut sonus arborum Libani. Cum hac abundantia terrae coniungitur felicitas et incrementum populi *et florebunt de civitate sicut foenum terrae*, sicut herba terrae; cives florebunt et multiplicabuntur, ut solet gramen, sive herba tenella in campis (*Gen.*). Porro precantur, ut gloria eius et laus maneat in perpetuum v. 17 *sit nomen eius* (*benedictum*) *in saecula*; iam *Theod.* notat τὸ εὐλογημένον παρ' οὐδενὶ κεῖται, οὔτε ἐν τῷ ἑξαπλῷ οὔτε παρ' Ἑβραίοις, *ante solem*, coram sole i.e. quamdiu sol manet, *permanet nomen eius*, hebr explicatur germinabit, Aq Sym γεννηθήσεται, propagabitur et germinabit in posteritate; « nomen eius successionem generis habebit et semen eius propagabitur, quamdiu sol lucet » (*Alg.* ita hebr concipit יהי, et *Gen.* notat veteres Hebraeos Jinnon ut unum ex Messiae nominibus tradidisse). Et

quatenus nomen eius germinet, videtur declarari : *et benedicentur in ipso omnes tribus terrae* hebr (hithpael) communiter significat : sibi bene precabuntur, se beatos praedicabunt in eo, id quod supponit eos per eum accipere bona ; unde etiam enascitur notio : benedicentur. Quae patriarchis promissa erant, in rege Messia implenda esse hoc loco clare designatur ; recitantur enim verba eadem Gen. 22,18 et 26,4 benedicentur (hithp. hebr) in semine tuo omnes gentes terrae et Gen. 12,3 ; 18,18 ; 28,14 benedicentur (niphal, hebr) in te, in eo cunctae tribus terrae (et in semine tuo). Unde simul explicatur, in quonam semine haec benedictio cunctis provenire debeat, in rege Messia ; quare merito *omnes gentes magnificabunt eum*, LXX μακαριοῦσιν (quod unice hebr exprimit), Hier beatificabunt eum, targum dicent bonum illi.

Quae adscripta sunt v. 18-20, non pertinent ad psalmum, sed sunt doxologia qua alter liber psalmorum finitur ; cf. 135,4. Num. 14,21. Is. 6,3.

Quod adiicitur : *defecerunt laudes David*, Hier : completae sunt orationes David (προσευχαὶ Aq Sym Theod quinta), praebet testimonium exstitisse olim librum, cui titulus erat : preces David filii Iesse. Non obstante hac subscriptione etiam in subsequentibus sat multi psalmi gerunt titulum לדוד v. g. secundum numerationem hebr 86,101, 103. 108-110.122.124.131.133.138-145 ; etiam plures apud LXX v.g. 92-98. Insuper in antecedentibus continentur psalmi sine ulla designatione auctoris, 1.2.33 43.66.67.71 secundum hebr ; continentur psalmi qui adscribuntur filiis Core 42,44-49 ; 50 Asaph et 72 Salomoni. Praeterea in ipsis istis psalmis aliquae partes repetuntur ; ita 14 idem est ac 53 (vulg. 13.52) ; quod legitur in ultima parte 40 (39) efformat Ps. 70 (69).

De hoc psalmo scribit Hier (in Commentariolis) : « si super Salomone iste psalmus intelligitur, hoc penitus stare non potest ». Similiter dicit de Ps. 44 : « totus psalmus refertur ad Christum ». Nihilominus in Eccl 1,1 (*M.* 23,1063) de istis psalmis dicit : « qui tametsi ad prophetiam Christi et Ecclesiae pertinentes, felicitatem et vires Salomonis excedunt ; tamen secundum historiam super Salomone conscripti sunt ». Vide Anecdota Maredsolana III, 1 p. 58.

Ps. 72.

1. *Psalmus Asaph.*

Quam bonus Israel Deus, | his qui recto sunt corde. | 2. Mei autem pene moti

sunt pedes, | pene effusi sunt gressus mei ; | 3. quia zelavi super iniquos, | pacem peccatorum videns.

4. Quia non est respectus morti eorum, | et firmamentum in plaga eorum ; | 5. in labore hominum non sunt | et cum hominibus non flagellabuntur. | 6. Ideo tenuit eos superbia, | operti sunt iniquitate et impietate sua. | 7. Prodiit — quasi : ex adipe iniquitas eorum, | transierunt in affectum cordis ; | 8. cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, | iniquitatem in excelso locuti sunt ; | 9. posuerunt in coelum os suum, | et lingua eorum transivit in terra. | 10. Ideo convertetur populus meus hic, | et dies pleni invenientur in eis.

11. Et dixerunt : quomodo scit Deus, | et si est scientia in excelso ? | 12. Ecce ipsi peccatores et abundantes | in saeculo obtinuerunt divitias. | 13. — Et dixi : ergo sine causa iustificavi cor meum, | et lavi inter innocentes manus meas ; | 14. et fui flagellatus tota die | et castigatio mea in matutinis. | 15. Si dicebam : narrabo sic, | ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

16. Existimabam, ut cognoscerem hoc, | labor est ante me ; | 17. donec intrem in sanctuarium Dei, | — et : intelligam in novissimis eorum. | 18. Verumtamen propter dolos posuisti eis, | deiecisti eos dum allevarentur. | 19. Quomodo facti sunt in desolationem, | subito defecerunt, | perierunt propter iniquitatem suam. | 20. Velut somnium surgentium, Domine, | in civitate — tua : imaginem ipsorum ad nihilum rediges. | 21. Quia inflammatum est cor meum, | et renes mei commutati sunt, | 22. et ego ad nihilum redactus sum et nescivi, | 23. ut iumentum factus sum apud te.

Et ego semper tecum ; | 24. tenuisti manum dexteram meam, | — et : in voluntate tua deduxisti me. | et cum gloria suscepisti me. | 25. Quid — enim : mihi est in coelo, | et a te quid volui super terram ? | 26. Defecit caro mea et cor meum, | Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. | 27. quia ecce, qui elongant se a te, peribunt ; | perdidisti omnes qui fornicantur abs te. | 28. Mihi autem adhaerere Deo bonum est, | ponere in Domino Deo spem meam, | ut annuntiem omnes praedicationes tuas, | — in portis filiae Sion :

Profitetur Asaph, se in sua ad Deum fiducia fuisse turbatum propter impiorum felicitatem (v. 1-3) ; impiis enim prae aliis hominibus prosperitas evenire solet, unde extolluntur superbia, exercent violentiam, blasphemant : et cum tamen prospere se habeant, populus seducitur (v. 4-10). Unde non desunt qui negent divinam providentiam, frustra hominem servare iustitiam, probos quam maxime affligi ; verum id affirmare, absit a pio cultore Dei (v. 11-15). Difficilis quaestionis solutionem invenit psaltes in sanctuario intelligens plane fallacem esse illorum prosperitatem ; quare suam confitetur stultitiam, cum ea de re turbaretur (v. 16-23). Exinde maiore affectu Deo adhaeret summo bono quippe qui se assumpturus sit in gloriam (v. 23-28).

Ut in libro Iob, ita Ps. 36 et 48 et hic quoque agitur de prosperitate impiorum, qua norma retributionis deficere videbatur. Laetus exclamat poeta v. 1 *quam bonus Israel Deus*, Israeli, pro Israel, et determinatur clarius : *his qui recto sunt corde*, qui mundi sunt corde (hebr). Hic erat animi eius sensus ante tentationem et turbationem,

et hunc animi sensum denuo acquisivit dubio soluto. Et ea ratione ut documentum victoriae et fructus inquisitionis haec laeta eius persuasio hoc loco praeprimis enuntiatur. At erat, quando haec fiducia impugnabatur v. 2 at ego fere eram vacillans pedibus meis, *pene effusi sunt gressus mei*, pene cecidissem, peccassem dubitando, negando iustitiam Dei ; *quia zelavi super iniquos*, indignatione commotus sum super exsultantes, iubilantes (hebr), qui scil. de sua impietate gloriabantur, *pacem peccatorum videns*, quia felicitatem impiorum video.

Et quaenam est pax impiorum ? v. 4 *non est respectus morti eorum* mortem non curant neque eius timore afficiuntur ; sine eius metu moriuntur (*Gen.*) neque est *firmamentum in plaga eorum*, si quid adversi contingat, celeriter explicantur e calamitate ; neque enim firma permanensque talis eorum plaga erat (*Eus.*) ; item *Theod.* : res tristes perexiguo temporis spatio illis adhaerent. Ita quidem LXX et vulg. Aq. οὐκ εἰσὶ ὀυσπάθειαι τῷ θανάτῳ αὐτῶν non sunt aegritudines morti eorum ; ne in morte quidem quidquam duri vel asperi experiuntur (cf. Iob 21, 23. 24), Sym οὐκ ἐνεθυμοῦντο περὶ θανάτου, item Hier : quod non recogitaverint de morte ; mortem quoque in versione exprimunt syr, targum. Recentiores mirantur quod descriptio eorum felicitatis incipiet a morte ; unde dictionem illam separantes לבו תם explicant : non sunt tormenta illis, sanum et pingue est corpus eorum (hebr) ; hoc alterum membrum explicat Sym στερεὰ γὰρ ἦν τὰ πρόπυλα αὐτῶν, item eum sequitur, uti saepe, Hier : et firma sint vestibula eorum ; אולם recentiores vertunt corpus eorum ; sed haec vocis notio est tamen valde incerta ; targum cor eorum, syr stultitia eorum.

Communi hominum sorti impii non subiecti sunt ; v. 5 *in labore hominum non sunt*, communes miserias non experiuntur, et si qua plaga homines alii affliguntur, impii cum ceteris non flagellantur ; v. 6 *ideo tenuit eos superbia*, hebr explicat *Gen.* velut torques cinxit eos superbia, et recentiores : superbia est eorum torques seu collare — superbia erecto collo manifestatur (Is. 3, 16) — et involvit (velut) vestimentum eos violentia (hebr) ; sensum refert Hier : circumdederunt iniquitatem sibi. Iam quae ex superbia et violentia enascantur, effert psaltes v. 7-9 ; et primo quidem v. 7 *prodit ex adipe iniquitas eorum*, ex pinguedine, prae abundantia rerum, ex saturitate et prosperitate oritur scelus ; similiter syr : et prodit velut pinguedo scelus eorum ; LXX et syr legerunt עין, hebr Aq Sym autem עין, prodeant ex adipe oculi eorum, habent itaque faciem pinguem, ex qua oculi prodeant ; ita quoque Hier : processerunt a pinguedine oculi eorum. Sed ad subsequentia magis congruit textus LXX, syr, vulg ; neque enim de vultu impiorum pingui est sermo, sed de eorum moribus ; *transierunt in affectum cordis*, hebr exun-

dant imaginationes cordis ; figmentis, desideriis cordis nullum ponunt limitem, nullum adhibent frenum ; aliis verbis : turgent corda eorum et quasi redundant variis figmentis cogitationum et cupiditatum ; v. 8 subsannant, Hier irriserunt, et loquuntur in malitia ; oppressionem loquuntur de excelso, « quasi e coelo, vel e loco eminentiore, e sublimi statu et potentia ; inde ceteros sibi infra positos despiciunt » (*Gen.*) cf. Is. 14, 13 ; Sym καταμωκώμενοι ἐλάλουν ἐν πολλῇ συκοφαντίᾳ irridentes loquebantur cum multa calumnia.

In petulantia sua neque Deo neque hominibus parcunt v. 9 *posuerunt in coelum os suum*, dirigunt in coelum, contra coelum os suum, blasphemant, *et lingua eorum transit in terra*, licenter et temere contra quemlibet et de omnibus loquuntur. Iactatione sua et prosperitate insuper alios seducunt v. 10 *ideo convertitur populus meus huc* (huc praebent psalt. rom. August. Ag. ; de aliis vide Sabatier) ; ad istam hominum impiorum conditionem oculos mentesque convertunt et en, vident cum impietate coniungi rerum omnium abundantiam : *et dies pleni inveniuntur in eis*, omni felicitate satiantur. In textu mass. habetur : et aquarum copia sorbetur ab eis ; estne copia aquarum symbolum copiae bonorum ? vix crediderit quisquam ; syr : et abundanter inveniunt sibi ; textus mass. emendandus erit ex LXX, ut sensus aptus habeatur.

Et qua ratione populus convertatur huc, quid illi multi ex prosperitate impiorum colligant, exponitur v. 11 *et dixerunt : quomodo scit Deus ? et si est scientia in excelso ?* « nam si in Altissimo scientia exsistat isque talia videat, terrigenasque curet, quare illi talia edentes facinora prospere agunt et in saeculum usque divitias obtinent » (*Eus.*) ? Illi itaque negant providentiam divinam ; nam v. 12 *ecce*, hi sunt peccatores, et perpetuo securi augent opes (hebr). Inde ortum est dubium illud ac titubatio (v. 2) v. 13 ἄρα, *ergo* frustra, *sine causa*, sine ulla utilitate purum servavi cor meum et lavi manus meas in innocentia (hebr Hier), ab omni scelere abstinui, vixi sine culpa — et nihilominus v. 14 *fui flagellatus tota die et castigatio mea* singulis matutinis praesto est, continuo affligor ; « singuli solis exortus pene aliquam novam afferunt molestiam » (*Gen.*). Estne pietas et probitas inutilis ? Ab hac conclusione refugit animus v. 15 *si dicebam : narrabo sic*, si serio dicerem ; sic profiteor, ecce generationem filiorum tuorum reliqui (Hier), tunc me separassem a filiis Dei, ab eis discessissem (*Ag.*) ; statuerem doctrinam, qua omnis probitas funditus everteretur. Ex absurda conclusione reiicitur negatio providentiae, ac si Deus nullam haberet curam filiorum suorum, pii populi sui ; ea negatione magnam contra populum committi ait perfidiam (cf. בגד).

Ex absurda sequela evidens est non posse negari providentiam divinam. Verum quomodo illa potest consistere cum prosperitate impiorum? quomodo difficultas directe solvitur? v. 16 et cogitavi, *ut cognoscerem hoc; labor est* in oculis meis; quaestio haec spinosa me vexavit; diu de ea meditatus sum; res mihi perdifficilis videbatur, v. 17 *donec intrem in sanctuarium Dei*, LXX. syr; in sanctuaria Dei (hebr, Sym. Hier targum); solutionem invenit in templo, in pia ad Deum oratione. Aliqui pluralem numerum hebr explicant mysteria Dei (Sap. 2, 22), sed pluralem etiam de templo posse concipi, probatur ex Ier. 51,51 : alieni venerunt super sanctuaria domus Dei; praeterea : donec intravi in mysteria Dei, de singulari quadam revelatione ei data, non apte diceretur; secreta autem sacra ad quae psaltes admissus vel initiatus sit, non erant apud Israelitas; *et intelligam in novissimis eorum*, (et donec) adverti ad finem eorum. Et quale est novissimum eorum, vel tempus futurum, pro ipsis? v. 18 in lubricis posuisti eos, praecipitasti eos in ruinas; *deiecisti eos dum allevarentur*, ex alto gradu, ubi securi consistere videbantur, subito deturbasti eos; v. 19 *quomodo facti sunt in desolationem*, in horrorem subito, *defecerunt*, *perierunt* terroribus. Et quomodo impii et tota eorum prosperitas celeriter concidant, exemplo declaratur v. 20 *velut somnium surgentium*, sicut somnium evanescit simul ac quis evigilat. ita ruit eorum felicitas nec quidquam iis remanet; hebr sicut somnium post excitationem; *in civitate(tua) imaginem eorum* despicies, Domine; imago, species, memoria eorum contemptui traditur; בעיר explicatur in targum : in evigilando; unde forma accepta est pro בהעיר; eo modo iam *Houbig. Calm.* et recentiores vocem concipiunt; et *Calm.* sic habet : imaginem eorum despicis, cum surgis, veluti homo qui expergiscens negligit ea quae dormienti sese obiecere. Sed cum legatur *Domine*, explicari debet : cum Dominus evigilet ad opem ferendam, vel ad iudicium faciendum, imaginem eorum despicies (cf. 38, 7); omnis eorum felicitas et pompa est velut imago, et umbra, nihil quod sit solidum et permanens.

Hac sorte impiorum intellecta psaltes redit ad tempus turbationis (v. 2-3) et exponit quid nunc iudicet de illa sua indignatione et zelotypia propter felicitatem improborum v. 21 *quia inflammatum est cor meum*, cum exasperatum esset cor meum et renibus meis cruciarer, ego brutus (eram) et nescius; quam maxime damnat suam indignationem; *ut iumentum factus sum apud te*; ita repetit prius illud, quod vulg effert : *ad nihilum redactus sum*, sym ἄμην δὲ ἀνεπιστήμων, Hier insipiens. Vivide nunc apprehendit quam sit stultum de vana illa et evanida impiorum felicitate indignari, quam tanta excipiat miseria (v. 18-20). Et ex hac cognitione simul intelligit bonum vere perdurans contineri in Deo.

In oppositione ad fallacem illam felicitatem nunc cum magna animi laetitia veram depingit in Deo et cum Deo beatitatem : v. 23 *et ego semper tecum* ; idque sequentibus accuratius exponitur : *tenes manum dexteram meam*, me continuo sustentas, ne cadam, insuper *et in voluntate tua*, secundum consilium tuum *deduces me*, in semitis vitae secundum benignum tuum consilium me diriges, *et postea in gloria suscipies me* (hebr, Hier). En qualis oppositio ad v. 18. 19 ; non in lubrico loco ego positus sum, sed Dominus me sustentat, me consilio suo ducit — et postquam per vitam me duxit, me suscipiet in gloriam — en finis meus, novissimum ad quod perveniunt pii, in oppositione ad novissimum (ad tempus futurum post mortem) impiorum. Agi hic in utraque parte de conditione post mortem disertis verbis *Duhm* quoque agnoscit et merito monet *Baethgen* : illud suscipere post deductionem in vita solum intelligi potest de ingressu in gloriam Dei in altera vita. Hebr כבוד potest explicari vel per modum adverbii gloriose, vel tamquam terminus ad quem post verbum suscipiendi in gloriam.

Unde tanquam solum et summum bonum praedicat hoc unum : semper esse cum Domino v. 25 *quid enim mihi est in coelo et a te quid volui super terram*, hebr et tecum nihil desidero in terra, id est praeter te nil desidero ; si te habeo (tecum), iam non est quod appetam. Nam v. 26 *defecit caro mea*, si caro mea consumpta est et cor meum (sensus meus), si mortem obiero, tunc robur cordis mei *et pars mea Deus* (est) *in aeternum* (hebr Hier) ; aliqui concipiunt *defecit* de ardenti desiderio quo corpus et cor tabescat ; sed in hac significatione requiritur obiectum. neque haec notio satis congruit cum membro parallelo ; bene vertit Hier : consumpta est caro mea et cor meum, exprimitur conditio qua impleta alterum consequitur. Quae conditio ita enuntiatur, ut non tam de magna quadam afflictione, quam de iis intelligatur oporteat quae mortem consequuntur. Deus est in aeternum pars piorum ; v. 27 *quia ecce qui elongant se a te peribunt*, pereunt ; perdis omnem fornicantem abs te ; qui ex populo Dei alium deum sequitur dicitur fornicari, seu etiam adulterare, foedere sacro cum Deo quod iniit violato (cf. Os. 1,2 ; 2,1. Ier. 3, 2.8 etc.). Perditio ipsa oppositione cum antecedente explicatur : eorum pars non Deus erit, sed interitus : quomodo facti sunt in stuporem scil. a momento mortis et deinceps (v. 19 ; *Duhm*).

Unde, ne perditio occurrat et omissio omnis boni, v. 28 *mihi autem adhaerere Deo* et ego — appropinquare Deo mihi *bonum est* ; posui in Domino Deo spem meam (hebr, Hier). vel refugium meum, ut enarrem omnia opera tua (hebr, operum tuorum praeconia ; *ut annuntiem omnes praedicationes tuas*, laudes tuas, *in portis filiae Sion*, in portis

Ierusalem, ubi convenire solent cives, ergo palam, publice, coram coetu civium. Quod itaque ipse didicit in sanctuario Dei (v. 17-28), hoc etiam publice annuntiare vult ; didicit autem πάσας τὰς αἰνέσεις σου LXX Deum in omnibus suis dispositionibus esse laudandum. Ut Hier scribit (ep. ad Sun. et Fret. n. 45) vertit Aq ἀγγελίας σου, nuntios tuos, LXX τὰς ἐπαγγελίας promissa ; sed hodie legitur apud LXX πάσας τὰς αἰνέσεις σου. « in portis filiae Sion nec in hebr est nec in vaticano optimo codice, sed sumptum videtur ex Ps. 9, 15 » (*Ag.*) ; sed in editionibus nihil annotatur verba illa deesse in codice vaticano.

Ps. 73.

1. *Intellectus Asaph.*

Ut quid Deus repulisti in finem, | *iratus est furor tuus super oves pascuae tuae?* | 2. *Memor esto congregationis tuae quam possedisti ab initio,* | *redemisti virgam hereditatis tuae,* | *mons Sion, in quo habitasti in eo.* | 3. *Leva manus tuas in superbias eorum in finem ;* | *quanta malignatus est inimicus in sancto.* | 4. — *Et : gloriati sunt qui oderunt te in medio solemnitatis tuae,* | *posuerunt signa sua signa.* | 5. — *Et non : cognoverunt sicut in exitu super summum ;* | — *quasi : in sylva lignorum securibus* | 6. *exciderunt ianuas eius in idipsum,* | *in securi et ascia deiecerunt — eam :*

7. *Incenderunt igni sanctuarium tuum,* | *in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* | 8. *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul :* | *quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.* | 9. *Signa nostra non vidimus ; iam non est propheta,* | *et nos non cognoscet amplius.* | 10. *Usquequo Deus improperabit inimicus,* | *irritat adversarius nomen tuum in finem ?* | 11. *Ut quid avertis manum tuam,* | *et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem ?*

12. *Deus autem rex noster ante saecula* | *operatus est salutem in medio terrae.* | 13. *Tu confirmasti in virtute tua mare,* | *contribulasti capita draconum in aquis.* | 14. *tu confregisti capita draconis,* | *dedisti eum escam populis Aethiopum.* | 15. *Tu dirupisti fontes et torrentes,* | * *tu siccasti fluvios Ethan :* | 16. *Tuus est dies, tua et nox, tu fabricatus es auroram et solem,* | 17. *tu fecisti omnes terminos terrae,* | *aestatem et ver, tu plasmasti ea.* | 18. *Memor esto huius : inimicus improperavit Domino,* | *et populus insipiens incitavit nomen tuum.*

19. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi,* | *et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.* | 20. *Respice in testamentum — tuum :, quia repleti sunt,* | *qui obscurati sunt terrae domibus iniquitatum.* | 21. *Ne avertatur humilis factus confusus,* | *pauper et inops laudabunt nomen tuum.* | 22. *Exsurge Deus, iudica causam tuam,* | *memor esto improperiorum tuorum, — eorum quae : ab insipiente — sunt : tota die.* | 23. *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum,* | *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

Domine, cur iratus es in populum, hereditatem tuam ? Vide superbiam et vastationem hostium et quanta in tuo sanctuario contriverint

(v. 1-6) ; templum incenderunt, cultum Dei abolere volunt ; nos sumus omni ope destituti, dum hostes impune blasphemant (v. 7-11). Et tamen Dominus est rex noster, qui olim mirabilia magna pro nobis patravit et cuius potentia continuo in cursu temporis elucet ; et talem Deum blasphemant hostes (v. 12-18). Ne tradas populum tuum hostibus tuis, memor foederis, tuere nos, tuere causam tuam et gloriam tuam vindica ab adversariis (v. 19-23).

Ad quodnam tempus refertur psalmus hic ? Ad invasionem et destructionem a Chaldaeis effectam haud multi psalmum aptari censent (Calm. Cornely, Riehm) ; ad tempus Machabaicum et templi profanationem sub Antiocho Epiphane factam spectare psalmum censent Theodorus mops., aliqui apud Theodoretum, anonymus in catena Cord et alius quidam apud Theod. Corderius, Patrizi, et e recentioribus plerique (cf. Hitzig, Delitzsch, Baethgen, Duhm). Veteribus pluribus visum est non agi de tempore Chaldaeorum ; nam eo tempore aderant prophetae ; neque agi de vastatione sub Antiocho, quia tum templum non est incensum ; quare concludunt prophetice praedici destructionem templi per Romanos, ad quod tempus unice quoque congruat : repulisti in finem. Ita arguunt Eusebius, Theodoretus ; et de Romanis pariter explicant Theod heracl. Athanasius, alius quidam in catena Cord., Augustinus. Aliquibus videtur nullum certum tempus posse assignari (cf. Hoberg, Pannier). Potest tamen bene referri ad destructionem tempore Chaldaeorum ; vide Commentarium ad v. 9.

Non incusantis esse vocem, sed obstupescentis, quod tam benignus exsistens ipsos tanta pati permiserit, ait Theodorus heracl. ; *ut quid*, cur, *repulisti in finem*, in perpetuum, est modus loquendi diu iam exspectantis auxilium et tandem interpellantis Deum cum aliqua impatientia et quaerentis, velitne semper negare subsidium ; *iratus est*, fumat, *furor tuus*, *super oves pascuae tuae*, Israel grex Domini cf. Is. 63, 11 ; Ier. 13, 17 ; 23, 1. Miseratio Dei imploratur v. 2 commemoratis beneficiis : en, est coetus quem *ab initio*, tibi acquisivisti, eductione ex Aegypto (Ex. 19, 5. Ier. 2, 2 ; *redemisti* ex servitute aegyptiaca *virgam* tribum *hereditatis tuae*, stirpem hanc quam elegisti tibi in possessionem ; cf. Ier. 10, 16 Israel virga (tribus) hereditatis eius ; Deut. 9, 26.29 sunt populus tuus et hereditas tua ; 3 Reg. 14, 16. Is. 19, 25 ; 47,6 etc. in Sion elegisti tibi habitaculum 9, 12 ; 67, 17-19. 2. Reg. 6, 16. Is. 8, 18. At nunc, quae est nostra conditio ? v. 3 hebr leva gressus tuos ad ruinas perpetuas, totum disperdidit inimicus in sanctuario ; vade ad locum templi, ecce ruinae iam a longo tempore ; cuncta pessime vastavit inimicus. LXX vulg v. 3 *leva manus tuas in superbias eorum in finem*, percute superbiam et iactationem eorum

continuam, quam iam diu efferunt ; pessime egit inimicus in sanctuario. Idque accuratius enarratur v. 4-8 ; templum profanarunt v. 4 fremuerunt, rugierunt adversarii tui *in medio solemnitatis tuae*, in loco solemnitatis, in templo (*Ag. Gen.*), מועד conventus, hic certe locus conventus, templum ; *posuerunt signa sua signa*, vexilla sua et signa, seu symbola belli posuerunt in templo trophaea ; bene Hier : posuerunt signa sua in tropaeum. Quod sequitur LXX, vulg *et non cognoverunt sicut in exitu super summum*, intelligi nequit (neque Aq ἐγνώσθη ὡς εἴσοδος εἰς ἄνω. et similiter Theod sensum clarum praebent) ; intelligitur quod Sym habet ἔθηκαν τὰ σημεῖα αὐτῶν ἐπισήμως γνώριμα κατὰ τὴν εἴσοδον ἐπάνω, cum secutus est Hier : posuerunt signa sua in tropaeum manifesta desuper in introitu. Uti textus hebr iacet, dicitur : (inimicus) cognoscitur sicut elevans in altum in dumeto (in densa silva) secures et tunc sculpturas pariter bipenni et dolatoriis (securibus, malleis ?) contundunt. Similia habentur apud LXX vulg *quasi in silva lignorum exciderunt ianuas eius*, templi, *in securi et ascia deiecerunt eam* (αὐτήν, ἑορτήν, eam scil. sollemnitatem i.e. locum sollemnitatis). Quomodo saevierint in loco sacro, satis exprimitur. Pariter ianuas praebent Sym, syr ; sculpturas hebr Hier targ.

Insuper v. 7 miserunt ignem in sanctuarium tuum (Hier) ; in terram (prostraverunt) contaminaverunt habitaculum nominis tui ; cf. 3 Reg. 9, 3 dicit Deus de templo, ut ponerem nomen meum ibi, scil. manifestationem suam et singularem praesentiam. Neque tali vastatione contenti v. 8 apud se statuerunt : *quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*, τὰς ἑορτάς ; legitur eadem vox, sicut in v. 4, quam ibi explicavimus locum conventus ; unde potius etiam hic non dies festos Dei tollere volunt, sed loca destruere, in quibus festa Dei aguntur ; quare merito *Ag. Gen.* explicant hebr : combusserunt omnes synagogas Dei, omnia loca sacra in terra. In hebr legitur ניגם, syr perdamus eos, LXX ἡ συγγένεια αὐτῶν, Sym, targum filii eorum. Sed tum haberetur sententia haec : dixerunt in corde suo cognatio eorum simul (seu filii eorum), combusserunt omnia loca sacra Dei in terra ; ergo debet exprimi quid dixerint ; si itaque a verbo ינה nequit explicari : opprimamus eos, ad coniecturam erit confugiendum ; emendat *Duhm* : ניגב expellamus eos.

Et in tali luctuosa rerum conditione Deus populo suo non fert opem v. 9 *signa nostra non videmus*, olim Deus modis manifestis nobis succurrit ; nihil tale nunc experimur ; conqueruntur Deum consuetam suam curam populo subtraxisse ; nullo indicio, nullo signo meliorem portendi spem. Imo unum ex consuetis signis deesse : *iam non est propheta* ; evenit itaque quod praedixit Amos : immittam famem in

terra, non famem panis, sed audiendi verbum Domini (8,11) et Lam. 2, 9 prophetae non invenerunt visionem a Domino ; cf. Ez. 7,26. Os. 3,4 ; 9,7. Mich. 3,7. Notant tempore chaldaico non defuisse prophetas ; verum erantne ubique prophetae ? ubi erat in Palaestina propheta, postquam Ieremias in Aegyptum cum populo abiit ? en tempore Danielis dicit Azarias : non est in tempore hoc princeps, dux propheta (Dan. 3, 38). Et quo sensu non adsit propheta, etiam declaratur hebr : et non nobiscum sciens (non est qui sciat) : usque quo ; quando futurus sit finis malorum ; « neminem habemus qui sciat quousque duratura sint haec » (*Gen*) ; et Hier : et non est nobiscum qui sciat usquequo. LXX, vulg *et nos non cognoscet amplius* ; Deus ; videtur Deus curam de nobis reliquisse, nos tamquam suum populum iam non agnoscere.

Verum agitur de Dei gloria, cuius curam Deus relinquere non potest ; quare efficax fit compellatio v. 10 *usquequo Deus improperabit inimicus* ; num blasphemabit adversarius nomen tuum perpetuo ? potestne Deus semper id fieri permittere ? v. 11 *quare avertis manum tuam et dexteram tuam* ? gestus est hominis nolentis auxilium ferre et manum auxiliarem porrigere (*Gen.*) ; non porrigit manum, sed eam quasi convertit et abscondit in sinu, seu retinet ; in altero membro compellatur Deus : e medio sinu (educ, targum) et consume (hebr ; cf. Hier) ; ita hebr *Gen.* bene explicat ; similiter Sym, quinta.

Qualia signa Deus olim populo dederit et quomodo olim manum suam protulerit ad hostes deiiciendos, apte nunc in memoriam revocatur ; v. 12 *Deus, rex noster* ab initio, ex tempore antiquo, operans salutes in medio terrae, v. 13 tu fidisti fortitudine tua mare ; ita hebr intellexerunt Sym σὺ διεσκέδασας, Theod σὺ διέστησας. Hier tu dissipasti ; item syr tu divisisti mare et targum ; LXX, vulg *confirmasti*, solidum effecisti mare rubrum, ut filii Israel transirent ; *contribulasti capita draconum in aquis* ; cf. Is. 51,9. 10 ; v. 14 *tu confregisti capita draconis* ; cf. Is. 27,1 ; allusio ad clades hostium, ad Aegyptios et duces eorum in mari mersos : *dedisti eum escam* populo, bestiis deserti ; cadavera Aegyptiorum in litus eiecta in escam fiebant bestiis (cf. Ex. 14,31) ; LXX, vulg *populis Aethiopum*, explicant, Aethiopes quoque spolia collegisse Aegyptiorum mortuorum. Alia signa sunt et auxilia praestita v. 15 *tu dirupisti fontes*, diffindendo eduxisti fontes cf. Ex. 17,6. Num. 20,8 ; 21,16 ; dirupisti, diffidisti *torrentes*, uti aquas Iordanis (Ios. 3,13. 16) ; *tu siccasti fluvios Ethan*, fluvios perennes, qui semper fluunt et distinguuntur ab iis qui aestate aquis carent ; targum : tu siccasti vada Arnon, Iaboc et Iordanis ; refertur quoque ad transitum maris rubri ; vide Ex. 14,21 abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente tota nocte et vertit in siccum ; et Ios. 17 sacerdotes qui portabant arcam

stabant super siccam humum in medio Iordanis ; Is. 51,10 numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis. Perperam huc inferre vult *Duhm* mythum explicans sermonem esse de primordiali lucta Dei cum monstro marino et eius adiutoribus, quae lucta comitata sit creationem mundi. De tali lucta utique fabulantur Babylonii ; at nihil tale reperitur in narratione de creatione (Gen. 1.2 ; Ps. 103) ; in opere creationis Deum laudabant astra matutina et iubilabant omnes filii Dei (Iob 38,7 — en « mythologia » biblica plane diversa !)

Dei potentiam et providentiam experimur in vita quotidiana v. 16 *tuus est dies et tua est nox* ; « tui opificii, iuris, ditionis et potestatis ; diei et noctis es creator et moderator » (*Gen.*) ; *tu fabricatus es auroram et solem*, hebr luminare et solem, Aq Sym Theod φωστῆρα καὶ ἥλιον, LXX ἥλιον καὶ σελήνην, *tu fecisti omnes terminos terrae*, statuisti, *aestatem et ver*, aestatem et hiemem (hebr, Hier) *tu plasmasti ea* ; describitur Deus rerum omnium creator et perpetuus gubernator.

Et talem Deum opprobrio afficiunt inimici ; v. 18 *memor esto huius*, Deus memor esto horum, quae olim pro nobis fecisti, memor esto tui in omnes res imperii et administrationis ; et pro hac tua maiestate, ne feras opprobria hostium, *et populus insipiens* blasphemat nomen tuum (Hier) ; Deus suae dignitati debet ne ii super quos invocatum est nomen eius, qui vocantur ex nomine eius, populus Dei, relinquantur in potestate blasphemantium. Unde v. 19 ne tradas bestiae animam turturis tuae (hebr), populi tui inermis et debilis ; veteres non תור sed תורה exprimunt Sym Hier animam eruditam lege tua, targum animas docentium legem tuam ; LXX, syr legisse videntur תודך (cf. Ps. 76,11 hebr) animam confitentem tibi ; *et animas pauperum tuorum*, et vitae pauperum tuorum (hebr. Hier), *ne obliviscaris in finem*, in perpetuum. Deus videtur oblivisci, quamdiu et quatenus opem non fert. Ut tandem auxilietur, v. 20 *respice in testamentum tuum*, respice foedus ; fidem Dei appellat et implorat ; Deo proponens foedus cum patriarchis et cum maioribus initum et promissa foederis, quae brevi illa formula continentur : vos populus meus et ego Deus vester (Ex. 6,7 ; 19,6. Lev. 26,12. Deut. 7,6 ; 14,2) ; terra quoque est hereditas Domini (cf. 36, 29). Verum quae iam cernitur conditio a foedere maxime aliena ? textus hebr ita fert : nam plena sunt tenebrosa terrae habitaculis violentiae ; sensus videtur esse : terra infelix oppleta est domiciliis violentiae, in terra hac calamitosa dominatur violentia. Quem sensum syr exhibet : impletae sunt habitationes terrae tenebris et iniquitate ; cf. v. 6-8. 10. Cum parva emendatione textus hebr melius ita verti potest : ii qui obscurum (malum) faciunt repleverunt terram locis violentiae (ita *Graetz*). Textus LXX vulg nequit intelligi.

Proposuit psaltes Deo miserabilem aspectum terrae, nunc effert miserum populi statum, utrumque contra promissa foederis — v. 21 *ne avertatur humilis factus* (populus tuus) *confusus*, ne permittas, ut afflictus tuus populus cum confusione et ignominia repudietur, hebr ne revertatur, vel alia punctatione. ne habitet (populus tuus) oppressus et confusus. Quare efflagitat v. 22 *exsurge Deus*, ne ultra quiescas, surge ad nos iuvandos ; *iudica causam tuam*, tuere tuum ius, tuum foedus ; audi improperia, quae tibi fiunt continuo *ab insipiente* ; v. 23 *ne obliviscaris voces inimicorum tuorum* ; *superbia*, hebr sonitus, tumultus, adversariorum tuorum (surgentium contra te, rebellium) *ascendit semper* ; hebr melius iungas cum ne obliviscaris tumultum ascendentem iugiter ; iactationem et exsultationem adversariorum, quae est continua quaedam in Deum ignominia ; ita causa populi est ultimatim ipsius Dei causa, de cuius honore et gloria agitur.

Ps. 74.

1. *In finem. Ne corrumpas. Psalmus Cantici Asaph.*

2. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur, | et invocabimus nomen tuum, | narrabimus mirabilia tua.*

3. *Cum accepero tempus, | ego iustitias iudicabo. | 4. Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea ; | ego confirmavi columnas eius. | 5. Dixi iniquis : nolite inique agere ; | et delinquentibus : nolite exaltare cornu. | 6. Nolite extollere in altum cornu vestrum, | — nolite : loqui adversus Deum iniquitatem.*

7. *Quia neque ab oriente neque ab occidente, | neque a desertis montibus, | 8. Quoniam Deus iudex est, | hunc humiliat et hunc exaltat ; | 9. quia calix in manu Domini | vini meri plenus misto ; | et inclinavit ex hoc — in hoc : | verumtamen faex eius non est exinanita, | bibent omnes peccatores terrae.*

10. *Ego autem annuntiabo in saeculum, | cantabo Deo Iacob.*

11. *Et omnia cornua peccatorum confringam | — et : exaltabuntur cornua iusti.*

Laude Dei seu gratiarum actione praemissa (v. 2) inducitur Deus loquens : suo tempore se iudicaturum, in omnium perturbatione se firmum praebiturum statum et superbos deiecturum (v. 3-6). Eius iudicio omnia subduntur ; calicem irae Domini usque ad fundum bibent omnes iniqui (v. 7-9). Psaltes autem, ut incepit a laude, ita concludit v. 10.

A suo loco aberravit v. 11 ; uti ex prima iam persona *confringam* elucet, pertinet ad Dei iudicis locutionem, quam apte absolvit iudicio in impios et iustos diverso.

Quod in antecedente psalmo expetebatur, in hoc cum laude et gra-

tiarum actione impletum esse agnoscitur; unde v. 2 laudamus te, vel gratias agimus tibi - et pro magnitudine affectus repetitio fit; hebr et prope est nomen tuum, i. e. tuum adiutorium et manifestationem nominis tui experti sumus; lectionem hebr exprimit targum, sed LXX syr *invocamus nomen tuum*; LXX ἐκδιηγήσομαι, vulg. *narrabimus mirabilia tua*, similiter syr; textus hebr emendetur oportet secundum LXX et syr; alii coniiciunt: qui invocant nomen tuum narrant mirabilia tua i. e. pii cultores Dei.

Deus inducitur loquens, ac si ad querelas: usquequo 73,10.22 responderet: v. 3 *cum accepero tempus*, si sumpsero tempus statutum, *ego* recta *iudicabo*, statuto tempore, quando ego momentum temporis eligo, tunc fiet secundum ius et aequitatem iudicium. Ergo tempus iudicii eligitur ex Dei beneplacito, quando sibi videtur opportunum tempus — non ob querelas hominum. Bene notat *Eus.* ad v. 4 *liquefacta est terra* « haec porro praecedentis psalmi dictis affinia sunt » et recitat 73,5-7; si terra et incolae terrae propter iniurias et oppressiones perire videntur, *ego confirmavi columnas eius*, Deus fundamenta terrae ita stabilivit, ut perire nequeant; fundamenta autem vel columnae quibus ordo rerum constituitur inter homines est iustitia; hanc Deus in perpetuum firmavit; saeviant igitur impii (uti 73, 5-7). Deus rectum rerum ordinem potenter restituet. Ita fere explicat *Calm.*: « si vastata iacet Iudaea, si manus meae pondus nunc experitur, illam et restaurare et locupletiorem efficere quam prius queo ». Brevi: in omni rerum perturbatione firmum manet Dei regimen.

Et quomodo columnas terrae, firmum rerum ordinem stabiliverit, explicatur sequentibus: praecipit iustitiam, punit transgressores; v. 5 *dixi iniquis*, hebr dixi vesanis; nolite insanire; et impiis: *nolite exaltare cornu*, nolite superbire, extollere potentiam; et v. 6 *nolite extollere in altum*, contra coelum, *cornu vestrum*, nolite loqui in (cum) collo protervo (hebr), Hier in cervice veteri Sym λαλοῦντες τραχήλῳ ἀνομίαν, syr ne loquamini collo erecto, targum loquentes in fortitudine et opprobriis; LXX vulg *nolite loqui adversus Deum iniquitatem*, legerunt proin בצור contra petram (Deum) pro hebr בציאר in collo (quam lectionem Aq quinta exprimunt), cf. Iob 15,26 cucurri adversus eum collo erecto. At lectio LXX vulg commendatur parallelismo: extollere in altum (in coelum) — loqui adversus Deum, eamque adoptant *Baethgen*, *Wies.*: nolite loqui contra petram (gegen den Fels; cf. 17,2). Reprehenduntur irrisores cultus Dei, religionis. Haec dicuntur contra contemptores Dei et sanctuarii eius; cf. Ps. 73,3-8.18.23.

Deus iustitiam mandavit. Ipse punit transgressores. Ab ipso itaque oppressi auxilium exspectare debent, non ab ulla potestate humana

v. 7 *neque ab oriente, neque ab occidente* neque a solitudine montium (Hier) — est aposiopesis : erit vobis auxilium — *sed Deus iudex est, hunc humiliat, hunc exaltat*, Sym ἀλλ' ὁ θεὸς κριτής, qui ut iudex, secundum iustitiae normam alios deiicit, alios elevat (1 Reg. 2,7. Iob 5,11). Haec administratio iustitiae exprimitur symbolo : habet Deus calicem in manu, sua cuique portio datur. Hic praeprimis agitur de calice furoris Domini (Ier. 25,15) qui describitur vino meraco usque ad plenum mixtus et ex eo propinabit (Hier) ; singulis *inclinat*, ut bibant ; inclinat ex hac parte in aliam partem (*Gen.*) ; verumtamen faeces eius epotabunt bibentes omnes impii terrae (ita Hier vertit hebr) ; bibent calicem usque ad fundum, faeces haurient peccatores, ea scil. quae amarissima et acerrima in calice sunt.

Psaltes autem, uti incepit, ita Deo laudes dicit pro iudicio v. 10. In v. 11 exemplo declaratur illud : hunc humiliat, hunc exaltat : potentia impiorum conteretur, iusti exaltabuntur ; versus perperam in fine ponitur ; lege eum post v. 6.

Ps. 75.

1. *In finem. In laudibus. Psalmus Asaph. Canticum — ad Assyrios :*

2. *Notus in Iudaea Deus ;* | *in Israel magnum nomen eius.* | 3. *Et factus est in pace locus eius,* | *et habitatio eius in Sion.* | 4. *Ibi confregit potentias arcuum,* | *scutum, gladium et bellum ;* | 5. *illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis,* | 6. *turbati sunt — omnes : insipientes corde.* | *Dormierunt somnum suum,* | *et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* | 7. *Ab increpatione tua, Deus Iacob,* | *dormitaverunt qui ascenderunt equos.*

8. *Tu terribilis es, quis resistet tibi ?* | *ex tunc ira tua.* | 9. *De coelo auditum fecisti iudicium ;* | *terra tremuit et quievit,* | 10. *cum exsurgeret in iudicium Deus,* | *ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.* | 11. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi.* | *— et : reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.* | . 12. *Vovete et reddite Domino Deo vestro ;* | *omnes qui in circuitu eius affertis munera,* | *terribili,* 13. *et ei qui aufert spiritum principum,* | *terribili apud reges terrae.*

Deus in Israel se gloriosum exhibuit et terribili clade hostes contrivit (v. 2-7). Maiestate terribili causam pauperum tuetur ; ei persolvant vota et sui et exteri (v. 8-13).

De inscriptione graeca πρὸς τὸν Ἀσσύριον notat *Theod.* : « additionem Assyrii non inveni in hexaplo, sed in aliquibus exemplaribus ». Psalmum referri ad cladem Sennacherib (4 Reg. 19. Is. 37) censent Theod. anonymus in catena Corderii, Theodorus heracl. Ag. Calm. Hoberg, Cornely. Cete-

rum cf. Ps. 45.47. Alii malunt psalmum intelligere notione generali, qua praedicatur victoria electorum Dei (sensu messiano); ita Athanasius, Eusebius, Apollinarius in catena Cord., ipse Corderius, Genebrardus, etc.

Deus in sua potentia et maiestate se manifestavit et ut talis *notus*, cognitus et agnitus est *in Iudaea* et nomen eius celebre ac gloriosum in Israel; Iuda, Israel — ob parallelismum membrorum ita dividitur sententia simplex : notus in populo suo. Quae sit eius in populo sedes et praesentia singularis, dicitur v. 2 et factum est in Salem tabernaculum eius et habitatio eius in Sion (Hier), Salem cf. Gen. 14,18-20, in Salem Melchisedech rex erat; fortasse cum allusione ad eventum antiquum nomen Salem pro Ierusalem est electum. LXX, vulg etymologice vertunt ἐν εἰρήνῃ, *in pace*, in tabulis a Tell Amarna dictis urbs Urusalim vocatur. Quomodo Deus se notum reddiderit sedem habens in Sion, explicatur v. 4 *ibi confregit potentias arcuum*, hebr fulmina (Hier volatilia) arcuum, i. e. sagittas, *scutum*, *gladium*, *bellum*; cf. 45,10. Is. 9,4. Ier. 49,35. Os. 2,18; declaratur illud *ibi* v. 5 *illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis*, a monte Sion quem olim sibi elegerat; « quinam montes illi aeterni, nisi Sion et Salem, de quibus superius actum » (*Eus.*)? exinde Deus φωτίζεις (LXX), emittit radios lucis suae; ceterum Aq φωτισμὸς σὺ ὑπερμεγέθης, Sym ἐπιφανὴς εἶ, ὑπερμεγέθης, illustris es, syr splendens, Theod φοβερὸς εἶ, θαυμαστὸς εἶ, terribilis es; targum effert utrumque splendidus, terribilis; hebr legitur נאדר, sed erit legendum cum Theod נורא φοβερός, terribilis tu, magnifice, ἀπὸ ὀρέων αἰωνίων LXX secundum quam lectionem emendandus est textus hebr (*Duhm*, *Baethgen*).

Terribilem sese exhibuit v. 6 spoliati sunt superbi corde (Hier), robusti corde (hebr); bellatores armis spoliati sunt, occisi ac spoliati; inde *dormierunt somnum suum*, neque invenerunt omnes viri exercitus manus suas (hebr, Hier) i. e. non habebant ullum robur ad pugnandum; viribus plane destituti sunt; hebr חיל Aq Sym οἱ ἰσχυροί, LXX τοῦ πλούτου, *divitiarum* vulg, Hier exercitus; impotes facti sunt bellatores v. 6 *ab increpatione tua*, consopitus est et currus et equus (Hier), torpore hebetatus est (hebr). Terrore divinitus immisso ita torpore perculsi sunt, ut neque de curribus neque de equis pugnare potuerint, ut aurigae et equites inermes redditi sint.

Hanc divinam potentiam admiratur psaltes v. 8 *tu terribilis*, quis stabit adversum te? simulac irasceris, *ex tunc ira tua*, statim cum irasci coeperis (*Aq.*); v. 9 *de coelo auditum fecisti iudicium*, iudicium de coelo datum et manifestatum est ipsa illa clades hostibus inflicta v. 4-7; significatur propriam Dei sedem esse in coelo; quare opera Dei

coelitus fieri dicuntur ; est scil. sedes Dei umbratilis in Sion, propria in coelo (cf. 67,19.34) ; *terra tremuit*, timuit, γῆ ἐφοβήθη LXX, hebr, *et quievit*, prae timore omnis commotio ac tumultus seu rebellio coercebatur ; sacra quiete et silentio excipiebatur, *cum exsurgeret ad iudicium Deus* pro salute afflictorum et pauperum. Timore, quiete, silentio adumbratur reverentia Deo exhibita ; v. 11 *quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi* ἐνθύμιον LXX videtur dicere considerationem animi ; unde : si homines bene animis perpenderint iudicia Dei pro salute suorum, tunc ei laudes persolvent, et *reliquiae* huius intimae considerationis, eius quasi vestigia et memoria seu recordatio, *diem festum agent tibi*, ita LXX, Deum celebrant, Deo laudes exhibent.

Uti hic versus legitur in textu mass. sensu caret : quia furor hominis te celebrabit et reliquiis furoris te cinges. Eundem textum legerunt Aq Sym Hier ; neque ex syr aut targum quidquam luminis capi potest. Recentiores coniecturas proferunt ; : omnes tribus hominum te laudabunt, reliquiae tribuum tibi festa celebrabunt (*Duhm*) ; Emath in Aram te confitebitur et reliquiae Emath te celebrabunt i.e. gentes quoque ad Dei cognitionem pervenient ; sed cur hoc loco Emath vocatur et solum Emath ? cf. Zach. 9,2.

Demum admonentur ut tali Deo vota faciant et reddant v. 12 ; et *omnes in circuitu eius*, qui habitant in circuitu hereditatis Domini, ergo alienigenae afferent *munera terribili* Deo, qui abscindit, cohibet, *aufert spiritum*, superbiam, *principum*, *terribilis* regibus terrae. Hunc itaque terribilem ut sibi muneribus propitium reddant, nationes circa Iudaeam habitantes adhortatur psaltes ; quod si neglexerint, in ipso nomine pavor (cf. Is. 8,13), terribilis habent expositum, quaenam futura sit eorum sors.

Ps. 76.

1. *In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph.*

2. *Voce mea ad Dominum clamavi, | voce mea ad Deum, et intendit mihi.* | 3. *In die tribulationis meae Deum exquisivi, | manibus meis nocte contra eum, | et non sum deceptus ; | renuit consolari anima mea.* | 4. *Memor fui Dei et delectatus sum ; | — et : exercitatus sum, et defecit spiritus meus.* | 5. *Anticipaverunt vigilias oculi mei ; | turbatus sum et non sum locutus.* | 6. *Cogitavi dies antiquos | — et : annos aeternos in mente habui,* | 7. *— et : meditatus sum nocte cum corde meo, | — et : exercitabar et scopebam spiritum meum.*

8. *Numquid in aeternum proiiciet Deus, | aut non apponet, ut complacitior sit adhuc ?* | 9. *aut in finem misericordiam suam abscindet, | a generatione in genera-*

tionem? | 10. *aut obliviscetur misereri Deus,* | *aut continebit in ira — sua : misericordias suas?* | 11. *Et dixi : — nunc : coepi,* | *haec mutatio dexterae Excelsi.* | 12. *Memor fui operum Domini,* | *quia memor ero ab initio mirabilium tuorum ;* | 13. *et meditabor in omnibus operibus tuis,* | *et in adinventionibus tuis exercebor.*

14. *Deus in sancto via tua,* | *quis Deus magnus sicut Deus — noster :?* | 15. *Tu es Deus qui facis mirabilia,* | *notam fecisti in populis virtutem tuam.* | 16. *Redemisti in brachio — tuo : populum tuum,* | *filios Iacob et Ioseph.* | 17. *Viderunt te aquae, Deus viderunt te aquae,* | *et timuerunt et turbatae sunt abyssi.* | 18. *Multitudo sonitus aquarum,* | *vocem dederunt nubes ;* | *etenim sagittae tuae transeunt ;* | 19. *vox tonitrui tui in rota.* | *Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae,* | *commota est et contremuit terra.* | 20. *In mari via tua et semitae tuae in aquis multis ;* | *et vestigia tua non cognoscentur.* | 21. *Deduxisti sicut oves populum tuum,* | *in manu Moysi et Aaron.*

In tribulationibus iterum iterumque psaltes Deum implorans frustra levamen quaesivit ; memor dierum antiquorum etiam magis incertus haeret (v. 2-7), ita ut quaerat num Deus populum suum penitus abiecerit, misericordiam subtrahat. In hac luctuosa rerum mutatione memoriam renovat operum Dei (v. 8-13) et Dei sublimitatem praedicans recenset mirabilia quibus Deus olim populo suo adiutor exstitit et per Moysen et Aaron praestitit salutem (v. 14-21). Ex recordatione priorum beneficiorum Dei consolationem et spem quaerere videtur in praesenti calamitate.

Psalten iam diutius preces fudisse magno cum desiderio clare effertur in hebr : v. 2 vox mea ad Deum et clamo, vox mea ad Deum et inclinet aurem mihi ; forma hebr cohortativa satis apparet *clamavi* LXX vulg quomodo intelligi debeat ; v. 3 *in die tribulationis* Dominum quaero, manus mea nocte extenta est nec fatigatur (hebr) ; nocte extenditur et non quiescit (Hier) ; nocte manibus ad Deum extentis precatur assidue, uti Sym habet ἡ χείρ μου νυκτὸς ἐκτέτατο διηνεκῶς, syr et non quievit. Solum LXX, vulg *et non sum deceptus* ; id quod ad hebr et ad contextum trahere studet Alg. explicans : non me blandis falsorum consolatorum verbis decipi passus sum, ut ab alio deo opem exquirerem. Psalten assidua sua oratione levamen non invenisse, ipse enuntiat : *renuit consolari anima mea*, anima mea non vult consolationem admittere ; consolari accipe sensu passivo vel reflexivo ; in hac desolatione utique : memor sum Dei, recordari volo Dei (seipsum exhortatur hebr) et gemam ; ipsam recordationem Dei gemitu et suspirio excipit et comitatur. Hebr vertit Hier : recordans Dei conturbabar (similiter Sym, syr, targum). Solum LXX et vulg *et delectatus sum* « verbum *hamah* in laetam partem acceperunt » (*Gen.*) ; et revera de delectatione non esse sermonem, statim annuntiant sequentia : *et exercitatus sum*, hebr iterum forma cohortativa : meditari volo et

languescit spiritus meus ; dum scil. mente volvit et recogitat tribulationes et eas expendit, animo cadit, tabescere sibi videtur.

Prae moerore somnum capere nequit v. 5 *anticipaverunt vigilias oculi mei*, « vigil, inquit, tota nocte permanebam, singulis vigiliis me insomnem reperientibus » (paraphrasis anonymi), Aq κατέσχες φυλακὰς ὀφθαλμῶν μου, Theod ἐκράτησας ; tenuisti vigilias (palpebras) oculorum (*Gen*) et *Ag*. monet « quas vigilias LXX transtulerunt, significare palpebras Hebraei asserunt » ; et ita vertit *Baethgen* : tenes oculorum meorum palpebras, non me sinis somnum capere (*Gen*.). Sed cur subito occurit allocutio ad Deum, quae neque antea nec postea habetur? Sym certe legit hic primam personam ἐκώλυον τὰς ἀναβλέψεις τῶν ὀφθαλμῶν μου, quem sequitur, uti solet, Hier : prohibebam suspectum oculorum meorum ; coniicit *Duhm* ex Cant. 3,8 aliam punctationem : vigiliis alligati sunt oculi mei ; *turbatus sum*, mente vehementer perculsus sum, stupeo et sum elinguis, mutus prae stupore. Et in hoc animi moerore v. 6 *cogito dies antiquos et annos aeternos*, ex longo tempore praeteritos *in mente habeo*, recordor ; scil. opera Dei et beneficia olim populo praestita et *meditor nocte cum corde meo* et exercitor, scrutor de hac re *et scopebam* et scopo (σκοπέω), pervestigo *spiritum meum*, LXX ἔσκαλλον, sarriebam (ut Hier ad Sun. et Fret. , retractatum cogitationum suarum metaphorice a sarculo demonstravit. Ipso verborum cumulo exhibetur quanto studio et quam saepe conditionem tristem praesentem cum beneficiis olim acceptis et gubernatione Dei pristina comparaverit. In v. 7 textus mass. bis corrigatur oportet ex LXX ; scribe (cum Duhm) הגיתי et fortasse אחפש, quamvis retineri possit : et diligenter inquirit spiritus meus.

Et quisnam fructus exortus est ex illa comparatione et meditatione (v. 6.7)? Si non dubitatio de Dei misericordia, saltem anxia quaestio v. 8 *numquid in aeternum proiiciet Deus*, nos, populum suum? et non repropitiabitur ultra (Hier)? an deinceps iam non favebit? legit *Aug*. et non apponet ultra ut beneplaceat adhuc. Affirmat *Gen*. in emendatis exemplaribus legi complacatior. Anxia sollicitudo repetitis quaestionibus exprimitur v. 9 an deest in perpetuum misericordia eius, an desinit in perpetuum gratia eius ; an cessavit verbum eius (promissio eius) in generationem et generationem (hebr) et v. 10 an oblitus est Deus misereri ; an oblivioni dedit se esse misericordem? aut occlusit *in ira misericordias* suas? num prae ira retinet et cohibet miserationes suas? Ex hac consideratione colligit porro v. 11 *et dixi : nunc coepi*, ut sensus habeatur, supple : nunc coepi intelligere (ita in paraphrasi an. Theod. Apolin. cf. *Ag. Gen*.) : *haec mutatio dexterae excelsi*, manifestum est hanc esse Dei manum ; huius mutationis auctor est Deus.

Ceterum solum LXX praebent νῦν ἠρξάμην, hebr omnes alii explicant : dolor meus est hic, mutatio dexterae excelsi, vel mutatam esse dexteram excelsi ; olim dextera Dei fecit virtutem, brachio excelso et manu extenta magnalia fecit ; nunc haec dextera quiescit. Aq ἀρρωστία μου αὕτη, Sym τρῶτίς μου ἐστίν, Theod quinta ὡδῖνές εἰσιν, Hier imbecillitas mea est haec : commutatio dexterae excelsi ; similiter syr, targum.

Utique huius mutationis documenta nequeunt ignorari v. 12 recordor opera Dei, nam recordari volo ab initio mirabilia tua ; idque repetit v. 13 meditari volo, recogitare in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis perpendendis me exercere. Quam contemplationem in v. 14-21 instituit. Praemittit modum agendi Dei esse sanctum : *Deus in sancto via tua*, sanctae sunt actiones et opera tua ; *quis deus magnus sicut Deus noster ?* nulli potest comparari ; idque probatur v. 15 nam facit mirabilia, *et notam fecisti in populis virtutem tuam*, in potentia tua, *in brachio tuo redemisti populum* ex Aegypto (Ex. 6,6 ; 15,14). Et commemorat magnalia illa v. 17 *viderunt te aquae*, aquae maris potentiam Dei expertae sunt ; *timuerunt* trementes regressae sunt (Ex. 14,21) ; v. 18 *multitudo sonitus aquarum*, LXX πλῆθος ἤχους ὑδάτων, est appositio ad *turbatae sunt abyssi*, gurges abundans sonantium aquarum ; hebr vertit Hier : excusserunt aquas nubila, nubes ; *vocem dederunt nubes*, audiebantur in nubibus tonitrua ; *et sagittae tuae* discurrebant (Hier), fulmina scil. ; v. 19 *vox tonitrui in rota* ; id quod Hier explicat : quando tonitruat Deus, similem vocem facit rotae (*M.* 26,1041) ; sed melius rem concipit *Ag.* depingi Deum curru insidentem tantoque impetu in Aegyptios invectum, ut de rotis divini currus ad terrendos Aegyptios quasi tonitrua ederentur (cf. Hab. 3,8) ; ceterum vide Ex. 14,19.20.27.28 ; 15,8.10 ; *illuxerunt coruscationes tuae*, fulgura illustrarunt orbem terrae ; monent aliqui de eventu Ios. 10,11 narrato. Deus per mare viam aperuit v. 20 et in aquis multis semitas dedit populo (num etiam de aquis Iordanis ?), *et vestigia tua* non cognoscebantur ; ex improviso ades ad salvandum et ad perdendum (*Gen.*). Ad v. 21 vide Ex. 15,13. Num. 33,1. Is. 63,12-14. Mich. 6,4. Ps. 22,2 ; 77,52.

Ps. 77.

Intellectus Asaph.

In hoc psalmo recolitur historia ab egressu ex Aegypto usque ad David regem ad eruditionem populi. In introductione excitatur attentio et assi-

gnatur finis, qui ex rebus gestis colligendus sit (v. 1-8). Commemorata patrum contumacia enarrantur miracula in egressu ex Aegypto : transitus per mare, columna nubis et ignis, aqua ex petra data (v. 9-16). Nihilominus peccarunt tentantes Deum, qui ostendens suam potentiam dedit illis manna et escas carnis et eorum intemperantiam punivit (v. 17-31). At peccare non desierunt ; calamitate afflicti clamabant ad Deum ore, corde aversi ; at Deus misericordiam suam non abstulit (v. 32-39). Eorum contumacia elucet eo quoque, quod non recordati sunt potentiae Dei quam Deus iis ostendit in plagis Aegyptiis inflictis (v. 40-51) ; eiectis nationibus eos induxit in terram ; illi autem Deo relicto secuti sunt idola (v. 52-58) ; quare repulit Deus tabernaculum Silo et tradidit populum hostibus suis (v. 59-64). Nihilominus Deus opem tulit suo populo ; hostes repulit, elegit sibi sanctuarium in Sion et David in regem (v. 65-72).

1. *Attendite populo meus, legem meam!* | *inclinate aurem vestram in verba oris mei.* | 2. *Aperiam in parabolis os meum,* | *loquar propositiones ab initio.* | 3. *Quanta audivimus et cognovimus ea ;* | *et patres nostri narraverunt nobis.* | 4. *Non sunt occultata a filiis eorum,* | *in generatione altera ;* | *narrantes laudes Domini et virtutes eius,* | *et mirabilia eius quae fecit.* | 5. *Et suscitavit testimonium in Iacob ;* | *et legem posuit in Israel ;* | *quanta mandavit patribus nostris— nota facere ea filiis suis,* | 6. *ut cognoscat generatio altera,* | *filii qui nascentur —et : exsurgent, et narrabunt filiis suis ;* | 7. *ut ponant in Deo spem suam* | *et non obliviscantur operum Dei ;* | *et mandata eius exquirant,* | 8. *ne fiant sicut patres eorum* | *generatio prava et exasperans ;* | *generatio quae non direxit cor suum,* | *et non est creditus cum Deo spiritus eius.*

Populares suos admonet, ut *legem*, doctrinam suam bene percipiant ; psalmum vocat in v. 2 *parabolam* hebr, cf. 48.5 ; sermo est parabolicus eo quod doctrinam et admonitiones pro vita continet ; *loquar* aenigmata antiqua (Hier) ; nam in operibus Dei et in moribus populi sunt multa quae admirationem movent et ad solvendum quasi quoddam aenigma, seu problema difficile, invitant. Quae *audivimus* v. 3 et intelligimus (scil. rite percipientes eorum vim ac significationem et quae *patres nostri narraverunt*, v. 4 non abscondemus *a filiis eorum* hebr. *narrantes* generationi posteriori gloriam Domini, potentiam eius et miracula. Statuit v. 5 mandatum *in Iacob*, *legem in Israel*, quae (vel quando) mandavit, ut nota facerent filiis, ut generationes sequentes eadem cognoscerent. Revocatur in memoriam praeceptum illud Deut. 4.9 : docebis ea filios ac nepotes tuos ; cf. Ex. 13,8. 14. Et qualem doctrinam (legem v. 1) colligere debeant ex rebus narratis, declaratur v. 7 spem in Deum, memoriam operum Dei, diligens studium mandata eius observandi, et v. 8 *ne fiant sicut patres eorum*, generatio, quae erat rebellis, non direxit cor suum (ad Deum) ; cf. v. 37 , 1 Reg. 7,3 praeparate corda vestra Deo, 2 Par. 20,33 ; et non fidelis erat spiritus eius cum Deo. Deo minime sincere et fideliter adhaeserunt ; tota eorum indoles erat levis, infida.

9. *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum | conversi sunt in die belli,* | 10. *Non custodierunt testamentum Dei* | *et in lege eius noluerunt ambulare ;* | 11. *et obliti sunt benefactorum eius* | *et mirabilium eius quae ostendit eis.* | 12. *Coram patribus eorum fecit mirabilia* | *in terra Aegypti, in campo Taneos.* | 13. *Interrupit mare et perduxit eos* | *et statuit aquas quasi in utre ;* | 14. *et deduxit eos in nube diei ;* | *et tota nocte in illuminatione ignis.* | 15. *Interrupit petram in eremo* | *et adaquavit eos velut in abysso multa ;* | 16. *et eduxit aquam de petra* | *et deduxit tamquam flumina aquas.*

Ephraim tribus hegemoniam quandam gerebat tempore Iosue et Iudicum (cf. Iud. 3,27 ; 4,5 ; 7,24 ; 8,1) ; sed tamen haec tribus non est electa a Domino v. 67. Haec videtur esse ratio cur psaltes mores populi perversos incipiat describere in filiis Ephrem v. 9 ; isti erant sagittarii ; ad quid referatur eos in die pugnae retrocessisse, disceptatur. Aliqui explicant eos fuisse milites Domini infideles, uti v. 10 11. 57 indicatur ; fortasse cogitari potest de proelio quo capta est arca a Philisthaeis ; arca allata est ex Silo, urbe tribus suae, quare illis quam maxime certandum erat, ut sacrum hoc monumentum in sua tribu depositum servaretur (*Calm.*). Describitur v. 10. 11 eorum perfidia, quae partim ex eo orta est, quia *obliti sunt* opera Dei et miracula quae eis videnda exhibuit. Videntur itaque Ephraimitae saepe malo exemplo aliis fuisse. Describi in v. 10-11 mores generationis posterioris (et proin in v. 9 non fieri posse allusionem ad cladem illam 1 Par. 7, 21. 22), manifestum est ex v. 12 *coram patribus eorum* fecit signa in Aegypto, in campo Taneos (cf. Num. 13,23. Is. 19,11. 13 ; 30,4), Tanis (Zoan) urbs regionis Aegypti inferioris ; in narrationibus Exodi eius mentio non fit. Recensentur v. 13 miracula transitus per mare ; vide Ex. 14,22 ; *statuit aquas quasi in utre*, Hier stare fecit aquas quasi acervum ; locutio נגד ex Ex. 15,8. Ios. 3, 13. 16 ; steterunt aquae valli instar, quasi murus ; de columna nubis et ignis, vide Ex. 13,21 ; Num. 14,14. Scidit petram in deserto et potum dedit quasi de abyssis magnis, i. e. copia maxima ; v. 16 et eduxit rivos de petra ; vide Ex. 17,6. Num. 20,11 — *tamquam flumina deduxit aquas* ; nota poeticam dictionem hyperbolis incedentem ; cf. Deut. 32,13. Is. 41,18. Sap. 11,4.

17. *Et apposuerunt adhuc peccare ei,* | *in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.* | 18. *Et tentaverunt Deum in cordibus suis,* | *ut peterent escas animabus suis ;* | 19. *et — male : locuti sunt de Deo, dixerunt :* | *numquid poterit Deus parare mensam in deserto ?* | 20. *quoniam percussit petram et fluxerunt aquae,* | *et torrentes inundaverunt ?* | *numquid et panem poterit dare* | *aut parare mensam populo suo ?* | 21. *Ideo audivit Dominus et distulit,* | *et ignis accensus est in Iacob,* | *et ira ascendit in Israel ;* | 22. *quia non crediderunt in Deo,* | *nec speraverunt in salutari eius.* | 23. *Et mandavit nubibus desuper,* | *et ianuas coeli aperuit,* | 24. *et pluit*

illis manna ad manducandum, | *et panem coeli dedit eis ;* | 25. *panem angelorum manducavit homo,* | *cibaria misit eis in abundantia.* | 26. *Transtulit austrum de coelo,* | *et induxit in virtute sua africum ;* | 27. *et pluit super eos sicut pulverem carnes,* | *et sicut arenam maris volatilia pennata.* | 28. *Et ceciderunt in medio castrorum eorum,* | *circa tabernacula eorum.* | 29. *Et manducaverunt et saturati sunt nimis,* | *et desiderium eorum attulit eis ;* | 30. *non sunt fraudati a desiderio suo ;* | *adhuc escae eorum erant in ore ipsorum,* | 31. *et ira Dei ascendit super eos,* | *et occidit pingues eorum,* | *et electos Israel impedivit.*

Continuabant peccare et rebelles esse seu contumaces contra Excelsum *in inaquoso*, in regione sicca, in deserto ; Aq ἐν ἀβάτῳ, Hier in invio ; Sym ἐν διψεῖ. Et peccatum eorum demonstratur v. 18 *tentaverunt Deum*, Deus dicitur tentari vel praesumptione vel diffidentia ; mensura et modus rerum sperandarum continetur promissionibus divinis ; qui hanc mensuram excedit praesumptione), qui eam non attingit (diffidentia), Deum tentare dicitur, vel explorare, utrum Deus facere possit annon, vel de eius potentia et fidelitate dubitare. Petunt *escas animabus suis*, i. e. hic bene ex contextu : cupiditatibus suis (*Gen.*) ; et qua mente, quibus in Deum sensibus ? v. 19 maligne quaerunt : *numquid poterit parare mensam in deserto* ? et v. 20 ecce *percussit petram* ; quasi irridentes dicunt : potum dedit ; *numquid et panem dare poterit*, aut praeparare carnem populo suo (hebr, Hier) ? Irrisionem hanc et dubitationem punivit Deus v. 21 *audivit et distulit*, hebr indignatus est Sym καὶ ἐχολώθη, Aq καὶ ἀνυπερθέτησεν i. e. non distulit iram, Hier non distulit, statim enim vindicat : *ignis accensus* ; et ratio affertur v. 22 ex defectu fidei et spei. Nunc subiungitur narratio, qua antecedentia v. 21.22 illustrantur ; *pluit manna*, id quod poetice depingitur v. 23 *mandavit nubibus, ianuas coeli aperuit* ; quare dicitur *panis coeli*, vel hebr triticum coeli (Hier), frumentum coelitus, ex aere delapsum (cf. volucres coeli) ; quod frumentum dicitur in v. 25 LXX vulg. syr *panis angelorum*, targum descendens de habitaculo angelorum, hebr autem panis fortium (Hier), Aq Theod quinta δυναστῶν, Sym μεγάλων et notat *Eus.* : et observa hebraeam vocem non habere *panem angelorum* ; nemo sic interpretatus est, quia neque hebraeum ita habet, ne quis putet angelicas virtutes sensili uti alimento. Et misit eis *cibaria* in saturitatem (hebr, Hier) ; cf. Ex. 16,14 sq.

Etiam carnes eis providit v. 26 *transtulit*, fecit proficisci, eduxit ventum orientalem in coelis (hebr) i. e. in aere super terram, et *induxit in virtute sua africum*, ventum a meridie flantem, austrum, eurum ; hisce ventis adducta est multitudo infinita coturnicum ; hos duos autem ventos coniunge in unum scil. partim flantem ex oriente et partim ex meridie, qui euronotus dicitur (Südostwind) ; v. 28 et

fecit cadere in medio castrorum suorum, circa, seu in circuitu (Hier) habitaculorum suorum ; attende in hebr dici castra Dei et משכן dici de tabernaculo sanctuarii ; cum illud sanctuarium haberet tres partes (atrium, sanctum, s. sanctorum) potest sermo esse de habitaculis ; ceterum vide Ex. 16,13 ; Num. 11,31. In LXX et vulg. bis exprimitur : et *desiderium eorum attulit eis* v. 30 *non sunt fraudati a desiderio suo* ; sed hebr ultimo loco dicitur : et non recesserunt a desiderio suo, Sym οὐκ ἀπέστησαν τῆς ἐπιθυμίας αὐτῶν *adhuc escae eorum in ore eorum*, 31 et *furor Domini ascendit super eos*, cf. Num. 11,33 et iuvenes Israel incurvavit seu prostravit (hebr) ; LXX συνεπόδισεν colligatis pedibus in vincula coniecit ; vulg *impedivit.*

32. *In omnibus his peccaverunt adhuc,* | *et non crediderunt in mirabilibus eius.* | 33. *Et defecerunt in vanitate dies eorum,* | *et anni eorum cum festinatione.* | 34. *Cum occideret eos quaerebant eum ;* | *et revertebantur et diluculo veniebant ad eum ;* | 35. *et rememorati sunt, quia Deus adiutor — est : eorum,* | *et Deus excelsus redemptor eorum — est :* | 36. *Et dilexerunt eum in ore suo ;* | *et lingua sua mentiti sunt ei ;* | 37. *cor autem eorum non erat rectum cum eo,* | *nec fideles habiti sunt in testamento eius.* | 38. *Ipse autem — est : misericors — et : propitius fiet peccatis — eorum :* | *et non disperdet — eos :* | *et abundavit ut averteret iram suam,* | *et non accendit omnem iram suam ;* | 39. *et recordatus est quia caro sunt ;* | *spiritus vadens et non rediens.*

Visis miraculis et suppliciis, neutris deterriti sunt a peccatis. Quare tandem totam illam murmurantium multitudinem in deserto consumpsit ; cf. Num. 14,22 sq. Ad hoc alluditur v. 33 sicut halitum consumpsit dies eorum, et annos eorum in festinatione. Et v. 34 cum percuteret eos, eum quaerebant ; v. 35 *rememorati sunt*, Deum esse petram suam, quia Deus fortitudo eorum (Hier), *et redemptor eorum* ; v. 36 ; fictam eorum poenitentiam pulchre describit (*Gen.*) nam hebr pellexerunt, deceperunt eum ore suo (*Ag. Gen.*), lactaverunt eum in ore suo (Hier) ; LXX ἠγάπησαν, vulg *dilexerunt* falsis sermonibus utentes, ut *Theod.* addit. Notat *Ag.* : « graece potius ἠπάτησαν quam ἠγάπησαν transferretur ; et ita transtulisse LXX puto, sed posteriores religione permotos pro ἠπάτησαν posuisse ἠγάπησαν, quod etiam verbum sequens ostendit *mentiti sunt ei*, cui verbo magis affine est decipere quam diligere ; eorum verba nihil aliud quam fictionem et simulationem habebant » ; syr quoque habet : dilexerunt eum ore suo ; sed targum nugati sunt ei.

Verbis itaque utebantur blandis et bellis, sed fallacibus ; ore simulabant honorare Deum ; at *cor eorum non erat rectum* firmum cum eo, nec fideliter permanserunt in foedere eius ; valet de iis illud : labiis

suis glorificat me, cor autem eius longe est a me (Is. 29,13). Ita fere exhibentur quoque Iud. 2,18.19. Populum non esse abiectum unius misericordiae divinae ratio et effectus est v. 38 ; describitur Deus pronus ad veniam dandam ; saepe avertit iram suam, neque suscitat totum furorem suum, id est, etsi punit, minus punit quam pro culpis iure debuit exigere. Memor est enim pro sua misericordia infirmitatis humanae v. 39 *caro sunt*, res infirma, corrupta, caro symbolum est impotentiae (Is. 31,3) ; *spiritus*, ventus, halitus ; cf. Iac. 4,14 quae est vita vestra? vapor est ad modicum apparens, qui deinceps exterminabitur (*Gen.*) ; cf. 38,6.14 ; iam Gen. 8,14 sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia ; non igitur ultra percutiam omnem animam viventem sicut feci ; et Ps. 102,13-16 miseratio Dei magna exhibetur ex infirmitate humana : recordatus est quia pulvis sumus ; cf. Iob 7,7 ; 13,25. Os. 13,3.

40. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto,* | *in iram concitaverunt eum in inaquoso?* | 41. *Et conversi sunt et tentaverunt Deum,* | *et sanctum Israel exacerbaverunt;* | 42. *non sunt recordati manus eius* | *die qua redemit eos de — manu : tribulantis;* | 43. *sicut posuit in Aegypto signa sua,* | *et prodigia sua in campo Taneos.* | 44. *Et convertit in sanguinem flumina eorum* | *et imbres eorum, ne biberent;* | 45. *misit in eos coenomyiam et comedit eos,* | *et ranam et disperdidit eos;* | 46. *et dedit aerugini fructus eorum,* | *et labores eorum locustae;* | 47. *et occidit in grandine vineas eorum,* | *et moros eorum in pruina;* | 48. *et tradidit grandini iumenta eorum,* | *et possessionem eorum igni.* | 49. *Misit in eos iram indignationis suae,* | *indignationem et iram et tribulationem,* | *immissiones per angelos malos.* | 50. *Viam fecit semitae irae suae,* | *non pepercit a morte animabus eorum,* | *et iumenta eorum in morte conclusit;* | 51. *et percussit omne primogenitum in — terra : Aegypti,* | *primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.*

Misericordia Dei commendatur, quia non obstante multiplici eorum rebellione, inobedientia, incredulitate, tamen eos non abiecit. Nam v. 40 quoties rebellarunt, מרה hiphil cf. Ex. 23,21. Deut. 1,26.43 ; 9,7.23.24 ; 31,27 ; afflixerunt eum in solitudine (Hier), *in inaquoso*, LXX ἐν γῇ ἀνύδρῳ ; v. 41 *et conversi sunt*, et iterum, denuo redierunt scil. ad peccandum, *tentaverunt*, vide v. 18 ; Num. 14,22 tentaverunt me iam per decem vices ; Ex. 17,2. Deut. 6,16 ; *Sanctum Israel* cf. Is. 1,4 ; 5,19.24 ; 10,20 et saepissime ; v. 42 *non sunt recordati manus eius*, potentiae eius cf. Deut. 5,15 eduxit te in manu forti et brachio extento ; 6,21 ; 7,8.19 ; 9,26 ; 11,2 etc. ; bene iungit Hier : et diei, sicut Sym οὐκ ἀνεμιμνήσκοντο τὴν χεῖρα αὐτοῦ, τὴν ἡμέραν, non memores erant diei, qua eos eruit ex hoste, Sym ἐκ τοῦ θλίβοντος, et simili modo pergit Sym τοῦ ποιήσαντος, non memores erant eius, qui fecit in Aegypto signa sua (Hier) ; *in campo Taneos*, vide v. 12 ; cf. Num. 13,22. Is. 19,11. Ez. 30,14.

Sequentia quoque Sym adiungit (ad χεῖρα αὐτοῦ) τοῦ μεταβαλόντος εἰς αἷμα etc. quem sequitur Hier : qui convertit ; sed LXX, vulg, ut hebr *et convertit in sanguinem* ; hebr Nilus dicitur יאר, et pluralis adhibetur de Nili partibus et canalibus (Is. 7,18 ; 19,6 ; 37,25 ; Ez. 29,3) et ita explica hic *flumina eorum* et rivos eorum (Hier), τὰ ῥεῖθρα αὐτῶν Sym ; ita ut aquam eorum iam non bibere possent ; cf. Ex. 4,9 ; 7,17 sq. Haec est ex decem plagis prima. In v. 45 mentio fit prius plagae quartae ערב, misit in eos κυνόμυιαν, omne genus muscarum (Hier), uti vox hebr etiam explicatur in vulg Ex. 8,17 et musca Ex. 8,18.20 ; LXX etiam Ex. κυνόμυια musca canina ; de plaga muscarum corrupta est terra Ex. 8,24. Dein sermo fit de plaga secunda quae erat ranarum cf. Ex. 8,3-14 (hebr Ex. 7,26-8,10). Plaga locustarum, quae octava erat, hic recitatur quarto loco v. 46 *et dedit fructus eorum* brucho ; ita חסיל vertit Hier hic, et cf. Is. 33,3 et 2 Par. 6,28 ; Aq pariter τῷ βρούχῳ, LXX τῇ ἐρυσίβῃ *aerugini* (rubigini), Sym τῷ μυζήτῃ ; *et labores eorum locustae* ; cf. Ex. 10,4-6.12-15.

Enumeratur hic quinto loco plaga, quae erat septima, grandinis v. 47 ; *et moros eorum in pruina*, ita LXX ; solum hoc loco legitur חנמל, Aq vertit ἐν κρύει (frigore, glacie) syr glacie, Hier frigore, Sym τῷ σκώληκι verme sycomoros eorum occidit ; v. 48 iumenta grandine quoque percussa sunt ; cf. Ex. 9,25 ; *et possessionem eorum*, et pecora eorum *igni* tradidit, nam Dominus dedit tonitrua et grandinem et discurrentia fulgura ; et grando et ignis mista pariter ferebantur Ex. 9,23.24. In v. 49 videtur designari sexto loco plaga, quae erat nona, tenebrarum, si scil. hanc plagam intelligimus productam vento scirocco, *chamsin*, qui immensam copiam ardentis arenae secum fert, omnia penetrat, radios solis praecludit. Huius indicium habere videmur v. 49 misit in eos ardorem irae suae ; et quae dicuntur *immissiones per angelos malos* facile reperiuntur in descriptione tenebrarum Sap. 17,3-7.14, et quae ibi v. 5 leguntur etiam ad ventum illum congruunt.

In v. 50 tangitur septimo loco plaga, quae erat quinta, pestis ; *viam semitae fecit irae suae*, stravit semitam irae suae (hebr, *Ag.*), per quam ira Dei transiret et recta quasi procederet ad necandos homines et animalia ; *non pepercit*, non retinuit a morte animam eorum, et animalia eorum pesti tradidit ; ita hebr recte vert ut LXX τὰ κτήνη αὐτῶν, vulg *iumenta eorum*, Hier animantia, syr, targum ; recentiores explicant : vitam eorum tradidit pesti ; sed cum narratione Ex 9,3.6 revera pestis animalium infligitur, ergo vox חיה quae saepe hac notione occurrit etiam hoc loco ea significatione retineatur oportet, et qui vitam explicant, tautologiam psalti imponunt. Demum in v. 51 ultima plaga mortis primogenitorum affertur ; vide Ex. 11,4 et 12-29 ; *primitias omnis*

laboris eorum in hebr legitur dictio ex Gen. 49,3 ; ubi Ruben a patre nominatur principium (vel primitiae) roboris mei i.e. potentiae generandi, quare *primitias omnis laboris* explica eodem modo, vel cum Hier : principium partus ; igitur promogenita *in tabernaculis Cham*, in habitaculis Aegypti ; Gen. 10,6 inter filios Cham enumeratur Mesraim (Aegyptus), et, ut *Ebers* dicit, Aegyptii terram suam revera vocabant cham i.e. nigram ; pro ipsis incolis cham nunquam aegyptiace adhibetur (Ebers, Aegypten und die B. Mose's p. 56.57). Si explicatio de v. 49 admittitur, psaltes octo plagas aegyptiacas recenset ; omittit tertiam (Ex. 8,16, hebr 8,12 : sint sciniphes in universa terra Aegypti) et sextam (Ex. 9,9 ; plaga ulcerum). Critici solent documento sacerdotali adscribere plagas 1.2.3.6, reliquas documento IE ad arbitrium suum : psaltes promiscue et alio ordine affert plagas, quam quo leguntur in libro Exodi.

52. *Et abstulit sicut oves populum suum,* | *et perduxit eum tamquam gregem in deserto ;* | 53. *et deduxit eos in spe et non timuerunt,* | *et inimicos eorum operuit mare.* | 54. *Et induxit eos in montem sanctificationis suae,* | *montem quem acquisivit dextera eius.* | *Et eiecit a facie eorum gentes ;* | *et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis,* | 55. *et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.* | 56. *Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum ;* | *et testimonia eius non custodierunt ;* | 57. *et averterunt se et non servaverunt pactum,* | *quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.* | 58. *In iram concitaverunt eum in collibus suis,* | *et in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocaverunt.*

Commemoratis plagis aegyptiacis psaltes breviter tangit eductionem populi ex Aegypto v. 52, Dominus veluti pastor populum tamquam oves, gregem suum ducit et ducit eos v. 53 secure, cum fiducia (Hier) *et non timuerunt*, timuerunt quidem, Ex. 14,10, « sed ille timor ad modicum fuit » (*Ag.*), vel explica ratione habita sequentis membri : per mare audacter et nihil timentes ingressi sunt, *et inimicos operuit mare*, Ex. 14,27. Populum vero duxit Deus ad terminum sanctificatum suum (Hier) ad regionem quam Deus elegit pro populo et quae ex electione Dei utpote singulari ratione ad Deum pertinens sancta dicitur, duxit eos ad montem istum, cf. Ex. 15,17 ; ad regionem scil. montanam ; ita designatur Palaestina Deut. 1,7.20 ; 3,25 ; alii intelligunt de monte Sion ; at *quem acquisivit dextera eius* potius refertur ad occupationem terrae ope Dei factam, vix hoc loco ad Sion ; et expugnatio terrae Deo auctori adscribitur (Deut. 7,19 ; 9,3) et hic quoque ei attribuitur v. 55 et *eiecit* ; cf. Deut. 8,20. Ios. 11,6.20, *et sorte divisit*, Ios. 13,6 ; 17,1 sq. 18,2 ; hebr sorte distribuit eas gentes (i.e. terram gentium) ut partem possessionis.

At, sicut antea, ita in terra hereditatis pariter rebelles exstiterunt v. 56 ; *testimonia eius*, mandata eius, non custodierunt ; tentare vide v. 18 ; v. 57 aversi sunt, perfide egerunt (hebr) ; praevaricati sunt (Hier), *conversi sunt in arcum pravum* ; cf. Os. 7,16 facti sunt quasi arcus dolosus, arcus scil. fallax, arcus deceptionis, qui spem et exspectationem sagittarii fallit et decipit ob aliquam obliquitatem (*Theod.*), ob defectum ei inhaerentem, ob nervum remissum. Ita illi, sicuti patres eorum, exspectationem Dei turpiter fallebant ; exspectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas (Is. 5,2.7). Reprehenduntur ob sacrificia in collibus oblata ; recole quoties de regibus dicitur : excelsa non abstulit (3 Reg. 15,14 ; 22,44. 4 Reg. 12,3 ; 14,4 ; 15,4.35) ; populus immolabat in excelsis (3 Reg. 3,2 ; 12,31 ; 13,32 ; 14,23 etc.) ; et ob idololatriam, *in sculptilibus suis* cf. 4 Reg. 17,10. 2 Par. 27,18 ; 33,7 ; 34,3 et vide Ier. 2,27 ; 32,34 sq.

59. *Audivit Deus et sprevit,* | *et ad nihilum redegit valde Israel.* | 60. *Et repulit tabernaculum Silo,* | *tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.* | 61. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum,* | *et pulchritudinem eorum in manus inimici ;* | 62. *et conclusit in gladio populum suum,* | *et hereditatem suam sprevit ;* | 63. *iuvenes eorum comedit ignis,* | *et virgines eorum non sunt lamentatae.* | 64. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt,* | *et viduae eorum non plorabantur.*

Iam ab initio temporis iudicum qui dicuntur et deinceps iterum iterumque populus serviebat Baalim et Astaroth (Iud. 2,12.17 ; 3,7 ; 6,1 ; 10,6. 1 Reg. 7,3). Quare Deus v. 59 *audivit*, vide v. 21 et indignatus est (hebr) et aspernatus est vehementer Israel. Quod suum fastidium demonstravit v. 60 repudiato tabernaculo in Silo, quod erat habitaculum eius inter homines (ita LXX, vulg, syr targum), quod collocavit inter homines (hebr, Hier), Sym τὴν σκήνωσιν ἐρυθεῖσαν ἐν ἀνθρώποις. Arca a Philisthaeis capta videtur exstincta esse gloria sanctuarii in Silo ; Ier. 7,12 ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio et videte quae fecerim ei propter malitiam populi mei Israel ; cf. v. 14 ; 26,6.9 ; v. 61 ipsam arcam Deus *tradidit in captivitatem*, quae vocatur robur eorum et decor (Hier), *pulchritudo*, sicut vocatur in narratione de bello illo gloria ; cf. 1 Reg. 4,11 arca Dei capta est ; v. 22 translata est gloria ab Israel eo quod capta est arca Dei. In variis bellis Deus tradidit gladio populum suum v. 62 ; cf. Iud. 3,13 ; 4,3 ; 6,2 ; 10,7 ; 13,1. 1 Reg. 4,2.10 ; unde dicitur : *hereditatem suam sprevit*, indignatus est de hereditate sua, de populo suo, qui etiam dicitur hereditas Dei Deut. 9,29. 1 Reg. 10,1 ; 3 Reg. 8,51.53. Is. 19,25.

Quae indignatio ostenditur v. 63 *iuvenes comedit ignis*, vis et impe-

tus belli (*Gen. Ag.*) cf. Num. 21,28. Is. 26,11; vel ex v. 21 de igne furoris Domini; *et virgines non sunt lamentatae*, LXX οὐκ ἐπένθησαν, secundum hanc lectionem iuvenibus occisis honor luctus funebris non tribuebatur; fertur alia lectio ἐπενθήθησαν (virgines eius nemo luxit, Hier) quam sequitur *Eus.*, cum in captivitatem actae morerentur, nemo erat qui lugeret, quod non adessent propinqui earum; sic *Eus.* qui statim monuit: secundum reliquos interpretes non ultra cum hymnis et laudibus, ut consuetum desponsatis est, viris tradebantur ob immissam tunc ipsis calamitatem. Et bene quidem, nam hebr recte vertit Aq οὐχ ὑμνήθησαν,. Sym Theod quinta οὐκ ἐπηνέθησαν non celebrabantur; similiter targum.

In v. 64 *sacerdotes eorum in gladio ceciderunt*; videtur allusio esse ad 1 Reg. 4,11 (*Eus. Theod. Theod. heracl. Didymus* in Catena, *Ag. Gen. Calm.*) *et viduae non plorabantur* ita LXX. Hier (viduae eius non sunt fletae), syr; at hebr non plorabant, ita Sym οὐκ ἔκλαυσαν, et similiter targum; magna censebatur calamitas carere honore luctus funebris (cf. Ier. 22,18); lectionem non plorabant ex psalterio romano *Ag.* omnino praefert.

65. *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus,* | *tamquam potens crapulatus a vino;* | 66. *et percussit inimicos suos in posteriora,* | *opprobrium sempiternum dedit illis;* | 67. *et repulit tabernaculum Ioseph,* | *et tribum Ephraim non elegit;* | 68. *sed elegit tribum Iuda,* | *montem Sion quem dilexit.* | 69. *Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum* | *in terra, quam fundavit in saecula.* | 70. *Et elegit David servum suum,* | *et sustulit eum de gregibus ovium,* | *de post foetantes accepit eum,* | 71. *pascere Iacob servum suum,* | *et Israel hereditatem suam.* | 72. *Et pavit eos in innocentia cordis sui,* | *et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*

Dum arca caperetur a Philisthaeis, virtus et potentia Domini non apparuit; ideo quia illam non ostendebat, quasi consopitus videbatur; ubi vero illam ostendere coepit et Azotios caedere, tum denique evigilare visus est; v. 65 et evigilavit quasi dormiens Dominus (hebr, Hier); evigilavit autem sicut potens vir ac fortis, cui ebrietas et vinum immodice sumptum vires addidit (*Ag.*); *crapulatus* LXX κεκραιπαληκὼς ἐξ οἴνου, similiter Aq; at Sym ὡς δυνατὸς διαλαλῶν ἐξ οἴνου. Hebr explicant: tamquam heros victus vino; alii ad aram. רנא, רנן recurrentes explicant: conscius sui factus ex vino (Perles); Hier: quasi fortis post crapulam vini. Somnum vocavit psaltes Dei patientiam, ebrietatem ex vino indignationem (*Theod.*). Notat *Calm.*: haec comparatio hominis strenui, qui postquam crapulam obdormiit, tamquam potens, expergiscitur, apud nos non ita elegans esse videtur. Quare aliam mitiorem (licet non multo mitiorem) proponit: vino exhilaratus et clamans in

aciem proficiscitur ; cf. Is. 42,13 Dominus sicut fortis egreditur, sicut vir proeliator suscitabit zelum, vociferabitur et clamabit, vel ut *Hesychius* (in Catena) habet : sicut potentes qui post vinum exsurgentes magis impetuosi fiunt. Etiam proposita est lectio ביתעורר (cf. Is. 51,17 ; 64, 6) tamquam heros evigilans ex vino ; tempus quo Deus populum tradidit hostibus declaratur velut profundissimus somnus Domini, ex quo tandem evigilaverit; syr sicut vir quem deiecit vinum suum.

Magno consensu et veteres et recentiores explicant v. 66 *et percussit*, de morbo foedo quo percussi sunt Philisthaei 1 Reg. 5,6 (*Eus. Theod. Athan. Hier.*[1] *Theod. heracl. Corderius*, *Ag. Gen. Hoberg*, *Riehm*, *Baethgen*) ; ita targum quoque (ubi eadem vox ponitur, uti 1 Reg. 5,6) ; aliter tamen in paraphrasi anonymi (in catena) ; vertit illos in fugam ; qui enim in proeliis fugiunt, ὄπισθεν, a tergo plagas recipiunt. Et ad illius foedi morbi ignominiam etiam referunt : *opprobrium sempiternum dedit illis*, ex recentioribus *Duhm* v. 59-64 explicat quidem ex historia 1 Sam. 1-6 ; at 65. 66 intelligi debere ait de reiectione Israelitarum rebellium, quorum opprobrium perpetuum sit, quod Ephraimitae perpetuo reiecti ac separati sint a Iahve ; somno profundo Dei significari inexplicabilem illam Dei patientiam erga tabernaculum Ioseph. Eo scil. bello culpa Ephraimitarum sanctuarium in Silo a Philisthaeis esse destructum et arcam (robur et gloriam Domini) esse captam, et ita optime subdi v. 67 *et repulit tabernaculum Ioseph*, v. 68 *sed elegit tribum Iuda*, *et montem Sion* ; cf. 2 Reg. 6 ; v. 69 *et aedificavit* ὡς μονοκερώτων *sicut unicornium* τὸ ἁγίασμα αὐτοῦ sanctuarium suum ; bene monet *Ag.* unius litterae adiectione factum esse ut LXX inferrent μονοκέρωτες, legebant ראמים, hebr fertur רמים, unde Aq ὑμοίως ὑψηλοῖς simile excelsis, et Sym ὡς τὰ ὑψηλά ut excelsa aedificarunt sanctuarium. Cum LXX consentit targum : aedificavit sanctuarium sicut cornu bubali, item Hier in similitudine monoceroton. At ex hebr et ex membro parallelo elucet hic sensus : aedificavit sicut excelsa (coelorum) sanctuarium suum, sicut terram *quam fundavit in saecula* ; exprimitur duabus comparationibus firmitas perpetua ; Sym ὡς τὴν γῆν ἣν ἐθεμελίωσεν, et Hier : quasi terram fundavit illud in saeculum. Reddit *Hoberg* verba vulg aedificavit sibi suum nidum aquilae in terra (!)

Et sicut Iacob patriarcha moriturus vaticinatus est, tribus Iuda etiam dignitate regia donata est (cf. Gen. 49,10) ; de Iuda elegit Deus principes, porro de domo Iuda domum patris mei, ait David (1 Par. 28,4) ; v. 70 *et sustulit eum* de caulis ovium, v. 71 *de post foetantes accepit eum*, de post lactantes eum adduxit ; ביאתר, hebr ut gallice fit (d'après

1. Vide in Commentariolis (Anecdota Maredsol. III, 1 p. 62).

les brebis, *Gen.*) duas coniungunt quandoque praepositiones : Sym ἀκολουθοῦντα ἐγκύμοσιν ἤγαγεν αὐτόν sequentem praegnantes adduxit eum, unde Hier quoque : sequentem fetas adduxit eum, ut pasceret Iacob populum suum (hebr, Hier, syr, targum), LXX vulg *servum suum*, id quod iam *Ag.* non placuit : « non solent coniungi servus et hereditas ; ideoque non δοῦλον sed λαὸν puto interpretatos LXX, sed nihil de textu moveo ; neque enim id mei muneris est ». Atque revera *Iacob populum suum* praebet Cassiodorus (*M.* 70,572) et psalterium romanum (cf. Sabatier ad h. l.).

Adiungitur demum in v. 72 retenta imagine pastoris, *pavit eos in innocentia cordis*, Hier in simplicitate cordis, mente scil. integra et sincera (*Gen.*), et actionibus prudentia dispositis, prudenti gubernatione et sapienti regimine eos duxit ; Sym κατὰ τὴν ἁπλότητα τῆς καρδίας αὐτοῦ, κατὰ τὴν καθαριότητα τῶν χειρῶν αὐτοῦ ὡδήγησεν αὐτούς, Hier et in prudentia manuum suarum dux eorum fuit. Vide de David 1 Reg. 16,11 ; 17,34 ; 2 Reg. 7,8 ; et laudes eius 1 Reg. 13,14. 3 Reg. 11,4.6 ; 14,8 ; 15,3.11. 4 Reg. 14,3 ; 16,2 etc.

Ps. 78.

1. *Psalmus Asaph.*

Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, | polluerunt templum sanctum tuum ; | posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. | 2. *Posuerunt morticina servorum tuorum | escas volatilibus coeli, | carnes servorum tuorum bestiis terrae.* | 3. *Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam | in circuitu Ierusalem, | et non erat qui sepeliret.* | 4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, | subsannatio et illusio | his qui in circuitu nostro sunt.*

5. *Usquequo Domine irasceris, | in finem accendetur | velut ignis zelus tuus ?* | 6. *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt, | et in regna quae nomen tuum non invocaverunt :* | 7. *quia comederunt Iacob, | et locum eius desolaverunt.* | 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, | cito anticipent nos misericordiae tuae, | quia pauperes facti sumus nimis.* | 9. *Adiuva nos Deus salutaris noster | et propter gloriam nominis tui, — Domine : libera nos, | et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.*

10. *Ne forte dicant in gentibus : ubi est Deus eorum ? | et innotescat in nationibus coram oculis nostris | ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.* | 11. *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum, | secundum magnitudinem brachii tui, | posside filios mortificatorum,* | 12. *Et redde vicinis nostris septuplum | in sinum eorum improperium ipsorum, | quod exprobraverunt tibi Domine.* | 13. *Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae, | confitebimur tibi in saeculum, | in generationem et generationem annuntiabimus laudem tuam.*

Proponitur Deo misera conditio templi et urbis, caedes et ignominia mortuorum, opprobrium vivorum (v. 1-4); efflagitatur ut iram Deus avertat et ob gloriam suam propitius sit et opem ferat (v. 5-9), et ob gloriam suam ultionem capiat de inimicis manifestam, pro qua gratiarum actiones persolventur et Dei laudes annuntiabuntur (v. 10-13).

Iam in antiquitate hic psalmus explicatus est de tempore machabaico et de persecutione quam Antiochus Epiphanes populo Dei intulit. Ita *Eus.* explicite probat huius psalmi prophetiam (ab Asaph coaetaneo David editam) non esse impletam neque in periodo babylonica, neque referri posse ad ultimum Iudaeorum excidium, sed unice indicari posse tempus Antiochi, sub quo revera contigerint quae hic praenuntientur. Eodem modo hunc psalmum concipit *Theod.*; tempus Machabaeorum describi explicite statuunt Theodorus heracl., paraphrasis anonymi, Theodorus mops. Athanasius (in catena), Cassiodorus, Beda, Euthymius; etiam Apollinarius meminit esse qui de illo tempore explicent. Eam explicationem literalem etiam Corderius agnoscit scil. de templo ab Antiochi exercitu polluto et Iovi consecrato. Recentiores etiam plerumque profanationem sub Antiocho factam describi censent; ita Patrizi quoque. Ceterum vide quae de Ps. 89 dicta sunt.

A Commissione biblica sub n. VII proscribitur sententia, non paucos psalmos esse aevo Machab. compositos. Ergo unum alterumve ei tempori attribuere licebit, si rationes graves adsunt.

Deo proponuntur quae facinora gentes commiserunt et ita quidem, ut statim appareat agi potissimum de gloria Dei; unde: *in hereditatem tuam* invaserunt gentes; hereditas seu possessio, proprietas, pars Dei dicitur et terra et populus (cf. 73, 2; 77,71), *templum sanctum tuum polluerunt*, monent id vix congruere periodo babylonicae, qua templum incendio est destructum; *posuerunt Ierusalem* in acervis lapidum (Hier); fecerunt Ierusalem ruinas. Id quoque sub Antiocho factum est: 1 Mach, 1,33 et accepit spolia civitatis et succendit eam igni et destruxit domos eius et muros eius in circuitu et vide 2 Mach. 8, 3. Aq εἰς λιθολογίαν in acervum lapidum, Sym εἰς ὄρυμούς in saltus; LXX, vulg *in pomorum custodiam*, urbs quasi redacta est in tugurium vile quale erigitur in hortis ad poma custodienda; cf. Is. 1,8 et derelinquetur Sion ut umbraculum in vinea, ut tugurium in cucumerario. De caedibus vide 1 Mach. 1, 25.39. 2 Mach. 5, 12-14.26. Materia maximi luctus est quod honore sepulturae carebant v. 2; in voce חסידים facile deprehenduntur Assidaei 1 Mach. 2,42; 7,13. 2 Mach. 14, 6. Ad v. 3 vide 1 Mach 1,39: et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctuarii. Si psalmus hic compositus est ipso illo tempore, de quo narratur 1 Mach. 1 et 2 Mach. 5, scil. annis ante Chris-

tum 170-168, dein nihil obstat quominus ab auctore prioris libri (qui circa annum 100 ante Chr. scripsit) ipse hic psalmus laudetur 1 Mach. 7,16. En qualis calamitas : ad opprobrium templi, urbis, occisorum accedit v. 4 quod qui adhuc superstites sunt, vicinis tribubus sunt irrisioni, subsannationi, illusioni.

Inimici hereditatem Dei vastarunt — et praevalent ; unde compellatio ad Deum v. 5 : *usquequo*, quamdiu eos saevire permittes ? vel iunge : usquequo *irasceris*, in nos, populum tuum quem opprimi vides nec adiuvas ? in hac sententiae coniunctione, illud *in finem* transferendum est ad membrum sequens : num *in finem*, num perpetuo *velut ignis* contra nos *accendetur zelus tuus*, indignatio tua. Ardenter opem expostulantis est, statim conqueri : num semper opem denegabis. Merito autem videt psaltes in istis tribulationibus indignationem Dei contra populum ; uti accidit in destructione regni Israel (4 Reg. 17, 7 sq) et in destructione regni Iuda (4 Reg. 23, 26-27 ; 24, 3), ita quoque tempore Machabaeorum clades evenit ob scelera commissa (2 Mach. 5, 18).

Ut Deum ad misericordiam flectat, prius ei proponit rei indignitatem, ut inimici Dei populum Dei perdant ; hac indignitate zelus Dei excitetur oportet ; unde v. 6 *effunde iram tuam* in adversarios tuos, qui te neque norunt neque invocant ; et tales v. 7 devorant *Iacob*, populum tuum electum et regionem eius devastant. Dein petit v. 8 : ne nobis reputes, *ne memineris* iniquitatum priscarum ; velociter, cito nobis obveniant miserationes tuae, quia attenuati sumus nimis (Hier) ; v. 9 *adiuva nos*, *Deus*, salus nostra ; in te uno consistit et tu es salus nostra ; ratio autem affertur valida : *et propter gloriam nominis tui*, nos vocamur populus Iahve ab aliis ; verum ignominia populi ex communi opinione est ignominia Dei protectoris populi ; quare Deus debet sibi, suae gloriae, ut liberet nos ; et ut pro sua sanctitate nos liberare possit, *propitius esto*, placare et dimitte nobis peccata, ut nomen tuum glorificetur ; v. 10 *ne forte dicant* : quare gentes dicent (hebr Hier), cur ferre vis, ut gentes illudant dicentes : *ubi est Deus*, protector *eorum* ? Deus igitur sese ostendat vindicem suae gloriae v. 11 *innotescat*, manifestum fiat, ut videamus in gentibus ultionem de sanguine *servorum tuorum* ; non dixit psaltes civium nostrorum, sed Deo proponit ; ecce tui, cultores tui sunt, quorum sanguis ab idololatris est effusus !

Quare veniat ad faciem tuam v. 11 *gemitus* captivi, totius populi, dominio et legibus alienigenarum constricti. Ad tempus Antiochi bene potest referri, qui et legem statuit ut omnes in regno suo unum vivendi morem sequerentur (1 Mach. 1,43) et ad urgendam legem suos

misit praefectos. Efflagitatur, ut sicut Deus olim opem tulit *secundum magnitudinem brachii*, ita nunc eadem potentia servet, reliquos faciat, possideat eos qui sunt filii mortis, morti destinati, adiudicati; nam eadem lege statutum erat, ut quicumque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur (1 Mach. 1, 52. 60. 63. 64). Vertit Hier: relinque filios interitus; syr, targum solve filios a morte; unde non הותר lectum est, sed התר. Et qualem ultionem Deo dignam censeant, explicatur v. 12 *redde septuplum*; etiam hic effertur ut Deus suam vindicet et tueatur gloriam; *opprobrium ipsorum* quo scil. contra Deum peccarunt, quo Deum pessime prosecuti sunt; in sinu, in vestimento sinuoso recipiuntur munera; cf. Ruth 3, 15. Prov. 17, 23; 21, 14. Is. 65, 6. Ier. 32, 18. Luc. 6, 38; *septuplum* cumulatissime (*Ag.*); nam numerus septenarius, uti sacer est, ita magnus quoque censetur; cf. Eccli. 35, 13. Matth. 18, 21 quoties dimittam fratri peccanti? usque septies?

Laetabitur iustus, cum viderit vindictam (57, 11); si Deus suam vindicaverit gloriam, v. 13 *nos*, *populus tuus et oves*, grex *pascuae tuae* te laudabimus, tibi gratias persolvemus in perpetuum; nos ipsi quamdiu vivemus; semper, et *in generationem*, posteris idem debitum committemus, cf. 22, 2; 73, 1. Id tempore Machabaeorum factum est instituto anniversario die celebritatis dedicationis templi (1 Mach. 4, 59) et victoriae reportatae de Nicanore (7, 49).

Ps. 79.

1. *In finem, pro iis qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus.*

2. *Qui regis Israel, intende;* | *qui deducis velut ovem Ioseph.* | *Qui sedes super cherubim, manifestare,* | 3. *coram Ephraim, Beniamin et Manasse.* | *Excita potentiam tuam,* | *et veni, ut salvos facias nos.* | 4. *Deus converte nos,* | *et ostende faciem tuam et salvi erimus.*

5. *Domine Deus virtutum, quousque* | *irasceris super orationem servi tui?* | 6. *Cibabis nos pane lacrimarum,* | *et potum dabis nobis in lacrimis in mensura?* | 7. *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris; et inimici nostri subsannaverunt nos.* | 8. *Deus virtutum converte nos,* | *et ostende faciem tuam et salvi erimus.*

9. *Vineam de Aegypto transtulisti;* | *eiecisti gentes et plantasti eam.* | 10. *Dux itineris fuisti in conspectu eius;* | *plantasti radices eius et implevit terram;* | 11. *operuit montes umbra eius, et arbusta eius cedros Dei.* | 12. *Extendit palmites suos usque ad mare;* | *et usque ad flumen propagines eius.* | 13. *Ut quid destruxisti maceriam eius;* | *et vindemiant eam omnes qui praetergrediuntur viam?* | 14. *Exterminavit eam aper de silva,* | *et singularis ferus depastus est eam.* | 15. *Deus virtutum convertere;* |

Respice de coelo et vide, | et visita vineam istam ; | 16. et perfice eam, quam plantavit dextera tua, | et super filium hominis quem confirmasti tibi. | 17. Incensa igni et suffossa | ab increpatione vultus tui peribunt. | 18. Fiat manus tua super virum dexterae tuae, | et super filium hominis quem confirmasti tibi. | 19. Et non discedimus a te ; | vivificabis nos et nomen tuum invocabimus. | 20. Domine Deus virtutum, converte nos, | et ostende faciem tuam et salvi erimus.

Versu intercalari quattuor partes, utique inaequales, designantur. Ipse versus ultimo demum loco v. 20 integer effertur ; v. 4 deest saltem virtutum ; in v. 15 deest alter stichus. Ipso hoc versu iam argumentum praecipuum psalmi enuntiatur. Precatur psalmista, ut Deus, pastor populi, potentiam suam ad salutem exserat (v. 1-4). Id autem necesse est, nam arcte tribulamur et inimicis sumus irrisioni (v. 5-8). Allegoria vineae ex Aegypto transplantatae status depingitur olim florens populi ; nunc vero vinea vastationi et conculcationi exposita est (v. 9-15). Quare petitur, ut Deus denuo populum suum sibi assumat, qui spondet se ei fideliter adhaesurum (v. 15-20). — Videtur psalmus precatio esse, ut gloria regni Israel et Iuda, regni scil olim uniti, denuo restituatur antiquo splendore.

Imploratur pastor Israel, ut audiat, deducens velut gregem Ioseph ; hebr participium potest referri ad tempus praeteritum, quo Deus populum ex Aegypto eduxit et per desertum ad terram promissam deduxit ; *sedens super Cherubim*, describitur Dei maiestas, qui curru illo animato visus est ab Ezechiele vehi (Ez. 1) ad opem exsulibus quoque praestandam ; « qui coelestibus spiritibus praees et tamquam summus rerum omnium moderator et auriga curru insides angelico » (*Ag*). Ad quid autem intendere, vel audire debeat, indicatur : *manifestare* illucesce et effulge, appare ; nominantur tribus quae per matrem Rachel, matrem Ioseph et Beniamin, maiore cognatione inter se iunguntur ; ita coniunctio quaedam regni olim separati, septemtrionalis et meridionalis, in votis habetur, quam Deus sese iterum gloriose tribubus illis manifestans efficiat ; videtur psalmista idem innuere, quod Ezechiel vaticinatur de ligno Ephraim et ligno Iudae de iis tribubus : et faciam eas in lignum unum (Ez. 37, 19). Atque talem unionem iam indicavit Ieremias : in diebus illis ibit domus Iuda ad domum Israel et venient simul de terra aquilonis ad terram quam dedi patribus eorum (Ier 3, 18 ; 31, 20 sq.). Hanc efflagitat psaltes Deum rogans : *excita potentiam tuam*, hanc in versu intercalari spectat : *converte nos* : restitue, instaura nos, illumina faciem tuam, ut salvemur ; favorem, lumen vultus Domini expetit (cf. 26, 1 ; 30, 17 ; 33, 6 ; 43, 4 ; 66, 2).

Talem unionem et instaurationem prophetae comminationi et praedictioni exsilii constanter adiunxerunt (cf. Os. 2, 16 ; 3, 5. Am. 9, 8-

15. Mich. 2, 12; 4, 1-8 etc.). Haec igitur iam diu erat in votis et psaltes cum aliis piis pro ea fuderat preces; quare interpellat Deum v. 5 Iahve Deus exercituum, agminum Israel, scil. qui olim populum vocavit exercitum et exercitus suos (Ex. 7, 4; 12, 41), usquequo fumabis ad orationem populi tui (hebr. Hier), quamdiu durabit furor tuus, quo preces nostras non admittis; vide 17, 9 ascendit fumus in ira eius; unde *usquequo irasceris*; reliqui omnes praeter LXX, syr habent preces *populi* tui. Et quae sit conditio populi, explicatur v. 6 cibasti eos *pane lacrimarum*, cf. 41, 4; similiter Is. 30, 20 dabit Dominus panem arctum et aquam brevem; et cum lacrimis dedisti eis potum in mensura; Hier vertit: potasti nos in lacrimis tripliciter, Sym ἐπότισας ἡμᾶς μετὰ δακρύων μέτρῳ. Hebr שלישׁ tertia pars alicuius mensurae (trientalis), fortasse ephae? certa portio potus? Simili imagine utitur Ieremias: Deus potum dedit nobis aquam fellis (8, 14; cf. 9, 14; 23, 15 Lam. 3, 19. Ps. 68, 22). Ad domesticas tribulationes accedunt infestationes ab alienigenis v. 7 vicinae tribus excitant iurgium contra nos; ita Ezechiel accusat Idumaeos; quod concluserint filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum (Ez. 35, 5; 36, 3.7) et *subsannaverunt nos*; cf. 43, 14; 78, 4; hebr inimici nostri subsannant לבו sibi i. e. pro lubitu; dativum ethicum vocant grammatici. Ob irrisionem hostium repetitur versus intercalaris v. 8.

Proponuntur Deo beneficia quae olim suis praestitit v. 9-12 allegoria vitis seu vineae; cf. Is. 5, 1 sq. 27, 2-6. Ier. 2, 21 ego plantavi te vineam electam. Vitem ut plantaret Deus in Palaestina, eiecit gentes v. 9; cf. Ex. 23, 7 sq. Ios. 24, 12; dein ipsam humum aptam reddidit ut vitis bene radices ageret et cresceret; ita v. 10 hebr praeparasti ante faciem eius (Hier), scil. solum praeparavit, v. g. ut dicitur Is. 5, 2 lapides elegit ex ea; dein vitis egit radices et implevit terram (hebr), bene crevit et multos eiecit palmites. Id quod hyperbolice v. 11 exprimitur: operti sunt montes umbra eius (hebr. Hier) et ramis eius cedri Dei; arbores enim vitibus et palmitibus tamquam fulcra erant; plantabantur quippe vites iuxta arbores, ut claviculis arbores apprehenderent et erigerentur. Nobiles designantur vites quibus nempe cedri Dei, eximiae, Deo dignae (35, 7) fulcra essent. Et quam late vitis emiserit palmites, v. 12 exponitur; *usque ad mare et usque ad flumen*, Euphraten scil.; assignantur termini terrae quos Deus populo suo dare promisit Ex. 23, 31. Deut. 11, 24, Ios. 1, 4.

Felix itaque populi conditio imagine hac et allegoria exhibetur. Iam eodem modo hostiles incursus et destructio regni describuntur. Cur vineam tuam perdidisti? v. 13 *ut quid destruxisti maceriam eius*, sepem, murum; cur protectionem tuam populo tuo subtraxisti? unde

factum est, ut undique alienigenae populum tuum vexarent, spoliarent; cf. 88, 42 diripuerunt eum omnes transeuntes viam; 4 Reg. 24, 2; v. 14 *exterminavit*, ἐλυμήνατο, Hier vastavit, Sym κατενεμήσατο depavit, syr comedit, targum suffodiet, *aper de silva*, cogitari potest de variis regibus Theglathphalasar, Salmanassar, Sennacherib, Nechao, Nabuchodonosor, qui invaserunt regionem; *et ferus singularis*, LXX μονιὰς ἀγριος, fera bellua solivaga vivens; hebr יער (cf. ad 49, 11) vertit Hier omnes bestiae, item syr, et idem videtur Aq παντοδαπὴν innuere; unde multiplex genus bestiarum; vel uti recentiores explicant: quod sese movet: collectivum nomen. Possunt ita designari illi, quos Iahve, dominus terrae, vicinos suos pessimos appellat (Ier. 12, 14). Apponendus hic erit versus intercalaris integer, cuius prior pars legitur in v. 5.

Iam ardentes funduntur preces, ut Deus misereatur vineae suae eamque denuo in meliorem conditionem redigat: v. 15 *respice, vide, visita*; cum emphasi petitur; quid fieri debeat, dicitur v. 16 LXX κατάρτισαι αὐτήν restaura eam, *quam plantavit dextera tua*; affertur valida ratio, ne Deus opus suum perire ac perdi permittat. Quod sequitur *super filium*, potest solum referri ad *visita*; unde verum textum exhibere videntur Hier et syr, qui imperativum illum LXX, vulg *perfice eam*) non legunt, sed eius loco substantivum: radicem, propaginem. Dicens autem psaltes: visita *super filium* petitionem iam pro populo offert; vocaverat quippe Deus Israel filium suum primogenitum et mandaverat Pharaoni: dimitte filium meum (Ex. 4, 22, 23. Ier. 31, 30. Is. 1, 2). Ad Dei misericordiam excitandam iterum ei proponitur status vineae lugubris plane ac miserandus v. 17 *incensa igni et suffossa*, et transitu facto ab imagine ad rem: *ab increpatione vultus tui*, a comminatione tua pereunt. Vide scil. populum eiusque statum perditionis miserum (cf. Is. 63, 18, 19; 64, 10-12.)

Cui statui flebili ut remedium afferatur, interpellatur potentia Dei v. 18 *fiat manus tua*, potentia tua ostendatur *super virum dexterae tuae* i. e. populum tuum, qui populus repraesentatus est in vite hac quam plantavit dextera tua v. 15; unde nunc dicitur applicatione facta vir dexterae tuae; idem populus dicitur in altero membro: *filius hominis quem confirmasti tibi*, elegisti tibi et tuo auxilio munivisti et contra omnes incursus hostiles servasti (cf. Ex. 19, 5-6; Deut. 9, 6-9). Huic petitioni adiungitur promissio et firmum desiderium; v. 19 *et non discedimus a te*; tibi adhaerebimus fideliter; nam vita omnis ac beatitas est in uno Deo: *vivificabis nos*, et cur haec vita a Deo nobis sit largienda, ratio valida est ex versione Sym, Hier: in nomine tuo vocabimur; vocamur populus Iahve; sed hebr, LXX, syr, targum: *et*

nomen tuum invocabimus, tui erimus adoratores. Concluditur versu intercalari, compendio totius psalmi, qui hic forma integra ac sollemni effertur : Iahve Deus exercituum (v. 4).

Ps. 80.

1. *In finem. Pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.*

2. *Exsultate Deo adiutori nostro,* | *iubilate Deo Iacob.* | 3. *Sumite psalmum et date tympanum,* | *psalterium iucundum cum cithara.* | 4. *Buccinate in neomenia tuba,* | *in insigni die solemnitatis vestrae ;* | 5. *quia praeceptum in Israel est,* | *et iudicium Deo Iacob.*

6. *Testimonium in Ioseph posuit illud,* | *cum exiret de terra Aegypti ;* | *linguam quam non noverat audivit ;* | 7. *divertit ab oneribus dorsum eius,* | *manus eius in cophino servierunt.* | 8. *In tribulatione invocasti — me : et liberavi te ;* | *exaudivi te in abscondito tempestatis ;* | *probavi te apud aquam contradictionis.*

9. *Audi populus meus et contestabor te,* | *Israel, si audieris me,* | 10. *non erit in te deus recens,* | *neque adorabis deum alienum ;* | 11. *Ego — enim sum : Dominus Deus tuus,* | *qui eduxi te de terra Aegypti ;* | *dilata os tuum et implebo illud.* | 12. *Et non audivit populus vocem meam,* | *et Israel non intendit mihi.* | 13. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum,* | *ibunt in adinventionibus suis.*

14. *Si populus meus audisset me,* | *Israel — si : in viis meis ambulasset,* | 15. *pro nihilo — forsitan : inimicos eorum humiliassem,* | *et super tribulantes eos misissem manum meam.* | 16. *Inimici Domini mentiti sunt ei,* | *et erit tempus eorum in saecula.* | 17. *Et cibavit eos ex adipe frumenti,* | *et de petra melle saturavit eos.*

Admonentur, ut sese praeparent ad festum tabernaculorum eo modo quo Deus mandavit (v. 1-5). Id enim Deus praecepit, cum sese ostenderet liberatorem ex servitute (v. 6-8). Deus legem fundamentalem iis denuo in memoriam revocat, quam turpiter neglexerint (v. 9-13). Si autem observarent legem, inimici humiliarentur subiecti, et perpetuo fruerentur bonorum abundantia (v. 14-17).

Dies primus mensis septimi quiete sabbati erat celebrandus et sollemni tubarum clangore annuntiandus ; ita Lev. 23, 23 et Num. 29, 1 ; die demum decimo quinto (in plenilunio) initium erat festi tabernaculorum in memoriam beneficiorum et in actionem gratiarum Lev. 23, 24 ; Num. 29,12. Ad hanc sollemnitatem celebrandam debito modo adhortatur psaltes v. 1, et quidem ut Deum fortitudinem nostram (hebr, Hier) laudibus et iubilatione celebrent, monentur omnes. Cantus vero et instrumenta musica pertinent ad levitas et partim etiam ad sacerdotes. Unde in v. 3 levitae excitantur : incipite canticum, et date tympanum, citharam iucundam (decoram, Hier) cum nablio ; iubentur

canere et ludere instrumentis : utrumque munus erat levitarum ; cf. 1 Par. 15, 19-22; 16, 4. 41.42. Sacerdotum autem erat clangere tubis 1 Par. 15, 24 ; 16, 6. Unde ad sacerdotes spectat v. 4 *buccinate in neomenia tuba* ; dies primus mensis septimi dicitur Num. 29, 1 dies clangoris et tubarum (vulg), LXX ἡμέρα σημασίας, Lev. 23, 24 μνημόσυνον σαλπίγγων, hebr יום תרועה dies clangoris seu sonitus tubarum. In die novilunii canite schophar, cornu, Hier : clangite in neomenia buccina. Quod sequitur *in insigni die*, est hebr in plenilunio (clangite) pro die sollemnitatis nostrae ; scil. die 15, qui est dies primus festi tabernaculorum ; Hier : in medio mense, die sollemnitatis nostrae.

Ita enim v. 5 statutum est pro Israel, legitimum Israel (Hier) et *iudicium* i. e. norma sancita, edictum seu decretum a Deo ; v. 6 *testimonium*, mandatum hoc posuit tamquam testimonium beneficiorum populo collatorum, cum egrederetur contra Aegyptum, ita hebr, Aq Sym, cum eductione populi iudicium exerceret in Aegyptum eamque puniret. Eo tempore populus quoque *linguam quam non noverat audivit*, hebr et targum effertur in prima persona : linguam quam non novi audio ; populus itaque loquens inducitur, qui scil. a Deo audivit novam illam locutionem Dei de liberatione ; et quaenam sit haec lingua vel hebr hoc labium, hic loquendi modus, statim locutione Dei infertur hebr : v. 7 *diverti ab oneribus dorsum eius*, amovi ab onere humerum eius, manus eius a cophino recesserunt (hebr Hier). Annuntiatur populo liberatio ; LXX vulg efferunt tertiam personam et *servierunt* (hebr עבר, LXX עבד) sed recte syr, targum : averti iugum, manus eius a vinculo solvi ; unde explica *servierunt* i. e. servitium finitum est ! Nunc facillime adnectitur locutioni Dei v. 8 *liberavi te, exaudivi te in abscondito* tonitrui, in velamento tonitrui, videtur esse allusio ad Ex. 19, 16 , ecce coeperunt audiri tonitrua et nubes densissima operire montem ; hebr verti potest : et respondi tibi in velamento tonitrui, id quod perbene ad legislationem sinaiticam congruit et novum Dei beneficium indicat, *et probavi te*, vide Ex. 17, 7. Num. 20, 13 ; Deut. 32, 51. Vertunt respondi tibi *Riehm, Wellh. Cheyne.*

Quod aliqui linguam quam non noverat explicant de lingua aegyptiaca cuius populus fuisset ignarus, plane abs re est, praesertim cum ex textu LXX vulg etc. haberetur sententia : cum exirent ex Aegypto audierunt linguam ignotam aegyptiacam. Melius iam viderunt veteres interpretantes de voce Dei e monte, promulgantis legem, ita in paraphrasi anonymi, Theodorus heracl. Theodorus (in catena), Eus. Theod. Athanasius (apud *Ag.*), Hier : mandata quae prius ignorabat recepit ; item Cassiodorus, Beda (quia legem accepit), Euthymius (vocem illam Dei audierunt, qua decalogum audierunt). Hanc linguam non noverunt, i.e. erat lingua nova, auribus eorum non con-

sueta. Etiam Lorinus variis sententiis recitatis concludit : pluribus ac melioribus acquiescendum, cum etiam faveant quae sequuntur ; ergo explicandum de voce Dei.

In festo tabernaculorum coetus quoque sacer erat convocandus. Unde offerebatur opportunitas in memoriam revocandi legem theocratiae et totius vitae fundamentalem. Auditur itaque porro vox Domini v. 9 *audi, contestabor te*, palam commonefaciam te et publice (*Gen.*.. *si audieris me*, verte hebr : utinam audias me ! v. 10 non sit in te deus alienus, et non adores deum peregrinum (Hier) ; cf. Ex. 20, 2-6. Deut. 5,6-11 ; 6,4 ; v. 11 *dilata os tuum et implebo illud*, bene explicat *Eus.* : praeceptis promissio bonorum copulabatur : dilata ; nam haec si servetis affatim ubertimque bonorum copia vobis suppeditabitur ; item *Theod.* ; os dilatare plerumque accipitur : oris tui precem et postulationem late aperi, effunde, exaggera, amplifica ; ample et copiose pete, et ego perficiam et praestabo (*Gen.* sim. *Ag.* etc.) ; *implebo* copiosissime perficiam. At targum explicat : aperi os tuum ad praecepta legis et implebo illud.

« Ego quidem haec monebam, haec promittebam, illi autem vocem meam non audierunt » (*Eus.*) v. 12 at populus erat inobediens : *non audivit vocem*, neque erat inclinatus et propensus, promptus ac paratus ad Deo obsequendum. Quare in poenam *dimisi eos* in contumacia seu duritia cordis ; et eius dimissionis effectus erat : ambulabant in consiliis suis (hebr. Hier), vitam agebant secundum sua desideria ; cf. Ier. 7,24 non inclinaverunt aurem suam, sed abierunt in voluntatibus et in pravitate cordis sui mali — hoc quasi est compendium historiae populi. Verum quanta bona iis obvenirent, si legem observarent. Pro sententia conditionata (LXX, vulg) melius vertendum : utinam (Aq. Sym, Hier, targum), utinam audiat (audiret) populus me, Israel in viis meis ambulet (ambularet). Sermo est de tempore praesenti ; hebr utinam populus meus audiens me, quae vox, ut *Gen.* ait, maiorem habet emphasin, ut quae particula sit optandi, v. 15 *pro nihilo* ἐν τῷ μηδενί (τὴν εὐκολίαν δηλοῖ, ῥᾳδίως, Theod.), eodem sensu כמעט omnino facile, *inimicos eorum* curvarem et contra tribulantes eos converterem manum meam.

Etiam quae sequuntur adhuc dependent a sententia conditionata vel vestita particula optandi ; v. 16 *inimici Domini* osores Iahve, mentirentur ei, simularent subiectionem populo, blandirentur populo : de hoc sensu verbi cf. 17,45 : Deus efficeret, ut ipsi osores Iahve, nationes exterae, idololatrae, invitae sese subiicerent Israelitis ; *et erit tempus eorum* et tunc quoque esset tempus Israelitarum, eorum scil.

status florens, dominium, *in saeculum*, perdurans ac permanens continuo. Qua conditione eversio regni ac ruina averti possit, clare enuntiatur; idem declaratur Ier. 17,24 : si audieritis me, ingredientur per portas civitatis huius reges et principes, sedentes super solium David, et habitabitur civitas haec in sempiternum. Conditione illa impleta etiam abundantia bonorum potirentur v. 17 *et cibabit*, hebr et cibarem eum *ex adipe frumenti*, tritico optimo, pane lectissimo et delicatissimo; adeps, pinguedo dicitur quidquid est in re qualibet optimum ac praecipuum (*Gen.*) et ex petra melle te satiarem ; cf. Deut. 32, 13. 14. Uti Deut. 32, 13.14 ita hic per amplificationem dicitur : adeo frugifera esset terra, ut de petra et saxo rivi defluerent mellis iuxta illud : stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lacte (Ioel 3,18; Am. 9,13).

Ps. 81.

1. *Psalmus Asaph.*

Deus stetit in synagoga deorum, | in medio — autem : deos diiudicat. | 2. Usquequo iudicatis iniquitatem, | et facies peccatorum sumitis ? | 4. Iudicate egeno et pupillo, | humilem et pauperem iustificate ! | 4. eripite pauperem et egenum | de manu peccatoris liberate!

5. *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, | movebuntur omnia fundamenta terrae. | 6. Ego dixi : dii estis, | et filii Excelsi omnes. | 7. Vos autem sicut homines moriemini, | et sicut unus de principibus cadetis.*

8. *Surge Deus, iudica terram, | quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.*

Deus convocato consessu iudicum eos arguit de iniustitiis commissis et praecipit, ut pauperibus ius iuste tribuant (v. 1-4). Exposita eorum perversitate et damni magnitudine ex una parte, ex altera eorum dignitate et auctoritate in iniustos iudices sententiam mortis fert (5-7). Rogat psaltes ut Deus, omnium dominus, iudicet terram (v.8).

Querelae prophetarum de iudicum et principum iniquitate sunt frequentes : principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera ; pupillo non iudicant, causa viduae non ingreditur ad illos (Is. 1,23) ; causam viduae non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt, iudicium pauperum non iudicaverunt (Ier. 5,28) ; principes eius quasi lupi rapientes praedam (Ez. 22,27) ; principes eius in muneribus iudicabant (Mich. 3,11), iudices eius lupi (Soph. 3,3). Unde fingit poeta Deum consessum iudicum convocasse et coram illis adstare v. 1 Deus stat in congregatione Dei, in congregatione quam ipse convocavit; in

coetu Dei (Hier), Sym ἐν συνέδῳ Θεοῦ, et ita hebr ; *in medio* deorum iudicat ; nominantur iudices dei quia vices Dei gerunt, nomine et auctoritate Dei supremi iudicis ius dicunt. Iudicum iudex, Deus, suos in terra vicarios increpat v. 2 *usquequo* inique iudicabitis ? et unum iniustitiae genus effertur : quamdiu partium studio impiis favorem praestabitis ? faciem suscipere, personam alicuius accipere est studio partium duci ; inique alicui favere ob eius dignitatem. In v. 3 norma proponitur : *iudicate*, ius tribuite, causam agite, causas et iura tuemini egenorum et pupillorum ; *iustificate*, iuste facite (Hier) afflicto et pauperi. Eorum quoque est oppressiones impiorum reprimere v. 4 *eripite*, sua utantur auctoritate, ut impios coerceant, ut homines plebeios, infirmos ab improborum iniuria defendant, eos liberent, in libertatem vindicent, si iniusta servitute a potentioribus retinentur. Lex Dei optime providit egenis, pupillis, viduis Ex. 23,8. 22. Lev. 19,15. Deut. 1,17 ; 10,18 ; 16,18. 19 ; 24,17 etc.

Haec itaque fieri debebant ex norma iustitiae. At quae revera aguntur ab illis iudicibus ? v. 5 *nescierunt*, cognitione carent ; mentem habent tenebris offusam, *ambulant*, eorum actiones tenebricosae, malae sunt ; versantur in turpi iuris et iustitiae ignorantia et in pravis operibus (*Gen.*). Quare eorum perversitate *fundamenta terrae* moventur, vacillant ; ipsa illa, quibus tamquam fundamentis omnis ordo, omnis hominum inter se communio innititur, iudicum improbitate convelluntur, scil. aequitas et iustitia et iudicium et fides (cf. *Ag.*). Quantopere itaque remoti sunt a sua ipsorum dignitate et muneris collati efficacia ! v. 6 *ego dixi : dii estis*, nobilitatem ac maiestatem iudicum quanta sit et quanta apud se de illis fuerit existimatio, his verbis ostenditur (*Ag.*). Illis Deus partem suae auctoritatis, regiminis contulit ; ut ius et iustitiam in terra stabiliant, maleficos puniant ; aliis verbis vices Dei gerunt ; ad eos sermo Dei factus est (Ioan. 10, 35), legis applicandae et exsequendae notitia et munus illis institutione divina committebatur (Deut. 16, 18. 19) ; ergo officio quodam divino donati sunt et partes Dei agunt, Dei iudicia et leges tuendo, firmando, ut ministri regni eius (Sap. 6,5).

Sed cum tanta dignitate se indignos praestiterint v. 7 sententia mortis in eos profertur, *cadetis* et mors eorum erit ignominiosa ; *sicut homines* non ratione habita ulla dignitatis vestrae. Petit psaltes v. 8 ut Deus sententiam prolatam exsequatur : *surge*, noli quiescere, sed accinge te ad agendum : et ratio est, quia *tu hereditabis*, tu habes possessionem, tu es possessor, herus apud omnes gentes ; ergo tuum est, ut ubique ius et iustitia servetur providere et curare.

Censet *Baethgen* deos intelligi reges gentium per quos egenus et

pauper i. e. populus Israel opprimatur, et qui nomen θεός sibi usurpent ; idque probari v. 8, quo Deus admoneatur, ut loco iniustorum iudicum ipse dominationem omnium gentium capiat. Uti quae dicuntur in ps. 57 in universum de omnibus iudicibus intelligi possunt, ita hic quoque iudices iniustos ubique terrarum reprehendi non est cur negaveris. At psalten agere solum de regibus exteris, non videtur esse probabile ; malum illud exsistebat domesticum. Verum si psalmum etiam conceperis ratione quadam generali, sicut Sap. 1,1 et 6,2 sq., non video quid opponatur.

Ps. 82.

1. *Canticum Psalmi Asaph.*

2. *Deus quis similis erit tibi ?* | *ne taceas neque compescaris Deus ;* | 3. *quoniam ecce inimici tui sonuerunt ;* | *et qui oderunt te extulerunt caput.* | 4. *Super populum tuum malignaverunt consilium,* | *et cogitaverunt adversus sanctos tuos.* | 5. *Dixerunt : venite et disperdamus eos de gente,* | *et non memoretur nomen Israel ultra ;* | 6. *quoniam cogitaverunt unanimiter,* | *simul adversum te testamentum disposuerunt,* | 7. *tabernacula Idumaeorum et Ismahelitae,* | *Moab et Agareni ;* | 8. *Gebal et Ammon et Amalec,* | *alienigenae cum habitantibus Tyrum :* | 9. *etenim Assur venit cum illis ;* | *facti sunt — in : adiutorium filiis Lot.*

10. *Fac illis sicut Madian et Sisarae,* | *sicut Iabin in torrente Cisson ;* | 11. *disperierunt in Endor,* | *facti sunt ut stercus terrae.* | 12. *Pone principes eorum sicut Oreb,* | *et Zeb et Zebee et Salmana* | *omnes principes eorum* 13. *qui dixerunt : — hereditate : possideamus sanctuarium Dei.* | 14. *Deus meus pone illos ut rotam,* | *et sicut stipulam ante faciem venti,* | 15. *sicut ignis — qui : comburit silvam,* | *et sicut flamma comburens montes ;* — 16. *ita persequeris illos in tempestate tua,* | *et in ira tua turbabis eos.* | 17. *Imple facies eorum ignominia,* | *et quaerent nomen tuum Domine.* | 18. *Erubescant et conturbentur in saeculum — saeculi : et confundantur et pereant ;* | 19. *et cognoscant quia nomen tibi Dominus,* | *tu solus Altissimus in omni terra.*

Deus, ne maneas iners : hostes tui fremunt, communi consilio variae gentes populum et nomen Israel delere statuerunt foedere inito contra te (v. 2-9). Uti olim diversos hostes contrivisti, ita fac illis ; sentiant ardorem irae tuae et comple eos opprobriis, ut tuam fateri cogantur maiestatem (v. 10-19).

Nullibi inveniuntur hae omnes gentes v. 7-9 simul iunctae infestasse Israelitas. Ex variis opinionibus eminent tres : referri psalmum ad tempus Iosaphat (2 Par. 20), vel ad gentes impedientes quominus templum et urbs

reaedificentur (Esdr. 4.5· vel ad tempus machabaicum (1 Mach. 5). Quae tempus machabaicum innuere videntur, in interpretatione breviter indicantur; sed notandum est indicia certa deficere, aliqua nomina (praesertim Amalec, Assur) satis arbitrario aetati machabaicae adaptari, totum denique psalmum haud minus apte ad antiquiora tempora referri.

Solum apud LXX et syr legitur *quis similis tibi ?* hebr statim incipit precatio. Deus, ne (sit) quies tibi; scil. ne sis iners; sed ut Deus agat contra hostes, agat pro defensione suorum, cum emphasi ter postulatur: ne taceas nec sileas et non quiescas (Hier) *neque compescaris*, ne te contineas, ne compescas iram tuam. Et ratio est v. 3 fremunt, tumultuantur hostes *tui*, odio habentes *te* erigunt caput, superbe, insolenter se gerunt. Dei causam, Dei honorem infestari monet psaltes et recte quidem; nam clades populi censetur clades et opprobrium dei protectoris populi (cf. Iud. 11,24. Ier. 48,7).Unde effertur v. 4 contra populum tuum nequiter tractarunt (Hier), hebr astute, dolose ineunt consilium, et inter se deliberant adversus *sanctos tuos*, i. e. eos qui singulari ratione ad te pertinent (cf. Ex. 19,5), hebr contra absconditos tuos, protectos tuos, Aq κατὰ τοῦ συγκεκρυμμένου σου, Sym τοῦ ἀποκρύφου σου; cf. 26,5 abscondit me in tabernaculo suo; 30,21 abscondes eos in abscondito faciei tuae; Ier 36,26. Quale consilium dolose ceperint, declaratur v. 5 *disperdamus* ne sit gens ultra; ipsam nationem qua talem perdere et penitus exstirpare volunt; et ita quidem, ut nomen et memoria Israel omnino intereat. Ad hoc congruere videtur quod legitur 1 Mach. 5,2 καὶ ἐβουλεύσαντο τοῦ ἆραι τὸ γένος Ἰακώβ et cogitaverunt tollere genus Iacob; v. 10 congregatae sunt gentes per circuitum, ut nos auferant; et 1,3 mittitur exercitus ad conterendam et exstirpandam virtutem Israel et auferendam memoriam eorum et 12,54 dixerunt omnes gentes in circuitu: tollemus de hominibus memoriam eorum. Sed cautius dicendum erit de *simili* quadam conspiratione in psalmo esse sermonem.

Idque confirmatur v. 6 *unanimiter* corde (hebr) inter se deliberarunt, consilium ceperunt; et *contra te* foedus concluserunt: *tabernacula Idumaeorum*. Idumaei nomades, Ismaelitae; in pugnis illis 1 Mach. 5 contra Israel nominantur Idumaei (Edom), Ammon, Tyrus, Arabes, alienigenae i.e. gentiles; *Moab*, in regione olim moabitica etiam eo tempore pugnatum est; *Agareni*: tribus arabica (1 Par. 5,10.19 sq.; 27,31); *Gebal*, regio in parte meridionali maris mortui; *Amalec*, natio utique tempore Mach. diu exstincta, sed eorum regio et incolae regionis illius fortasse (!) poterunt intelligi; *alienigenae*, LXX ἀλλόφυλοι, Philisthaei *cum habitantibus Tyrum*: *Assur* coniicitur poni

pro Syria, Syris, qui maxime Iudaeos infestarunt tempore machabaico ; *filii Lot* censentur esse Moab et Ammon, qui antiqui inimici Israel a Syris adiuti populo Israel bellum moverunt ; hebr facti sunt brachium filiis Lot. Sed alii explicant Assur h.l. tribum arabicam in inscriptione minaea memoratam (cf. *Gesenius-Buhl*, Handwoerterbuch ed. 15. s.v. אשור).

Olim contrivit Deus hostes populi sui ; haec recordatus psaltes rogat, ut etiam nunc similiter in adversarios suos animadvertat v. 10 *fac illis*, sicut fecisti *Madian* (Iud. 7,8), *Sisarae* (Iud. 4,21 ; 5,25), *Iabin in torrente Cison* (Iud. 4,2 ; 5,21) ; v. 11 contriti sunt in *Endor*, nomen in narratione Iud. non legitur ; sed Endor ad locum proelii designandum recte assumitur. In v. 12 *pone eos*, *principes eorum*, *sicut Oreb et Zeb* Iud. 7,25, principes Madian, sicut *Zebee et Salmana* Iud. 8,5. 10-21 ; Madianitae invadentes terram Israel, terram Dei dicunt, vel loquentes inducuntur : possideamus nobis *campos Dei* (hebr) ; Madianitae fruges terrae sibi quaerebant : ita Iud. 6,3 sq. contra sanctuarium Dei quidquam eos perpetrasse non legitur. Hisce exemplis ultionis divinae, quibus similis exprimitur petitio, subiungit psaltes etiam plures postulationes, quibus perfecta victoria et interitus maxime ignominiosus hostium efflagitatur v. 14, fac eos *ut rotam*, explicant de caulibus cardui in modum globorum circumvolutis et vi ventorum raptis ; quare Hier (in Commentariolis) : pone illos instabiles, fluctuantes, nequaquam solida statione fundatos ; pone eos ut *stipulam* (1,4 ; 34,5. Iob 21,18. Is. 17,13).

Porro petit, ut Deus eos persequatur v. 15 *sicut ignis qui silvam comburit* et montes absumit ; cogita montes arboribus, seu silvis tectos, v. 16 *ita persequeris eos* ; et in turbine tuo conturbabis eos (Hier.). Experiantur confusionem v. 17 *imple facies eorum ignominia* ; verum ipsa poena ut sit illis in salutem, seu ut ipsa poena potentiam Dei discant et agnoscant, psaltes exoptat *et quaerent nomen tuum, Domine*. Repetito expetit v. 18 ignominiam adversariorum permanentem, *in saeculum saeculi*, hyperbolice pro semper ; et in ignominia et calamitate v. 19 *cognoscant*, *nomen Iahve*, scil. nomine Iahve revera designari Deum potentem, populi sui protectorem, ultorem inimicorum : et ita sua ipsorum sorte et iusta castigatione sciant : *tu solus Altissimus* super omnem terram. Hac agnitione gentium etiam optime consulitur gloriae Dei, cuius agi causam psaltes saepius indicaverat (v. 3.4. 6. 13).

Ps. 83.

1. *In finem. Pro torcularibus filiis Core, Psalmus.*

2. *Quam dilecta tabernacula tua | Domine virtutum ! | 3. Concupiscit et deficit anima mea | in atria Domini. | Cor meum et caro mea exsultaverunt | in Deum vivum. | 4. Etenim passer invenit — sibi: domum, | et turtur nidum sibi | ubi ponat pullos suos. | Altaria tua Domine virtutum... | rex meus et Deus meus.*

5. *Beati qui habitant in domo tua Domine | , in saecula — saeculorum : laudabunt te. | 6. Beatus vir cuius — est : auxilium abs te, | ascensiones in corde suo disposuit, | 7. in valle lacrimarum | in loco quem posuit ; | 8. etenim benedictionem dabit legislator, | ibunt de virtute in virtutem, | videbitur Deus deorum in Sion.*

9. *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, | auribus percipe Deus Iacob ; | 10. protector noster aspice Deus, | et respice — in : faciem christi tui ; | 11. quia melior est dies — una : in atriis tuis | super millia ; | elegi abiectus esse in domo Dei mei | magis quam habitare in tabernaculis peccatorum ; | 12. quia misericordiam et veritatem diligit Deus, | gratiam et gloriam dabit Dominus. | 13. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia ; | Domine virtutum, | beatus homo qui sperat in te.*

Exprimitur ardens desiderium sanctuarii (v. 2-4 ; celebratur felicitas eorum qui prope sanctuarium commorantur et ad illud ascendunt (v. 5-8). Imploratur auxilium Dei cum magna spe et fiducia (v. 9-13). Aliqua deesse videntur in v. 4 ; v. 11 non poni videtur suo loco, sed apte refertur ad v. 3 vel post v. 4.

Psalmus adscribitur degentibus in exsilio babylonico (Theod. Lorinus, Ag Gen.), vel reversis iam qui desiderium et gaudium exprimunt de sanctuario iterum recepto (anonymus, Diodorus, Apollinarius, Beda), vel habetur canticum eorum qui ad sanctuarium peregrinantur (Calmet, Pannier, recentiores). Sed tam ardens desiderium videtur Bellarmino ad litteram unice posse pertinere ad coelestia tabernacula. Verum dicamus cum *Gen.* : facile littera transfertur ad spiritum ; id est, ad coelestium mansionum desiderium. — Ceterum vide 41. 42. 62.

Ipsis verbis maxime ardens exprimitur desiderium, ita ut merito dicat Beda, consideratione desideratorum locorum sacrorum animam vix posse satiari ; *quam dilecta*, quam amabilia (in vers. antiqua : cf. Sabatier) ; ratione habita variarum partium sanctuarii (atria, sanctum, s. sanctorum) dicuntur habitacula ; cf. 42,3 ; *Domine virtutum*, exercituum, Iahve sabaoth ; *deficit*, prae desiderii magnitudine : « expetit summo desiderio usque ad animi defectionem : kala כלה est confici

desiderio, animi deliquium pati prae cupiditate alicuius rei, et in genere consumi, deficere » (*Gen.*), deficit non ex infirmitate sed ex nimio amore (anonymus). Distinguitur atrium interius et exterius ; vide de atriis templi 1 Mach. 4,38.48. Totus homo, corpus et anima, *cor et caro exsultant*, iubilant Deo vivo, clamant ad Deum viventem. Ex hebr in v. 3 exprimitur : concupivit, defecit ; nunc quasi desiderio expleto : cor et caro iubilant : iam videtur psaltes praesens esse ad sanctuarium ; ad quod etiam sequentia et v. 11 congruunt.

Comparatione declaratur quam grata et iucunda sit habitatio prope sanctuarium v. 4 etiam avis *invenit domum* ; habent locum, ubi placide requiescunt ; nobis locus amoenus et exoptata quies sunt *altaria tua* ; ita fere *Theod.* ; aliqua supplenda sunt ; alii verba *altaria* pendere volunt ex praecedentibus : concupiscit (Lorinus), imo Cassiodorus ea refert ad *quam amabilia*, gratulatur sibi anima, ait, quasi de domo gratissima. Etiam alii non tam comparationem ibi vident exprimi, quam avem et turturem dici ipsum populum, seu animam pii Dei cultoris qui ut habitaculum et locum refugii et quietis inveniat altaria Domini, qui in cultu Domini suum quaerit et reponit tutamen. Huc optime transferes v. 11.

Quare v. 5 *beati* praedicantur quibus concessum est habitare prope domum Domini, qui sunt praeprimis sacerdotes et levitae ; continuo *laudabunt te* ; pariter *beatus*, cuius fortitudo est in te (hebr, Hier) ; intelligitur collective, nam sequitur : semitae in corde eorum (hebr, Hier), qui proponunt facere sacras illas peregrinationes in Ierusalem. Ita textum hebr aliqui concipiunt (cf. *Ag. Gen. Hoberg, Duhm, Baethgen, Wellh.*). Quod sequitur, est obscurum : transeuntes per vallem fletus fontem ponent eam (hebr, Hier) ; vallem baca veteres omnes vallem fletus interpretantur. Sed quid hoc sibi vult : vallem fletus faciunt fontem ? vide 22,4 si ambulavero in valle caliginis (umbrae mortis), non timebo mala ; porro fons, aquae, rivi saepe in promissionibus commemorantur ut symbolum benedictionum, fertilitatis, consolationis, delectationis : cf. 22,2. Is. 12,3 ; 30,25 ; 32,2 ; 35,6.7 ; 41, 18 ; 44,3. Ioel 3,18. Zach. 13,1 etc. Unde explicari potest : vallis fletus efficietur pro ipsis locus levaminis, locus consolationis et refectionis. Huic non absonum est quod hebr sequitur : etiam benedictionibus teget imber temporaneus ; vertit scil Aq πρωίμους et Ioel 2,23 dabit vobis imbrem matutinum.

Ad similem sensum explica verba LXX vulg : *ascensiones in corde suo disposuit*, peregrinationes, ascensus in Ierusalem, animo statuit suscipere ; pergendum est *in valle lacrimarum* ad locum, *quem posuit* in corde suo, quo ire proposuit ; ita *Ag.* textum accommodare studet ;

hunc dein hominem benedictione donabit *legislator* Deus qui has peregrinationes mandavit ; *ibunt* pii illi viatores, seu peregrinatores *de virtute in virtutem*, non fatigabuntur ambulando, sed valentiores ipso itinere fiunt (*Ag.*), vehementia desiderii (v. 3) iis addit fortitudinem ; ipso gaudio crescunt vires ; et tandem *videbitur*, apparent ipsi et sese sistunt coram Deo ; Hier : parebunt apud Deum in Sion ; simile habet Sym, nam servatum est ex eo πρὸς τὸν θεὸν ἐν Σιών. Sed LXX Aq syr videbitur Deus (punctatione mass. apparet ad Deum in Sion ?) *Deus deorum* sicut rex regum, Deus summus excellentissimus, qui cuncta in se continet et complectitur. Magis ad emphasin est *videbitur Deus*, sese illis manifestabit, experientur eius benedictiones. Ascetae solent ascensiones explicare de bonis cogitationibus et suspiriis ad Deum et ad profectum in perfectione ; ita fere *Theod.* quoque, *Eus. Aug. Bellarm.* alii.

Magna fiducia imploratur auxilium divinum v. 9.10 clipeus noster, vide, Deus, et attende faciem christi tui, uncti tui (hebr, Hier) ; unctus dicitur rex, dicitur quoque pontifex ; immerito aliqui volunt populum quoque vocari christum falso provocantes ad Hab. 3,13. Si psalmus ponitur ante exsilium, rex poterit intelligi ; si post exsilium templo instaurato, pontifex. Uti iam adnotatum est, v. 11 hoc loco non bene contextui congruit : *quia melior est dies una in atriis tuis* quam ceteroquin mille, *super millia* scil. in tabernaculis peccatorum ; effertur uno die apud Deum plus gaudii ac consolationis percipi, quam peccatores hauriant mille diebus. Quare addit : *elegi abiectus esse*, id quod, ut *Ag.* ait, significantius in hebr est : malo ad limen domus Dei mei sedere quam habitare in tabernaculis impietatis. Inter ministeria levitarum extremum erat observare templi aditus et ad limina stare, id quod munus erat Coritarum (1 Par. 9,19) et filiis Core psalmus inscribitur.

Quod sequitur, apte adiungitur uti ad v. 11, ita etiam ad precationem v. 9.10 et ex hebr quidem : v. 12 quia sol et clipeus est Iahve Deus ; ita quoque Aq Sym quinta Hier ; targum : quia murus altus et clipeus fortis ; LXX, Theod vulg *quia misericordiam et veritatem diligit Deus* ; Deus nunquam directe sol vocatur ; nam Is. 60,19 et Mal. 4,2 directa Dei appellatio non habetur ; unde haud immerito recentiores malunt explicare ad usum vocis Is. 54,12 (propugnacula) ; Deus est pinna (minae murorum, Zinne) ; iam Houbig. notat : sol de Deo dictum est sine exemplo in sacris codicibus ; unde vult scribi שׁמר custos pro שׁמשׁ, sed sane praestat explicatio recentiorum ex Is. 54,12. quae etiam apta est ad targum. Notum est apud LXX voces illas : Deus est petra, arx, scutum, exprimi ad sensum ; ita hic fortasse, nisi malueris eos legisse aliter, v. g. שׁמן (cf. *Ag.*).

Tamquam scutum nostrum Deus *gratiam et gloriam dabit* ; nullum bonum negat iis *qui ambulant in innocentia*, in probitate ; *non privabit* non prohibebit bonum ab his : vide 33,11 ; *Domine virtutum*, exercituum ; beatus homo qui confidit in te(Hier).

Ps. 84.

1. *In finem filiis Core, Psalmus.*

2. *Benedixisti Domine terram tuam,* | *avertisti captivitatem Iacob ;* | 3. *remisisti iniquitatem plebis tuae,* | *operuisti omnia peccata eorum :* | 4. *mitigasti omnem iram tuam,* | *avertisti ab ira indignationis tuae.*

5. *Converte nos Deus salutaris noster,* | *et averte iram tuam a nobis.* | 6. *Numquid in aeternum irasceris nobis ?* | — *aut : extendes iram tuam a generatione in generationem ?* | 7. — *Deus : tu conversus vivificabis nos ;* | *et plebs tua laetabitur in te ;* | 8. *ostende nobis Domine misericordiam tuam,* | *et salutare tuum da nobis.*

9. *Audiam quid loquatur — in me : Dominus Deus,* | *quoniam loquetur pacem in plebem suam,* | *et super sanctos suos,* | *et in eos qui convertuntur ad cor.* | 10. *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius,* | *ut inhabitet gloria in terra nostra.*

11. *Misericordia et veritas obviaverunt — sibi :* | *iustitia et pax osculatae sunt.* | 12. *Veritas de terra orta est,* | *et iustitia de coelo prospexit.* | 13. *Etenim Dominus dabit benignitatem,* | *et terra nostra dabit fructum suum.* | 14. *Iustitia ante eum ambulabit,* | *et ponet in via gressus suos.*

Deus quidem avertit captivitatem, remisit culpam populi, iram suam dimisit (v. 2-4) ; at felicitas exspectata tamen adhuc deest : quare haec exoptatur et petitur, ut Deus non iam plebi suae irascatur, verum omnem ei exhibeat misericordiam (v. 5-8). Hanc vates audiens Deum in se loquentem annuntiat, piis scil. fore pacem (v. 9-10), largiente Domino fore, ut tandem adsit in terra benevolentia et fides, iustitia et pax (v. 11-14).

Argumentum psalmi eam depingit in priore parte animorum indolem quam reduces ex exsilio habuisse Esdras et Malachias clare exhibent (Esdr. 3,12. Mal. 1,2 sq.). Redierunt scil. maxima exspectatione conditionis felicissimae ; neque hoc mirum videri poterit : prophetas enim simul cum promissione reditus instaurationem messianam splendide descripsisse scimus (cf. Is. 52.54.60. Ier. 30-33. Ez. 34-37. Os. 2,18 etc.).

Grato animo agnoscit psaltes v. 2 Deum benigne favorem praestitisse terrae suae ; placatus es terrae tuae (Hier), quae est hereditas Domini (78,1. Ier. 2,7) ; reduxisti captivitatem Iacob (Hier) ; locutio

hebr per se sensu generali mutationem sortis in melius denotat ; vide ad 13,7 ; ex quo favore praestito concluditur, Deum culpam nationalem remisisse v. 3 et retraxisse et deposuisse iram suam, qua populum suum in exsilium eiecerat v. 4 ; ipsa enim solutio exsilii documentum est favoris divini, quo populum suum iterum in gratiam recepit (cf. Is. 40,1).

Verum in hac ipsa instauratione minime omnem exspectationem felicitatis esse impletam, clare ex sequentibus elucet. Transitus ad v. 5 potest mirus videri. Modo in v. 4 dictum est : conversus es ab ira furoris tui (Hier) et nunc nihilominus auditur precatio v. 5 *averte iram tuam a nobis* ; quomodo hoc ? ex ipsa priore postulatione ; *converte nos*, restitue nos, Deus salutis nostrae auctor et largitor, iam apparet, exsilium quidem esse solutum et iram Dei ex poena exsilii notam et in illa expressam cessasse, uti v. 2-4 declaratur, at restitutionem in integrum nondum esse factam. Quare ex conditione parum felice merito concluditur adhuc superesse iram Dei. Unde si bene perpenditur haec petitio : restitue nos in statum pristinum, restitue nos in integrum, quae fiat post gratam agnitionem exsilii soluti, non videtur tanta adesse oppositio seu fere contradictio inter v. 4 et 5 ; verum solummodo dicitur : multa dedisti (v. 2-4), at vide, alia adhuc desunt !

Idque eo magis valet ratione habita magnificentiae promissionum : quae cum retineantur nec praestentur, merito poni potest quaestio v. 6 num adhuc semper nobis irasceris, *extendes iram* in futuras generationes ? Cui querelae subiungitur petitio : nonne tu iterum vivificabis nos (hebr), *conversus* i.e. iterum, denuo ; prior quasi reductio ad vitam, ad vitam nationis, erat reductio ex exsilio ; restat, ut conditio populi evadat omni ex parte felix ac potens, ita quidem, ut tandem populus possit plene et perfecte *laetari in te*, in tuis beneficiis plene acceptis. En quid adhuc desit ? v. 8 *ostende nobis*, fac nos videre, experiri tuam benevolentiam et salutem, plenam illam quam promisisti *da nobis* ! Hac ratione bene inter se cohaerent duae hae partes v. 2-4 et 5-8, dummodo rite expendatur sensus illius : restitue nos, quod petitur facta iam *aliqua* restitutione ! Forte planior efficitur transitus ad v. 5, si v. 4 legatur interrogatione : num *omnem* iram tuam retraxisti et recessisti ab indignatione irae tuae ?

Atque hanc meliorem conditionem vates iam Deum sibi loquentem audiens annuntiat v. 9, cf. Mich. 7,7 ego autem ad Dominum aspiciam ; Hab. 2,1 super custodiam meam stabo, ut videam quid dicatur mihi ; simili modo hic petit psaltes : *audiam* ; et mox percipit quae sit Dei ad suos locutio : *loquetur pacem*, locutio autem Dei est effectio : dixit et facta sunt ; *pacem super sanctos*, חסידים sunt pii Dei cultores.

qui habent divinam benevolentiam, qui secundum LXX cor suum convertunt ad eum καὶ ἐπὶ ἐπιστρέφοντας πρὸς αὐτὸν καρδίαν, qui textus clarus est et plane aptus ad contextum ; quare merito recentiores hebr eo modo emendant. Fert hebr : ne convertantur ad stultitiam (Aq Sym Hier syr targum), id quod in hac sententiarum serie minus placet. Atque ex Dei voluntate haec pax, seu *salutare ipsius* propinquum est timentibus eum v. 10, Deus paratus est illud dare, *ut inhabitet gloria in terra nostra*, ut scil. iterum remoto opprobrio gentium contra nos resideat honor, gloria, prosperitas in terra, et haec sit firma et durabilis et apud nationes nobis conciliet magnam aestimationem et famam.

Iam illud salutare accuratius declaratur v. 11 *misericordia*, clementia, gratia *et veritas* quam homines inter se praestabunt, cum loquatur unusquisque veritatem ad proximum suum, fides, *obviaverunt sibi*, sibi obviam occurrent, inter sese excipient, simul iunctae aderunt ; *iustitia*, rectus ille status, probitas, rectitudo, norma illa recti quam Deus vult et mandat, *et pax*, fructus praeclarus et beans illius, *osculatae sunt*, amice et arcte inter se copulatae aderunt. Itaque salutare Dei consistet in hisce quattuor ; et hisce quoque efficietur, ut inhabitet gloria in terra v. 10. Ad hoc salutare efficiendum, coelum et terra, Deus et homines cooperentur oportet v. 12 *veritas de terra orta est* germinat, *et iustitia de coelo prospexit* prospectat ; homines ex sua parte veritatis amantes, fidei seu fidelitatis studiosi esse debent ; de coelo autem i.e. de gratia Dei exspectari debet et sperari status ille rectus et salutaris. Uti accuratius exponitur v. 13 *etenim Dominus dabit* bonum et *terra dabit fructum suum* ; cum statu illo recto coniuncta erit prosperitas, fertilitas terrae (cf. Zach. 8,12).

Indicatur, quod explicite propheta de promissionibus implendis statuit : erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri (Zach. 6,15). Concludit psaltes monens statum illum rectum, salutare illud unice reperiri apud Dominum ; quam intimam coniunctionem ita describit : iustitia ante eum ingreditur et facit gressus eius in viam ; ante eum et post eum ingreditur, ergo Dominus apparet quasi circumdatus iustitia ; alterum membrum hebr etiam verti potest : et advertit ad viam gressum eius. Idem est sensus.

Ps. 85.

Oratio ipsi David.

1. *Inclina Domine aurem tuam — et : exaudi me,* | *quoniam inops et pauper sum ego ;* | 2. *custodi animam meam, quoniam sanctus sum,* | *salvum fac servum*

tuum, Deus meus, sperantem in te. | 3. *Miserere mei, Domine,* | *quoniam ad te clamavi tota die ;* | 4. *laetifica animam servi tui,* | *quoniam ad te, Domine, animam meam levavi ;* | 5. *quoniam tu, Domine, suavis et mitis* | *et multae misericordiae omnibus invocantibus te.* | 6. *Auribus percipe Domine orationem meam,* | *et intende voci deprecationis meae.*

7. *In die tribulationis meae clamavi ad te,* | *quia exaudisti me.* | 8. *Non est similis tui in diis Domine,* | *et non est secundum opera tua.* | 9. *Omnes gentes, quas — cumque : fecisti venient* | *et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum,* | 10. *quoniam magnus es tu et faciens mirabilia,* | *tu — es : Deus solus.* | 11. *Deduc me, Domine, in via tua,* | *et ingrediar in veritate tua ;* | *laetetur cor meum ut timeat nomen tuum.* | 12. *Confitebor tibi Domine, Deus meus in toto corde meo,* | *et glorificabo nomen tuum in aeternum,* | 13. *quia misericordia tua magna — est : super me,* | *et eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

14. *Deus, iniqui insurrexerunt super me,* | *et synagoga potentium quaesierunt animam meam.* | *et non proposuerunt te in conspectu suo.* | 15. *Et tu Domine Deus miserator et misericors,* | *patiens et multae misericordiae et verax ;* | 16. *respice in me et miserere mei,* | *da imperium tuum puero tuo,* | *et salvum fac filium ancillae tuae.* | 17. *Fac mecum signum in bonum,* | *ut videant qui oderunt me et confundantur,* | *quoniam tu Domine adiuvisti me et consolatus es me.*

Petit David, ut Deus exaudiat preces et afferuntur variae rationes, quibus Deus ad misericordiam flectatur (v. 1-6). Commemorata Dei maiestate et laudata denuo petit, ut in via Dei custodiatur et Deum servatorem digne celebret (v. 7-13). Efflagitat demum, ut auxilium contra inimicos inveniat, et ii confundantur (v. 14-17).

Ut Deus benigne exaudiat, ei proponitur prius ex parte ipsius petentis : miser (afflictus) sum et pauper ; dein *sanctus* v. 2 חסיד tua benevolentia donatus, addictus tuo cultui ; porro : sum servus tuus, qui in te omnem suam collocat spem ; v. 3 et 4 en, instanter et diu clamo ad te. Demum v. 5 etiam ratio affertur ex parte Dei ; nam *tu es suavis et mitis*, bonus et propitiabilis (hebr), pronus ad veniam dandam. Aq Theod ἱλαστής propitius, Sym ἀφίων dimittens ; et multus misericordia (Hier), dives benevolentia erga invocantes te. Concluditur v. 6 petitione rationibus istis ex utraque parte expositis.

In v. 7 secundum hebr enuntiatur propositum sequens ex antecedentibus : *in die tribulationis meae clamo ad te*, nam exaudies me ; idem enuntiatur tempore futuro (invocabo, exaudies) apud Aq Sym Hier targum ; LXX, syr, vulg *clamavi*, commemoratur iam praeterito tempore Deum orationes benigne suscepisse. Dein v. 8 effertur maiestas Dei, qui quoad se et quoad opera sua non habet quidquam simile, sed unus omnium est excellentissimus (70,19) ; quare *omnes gentes eum adorabunt et glorificabunt* ; tu solus Deus *magnus es et faciens mirabilia* v. 10. Cum Deus tantae sit celsitudinis, quid iam erit pro homine maxime optabile ? v. 11 doce me Domine viam tuam, ut ambulem in

veritate tua (hebr, Hier), vel in fide, seu fidelitate erga te ; ut vitam agam secundum mandata tua fideliter et constanter ; cf. 26,11 ; *laetetur cor meum*, ita LXX syr, vulg, laetetur te laetificante, ut hac consolatione recreatus maneam in tuo cultu, in reverentia et religione tua ; hebr uni cor meum, Sym ἕνωσον τὴν καρδίαν μου εἰς φόβον ; similiter Aq, Hier, targum ; ergo : uni cor meum et totum dirige ad tuum cultum, uni, scil. ne scindatur et in varias partes distrahatur. Timor Dei saepe est expressio generalis pro cultu, pietate, religione Deo laudes persolvuntur et promittuntur continuae v. 12, quia psaltes iam expertus est magnam Dei misericordiam, cum vita eius ex periculo mortis servaretur v. 13, *ex inferno inferiori*, ex orco profundo cf. 55, 14. Deut. 32,22.

Expetitur auxilium contra adversarios v. 14 superbi (hebr, Hier) surgunt contra me, et coetus robustorum insidiantur vitae meae ; cf. 53,4 ; ad v. 15 vide Ex 34,6 ; v. 16 *da imperium puero tuo*, explica ex hebr et LXX δὸς τὸ κράτος σου, da robur tuum servo tuo, praebe mihi, servo tuo, potentissimum tuum auxilium et adiuva me, filium ancillae tuae, me vernam tuum, in membro parallelo ad servum tuum ; cf. 115,16. Et qua ratione iuvari exoptet, exponit v. 17 *fac mecum signum in bonum*, ede palam illustre aliquod exemplum seu documentum, signum tuae in me bonitatis, ut adversarii mei id videntes confundantur et cum erubescentia cognoscant te esse mihi adiutorem et consolatorem.

Ps. 86.

1. *Filiis Core, Psalmus cantici.*

Fundamenta eius in montibus sanctis. | 2. *Diligit Dominus portas Sion* | *super omnia tabernacula Iacob.* | 3. *Gloriosa dicta sunt de te,* | *civitas Dei.* | 4. *Memor ero Rahab et Babylonis* | *scientium me ;* | *ecce alienigenae et Tyrus — et : populus Aethiopum* | *hi fuerunt illic.* | 5. *Numquid Sion dicet : homo et homo natus est in ea,* | *et ipse fundavit eam Altissimus.* | 6. *Dominus narrabit in scripturis populorum et principum :* | *horum qui fuerunt in ea.* | 7. *Sicut laetantium omnium* | *habitatio est in te.*

Psalmus ab initio mancus esse nonnullis videtur, cum initium ab *eius* fieri nequeat ; sed vide infra.

Celebratur excellentia Sion, quia Deus eam diligit et firmavit, et quia in libris Dei omnes inscribendi erunt tamquam cives Sion. De eo Psalmo cf. praesertim *Zorell* in Zeitschrift f. kath. Theologie 1906, p. 762-764.

Illud *eius* hebr masculinum est: ergo supple: id quod Dominus fundavit, condidit (exstructio Domini), est *in montibus sanctis*; intelligitur ipsa urbs Ierusalem et templum; montes, colles iam aliquid sanctitatis ex eo habent quod hi electi sunt a Domino, in quibus urbem et templum esse voluit; urbs complectebatur plures colles. Abruptum illud initium aliqui removere student iungentes: exstructionem suam in montibus sanctis diligit Iahve, portas Sion plus quam omnia habitacula Iacob. Censet *Zorell* priorem stichum esse legendum ut vocativum et in altero sticho continuari allocutionem: Tu, fundatio eius in montibus sanctis! — Diligit Iahve portas tuas, Sion (cf. Ps. 3, 9; 83, 3). — Civitas et templum eminent dignitate et dilectione Dei prae omnibus oppidis et urbibus populi Iacob. Et huius dilectionis Dei documentum insigne ipsis verbis Dei enarratur in sequentibus; *gloriosa* haec enuntiantur v. 4 commemoro Rahab et Babylonem inter scientes me; Rahab, nomen est Aegypti 89, 11 hebr. Is. 30,7; renovatur vaticinium Is. 19, 25 benedictus populus meus Aegyptus et opus manus meae Assur (hebr); solum regno assyriaco iam successit regnum babylonicum; *ecce* Philisthaea et Tyrus cum Cusch: hic natus est ibi; ita hebr, Aq Sym οὗτος ἐτέχθη ἐκεῖ, Hier, syr; LXX οὗτοι ἐγενήθησαν ἐκεῖ hi nati sunt ibi, hi sunt cives Sion. Nationes exterae, alias inimicae populo Dei, iam coram Dei propheta aestimantur cives Sion, cultores Dei, unum populum Dei et regnum Dei cum Israel constituentes.

Explicatur illud: hic natus est ibi in v. 5 hebr et ad Sion dicetur: vir et vir (unusquisque) natus est in ea, et ipse sustentat eam, Altissimus. Quam lectionem etiam habent Aq τῇ Σιὼν λεχθήσεται, Sym περὶ Σιὼν λεχθήσεται καθ' ἕκαστον· ἄνθρωπος οὗτος ἐτέχθη ἐν αὐτῇ, Theod, syr, Hier, targum. LXX μήτηρ Σιὼν ἐρεῖ (lectio communiter recepta, reperitur quoque μὴ τῇ Σιὼν), vulg *numquid Sion dicet*; sed ut sensus rite habeatur, explicandum erit secundum hebr: nonne Sioni dicent vel dicetur. Verba haec videntur adhuc pertinere ad locutionem Dei; quare *Duhm* partim sequens textum graecum ita corrigit: at Sion dico matrem. Exhibetur Sion tamquam mater omnium eorum qui vere colunt Deum. Hi omnes ibi nati sunt, sunt cives Sion; et Sion tamquam matrem firmiter constitui, proinde etiam cives Sion fore tutos ac securos, asseritur: *et ipse* sustentat *eam* Altissimus.

Eadem notio de Sion matre omnium repetitur v. 6 Dominus numerat in albo populorum: hic natus est ibi; vel ut Hier vertit hebr: numeravit scribens populos: ipse natus est in ea; eodem modo Sym: Aq ἐν τῷ γράφειν λαούς, Theod ἐν γραφῇ λαῶν, quinta ἐν ἀπογραφῇ λαῶν, syr Dominus recenset in libro populos. Postquam in v. 4 aliqui ex

populis nominati sunt, hic in universum de omnibus sermo est, qui in libro seu albo Dei continentur; ibi autem, seu in cognitione Dei ad unum omnes adsunt. Et Deus illos agnoscit ut suos qui in Sion nati sunt, cives Sion sunt. Textus LXX et vulg est obscurus; iam *Eus.* recte notavit : reliquorum interpretum editiones clarius (λευκότερον) sententiam exposuerunt; et ideo adscribit verba Aq Theod. Quare verba LXX et vulg in eunden sensum trahenda sunt.

Adiungitur in v. 7 epiphonema ad Sion de magno gaudio piorum in ea commorantium (*Gen.*), valde gaudent omnes qui in Sion habitant; habitatio in te omnium est sicut habitatio laetantium. Hebr vertit Hier (sequens Aq) : et cantabunt quasi in choris : omnes fontes mei in te, ἄδοντες ὡς χοροί, cantant quando saltant : omnes fontes mei in te. Intellige fontes eo modo quo saepe sermo fit : torrente voluptatis potabis eos 35,9; de fontibus salutis Is 12,3; fons vitae Ps. 35,10; Prov. 6,11 veniet ut fons messis tua; saepius aquae symbolum sunt bonorum Is. 43,20; 44,3. Unde profitentur bona salutis sibi provenire ex Sion. Hic psalmus itaque complectitur illa vaticinia messiana de vocatione et salute gentium, vide Is. 2,2-4; 14,1; 49,6; 54,15; 60,3 sq. Ez. 16,61; 37,28. Am. 9,12. Mich. 4, 1-3. Est ulterior quaedam explicatio illius : in te, in semine tuo benedicentur omnes gentes (cf. 71, 17).

Ps. 87.

1. *Canticum Psalmi. Filiis Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, intellectus* *Eman Ezrahitae.*

2. *Domine Deus salutis meae, in die clamavi,* | *— et : nocte coram te;* | 3. *intret in conspectu tuo oratio mea;* | *inclina aurem tuam ad precem meam;* | 4. *quia repleta est malis anima mea,* | *et vita mea inferno appropinquavit.* | 5. *Aestimatus sum cum descendentibus in lacum,* | *factus sum sicut homo sine adiutorio,* | 6. *inter mortuos liber,* | *sicut vulnerati dormientes in sepulcris,* | *quorum non es memor amplius,* | *et ipsi de manu tua repulsi sunt.* | 7. *Posuerunt me in lacu inferiori,* | *in tenebrosis et in umbra mortis.*

8. *Super me confirmatus est furor tuus,* | *et omnes fluctus tuos induxisti super me.* | 9. *Longe fecisti notos meos a me,* | *posuerunt me abominationem sibi.* | *Traditus sum et non egrediebar :* | 10. *oculi mei languerunt prae inopia.* | *Clamavi ad te, Domine, tota die,* | *expandi ad te manus meas.* | 11. *Numquid mortuis facies mirabilia,* | *aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi?* | 12. *Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam,* | *et veritatem tuam in perditione?* | 13. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua,* | *et iustitia tua in terra oblivionis?*

14. *Et ego ad te Domine clamavi,* | *et mane oratio mea praeveniet te.* | 15. *Ut quid Domine repellis orationem meam,* | *avertis faciem tuam a me?* | 16. *Pauper*

– sum : ego et in laboribus a iuventute — mea : | exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus. | 17. In me transierunt irae tuae | — et : terrores tui conturbaverunt me; | 18. circumdederunt me sicut aqua tota die, | circumdederunt me simul. | 19. Elongasti a me amicum et proximum, | — et : notos meos a miseria.

Petit, ut audiatur a Deo oratio ; nam obrutus miseriis, iam quasi assimilatus mortuis est, sine adiutorio, veluti in profundo orco collocatus (v. 2-7). Insuper ira Dei gravi pondere premitur, factus abominatio cognatis, viribus destitutus ; nihilominus instanter clamat ad Deum pluribus monens a mortuis nihil gloriae ac laudis Deo pendi (v. 8-13). Miratur cur Deus repellat orationem tam constanter oblatam ab eo, qui iam a iuventute afflictionibus erat expositus ; utique furor Dei me undequaque cingit ; insuper cognatos a me avertit Deus (v. 14-19). — Est igitur querela afflicti sine consolatione.

Ardens effunditur precatio expositis tribulationibus ; at nihil adiutorii videtur concedi ; nam in fine legitur : ut quid repellis orationem meam ? et concluditur assertione afflictionis a Deo et hominibus precanti factae. In hac rerum conditione psalten nihilominus retinere spem ac fiduciam in Deum salvatorem edocemur statim ab initio ; nam die ac nocte clamat ad Deum, quem vocat *Deum salutis meae*, Deus qui mihi est auctor et largitor salutis ; et tali persuasione humiliter petit v. 3, ut oratio sua admittatur coram facie Dei, ut Deus inclinet aurem ad clamorosam flagitationem. Id aequum videtur ; nam tribulationes iam ad supremum gradum ascenderunt v. 4 : anima satiata est malis ; mors proxime instat ; iam accenseor v. 5 illis qui descendunt in fossam, in sepulcrum ; desperatum est de vita mea ; *factus sum* sicut vir invalidus (Hier) ; *inter mortuos liber*, Sym ἐντὸς νεκρῶν ἀφεὶς ἐλεύθερος (ἀφεθείς) inter mortuos dimissus liber ; veteres omnes vertunt *liber* ; sensus itaque erit : inter mortuos reputor, cum adhuc liber sim et vivus ; vivens mortuus sum ; alii putant verti posse : inter mortuos stratum meum ; alii coniectant aliud verbum : habito, reputor ; *sicut vulnerati*, interfecti (Hier, et alii) iacentes in sepulcro, quorum curam Deus iam non gerit, nam abscissi sunt a manu, a protectione Dei. Idque eadem comparatione declaratur v. 7 *posuerunt me*, posuisti me (hebr, Hier, al.) in fossa profundissima, in locis tenebricosis et profundis.

Hisce comparationibus describitur extrema rerum inopia, status plane desperatus, conditio prostrata. Ex complurium opinione vix sermo erit de uno aliquo, verum potius de calamitate quadam nationali, ex qua quomodo emergendum sit nullibi apparet. Quare videntur sibi *sicut* mortui, vivimus quidem adhuc, sed haec vita ipsa est pernicies ;

aestimamur velut in sepulcro abditi, nam Deus nostri oblitus est ; opis eius destituimur, sicut illi ; obvolvimur tenebris sicuti mortui. Huius derelictionis ratio intelligitur posita in ira Dei v. 8 incumbit super me *furor tuus* et cunctis fluctibus tuis afflixisti me (Hier, Sym), cf. 41,8, fluctus tui, imago calamitatum inundantium et opprimentium. Praeterea Deus etiam amicos reddidit mihi alienos, ita ut a me longe recedant ; *posuisti* me (hebr, Hier, Sym) *abominationem* illis ; ita me percussisti clade et calamitatibus, ut amici qui olim fuerint iam me abominentur tamquam a Deo abiectum — tamquam leprosum (*Alg.*) ; *traditus sum*, clausus sum ita ut egredi non possim ; undique malis obseptus, ita ut effugium nullibi pateat cf. Lam. 3,7 ; *oculi mei* tabescunt prae afflictione ; cf. 6, 8 ; Iob 19, 13 sq. In tali statu utique cotidie clamat ad Deum v. 10 et expandit manus ad Deum — at frustra, nihil subsidii conceditur.

Et quanta vehementia petat, ut auxilium diu dilatum tandem concedatur, apparet ex eo quod confugit ad ultimum illud veterum sanctorum argumentum : solum me viventem beneficiis donare potes, solum vivens te laudare possum (cf. 6,6 ; 29,10 ; 113,17. Is. 38,18). Quare bene notat ad v. 11 *Calm.* : « haec argumenta frequenter urgent sacri scriptores, ut Deum ad opem sibi ferendam seque discrimine liberandos trahant ; nihil aptius illis occurrebat, quo illius et excitaretur gloria et misericordia flecteretur ; eaque ratione tacite pollicebantur fore, ut sua ipsorum vita divinis laudibus et gratiarum actionibus occuparetur ». Unde : ne sinas me penitus interimi ; nam v. 11 : neque enim mortuis soles mirabilia operari ; vita nostra tempus est et occasio ostendendae tuae potentiae ! *aut medici suscitabunt* LXX vulg, neque medici poterunt nos suscitare, ut denuo tibi in vita hac laudes dicamus ; verum nihil de medicis in hebr [1] : num umbrae surgent, ut confiteantur tibi ? numquid in sepulcro narratur benevolentia (gratia) tua, vel in loco interitus fidelitas tua ? numquid noscentur in tenebris mirabilia tua et iustitia tua in terra oblivionis ? cf. de terra oblivionis Iob 14,21 ; 21,21.

Invocavit Deum salutis suae v. 2 ; quia itaque post mortem iam non est tempus et occasio salutis conferendae aut opis praestandae, idcirco v. 14 *et ego ad te* clamo et mane oratio mea venit coram te. Singulis diebus orat ; at v. 15 quare abiicis animam meam (hebr, Hier, Aq Sym syr targum) i. e. desiderium, petitionem animae meae ;

1. Notat Hier (Commentarioli) : rafaim verbum hebraeum aut gigantas significat aut medicos. Unde Symmachus transtulit : aut rafaim theomachi resurgentes confitebuntur tibi ?

unde vulg repellis orationem meam, LXX, ut hebr, τὴν ψυχήν μου. forte melius explicabis : quare repellis, seu abiicis me? *abscondis faciem tuam a me*? ne quasi videas, audias me ; lumen vultus Dei est favor Dei ; abscondere faciem idem ac negare favorem et gratiam. Et ad cumulum miseriae accedit eius diuturnitas v. 16 : afflictus sum et aerumnosus (Hier), hebr moriens, Sym ἐκλείπων deficiens *a iuventute mea* ; etiam hoc de natione dici potest ; nam ab egressu ex Aegypto tot infestationes expertus est populus Israel, ut in conditione tristi eiusmodi querela omnino sit ad rem ; porto terrores tuos et conturbatus sum (Hier), LXX ἐξηπορήθην, אבוכה ? alii emendant אבוכה torpidus sum. LXX ὑψωθείς, vulg *exaltatus* refer, ut sensus habeatur, ad aetatem post iuventutem nationis : grandior et provectior factus aetate, *humiliatus sum et conturbatus* ; sed facile cernitur esse menda interpretationis quae ex נשאתי facile explicatur.

Nulla conceditur requies v. 17 super me transeunt irae tuae, et terrores tui me opprimunt ; cf. Iob 6, 4. Ardoribus irae et terroribus quasi involutus est et plane conclusus v. 18 circumdant me sicut aqua tota die ; cf. 41,8 ; vallant me pariter (cf. Hier) ; cf. Lam. 3,9 ; exprimitur copia malorum magna et perennis sine intermissione. Neque quisquam ex nobis et amicis adest consolator v. 19 longe fecisti a me amicum et sodalem (Hier) ; familiares sunt — tenebrae (hebr) ; videtur accipiendum esse, uti illud : putredini dixi : pater meus es ; mater mea et soror mea vermibus (Iob 17,14). Unus amicus familiaris mihi restat — caligo, tenebrae ; ita amara quadam ironia concluditur psalmus hic tristis et aerumnosus, ac si psaltes rediens mente ad v. 5-7 nihil iam ultra exspectaret praeter orci tenebras, hisce consolandus quasi alter Iob (Iob 3, 20.21).

In v. 17-19 uti in v. 7.8.9 a Deo se affligi et quasi fluctibus obrui et amicos a se arceri et prohiberi conqueritur. Vehementer dolentis esse potest repetere eandem querelam ; atque hic pondus quoddam adesse potest, ut postquam saepius asseruit se clamare ad Deum, denuo repetat : ecce ardores irae Dei me involvunt, etc.

Aliqua in hoc psalmo affinia sunt iis quae in ps. 21 leguntur ; « inter mortuos liber » nemo erat nisi Christus ; ita arguit *Eus.* et psalmum de Christi passione explicat ; item de Christo explicant Athanasius, Apollinarius, Augustinus, partim Didymus quoque, Euthymius, Bellarminus.

Alii psalmum de exsilio babylonico interpretantur, uti anonymi paraphrasis, Theodoretus, Didymus ex parte, Corderius, Calmet ; id quod inscriptioni psalmi non congruit, si Eman Ezrahita idem intelligitur, cuius mentio fit 3 Reg. 4,31 hebr. 5, 11 , de quo loco satis difficili vide Commentarios.

Ps. 88.

1. *Intellectus Ethan Ezrahitae.*

2. *Misericordias Domini in aeternum cantabo,* | *in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo ;* | 3. *quoniam dixisti, in aeternum misericordia aedificabitur — in : coelis,* | *praeparabitur veritas tua* * *in eis :* | 4. *Disposui testamentum electis meis,* | *iuravi David servo meo :* | 5. *usque in aeternum praeparabo semen tuum,* | *et aedificabo in generationem et generationem sedem tuam.* |

6. *Confitebuntur coeli mirabilia tua, Domine,* | *et — enim : veritatem tuam in ecclesia sanctorum ;* | 7. *quoniam quis in nubibus aequabitur Domino,* | *similis erit Deo in filiis Dei ?* | 8. *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum,* | *magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.* | 9. *Domine Deus virtutum quis similis tibi ?* | *potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.* | 10. *Tu dominaris potestati maris,* | *motum autem fluctuum eius tu mitigas.* | 11. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum,* | *in brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos.* | 12. *Tui sunt coeli et tua est terra,* | *orbem terrae et plenitudinem eius tu fundasti ;* | 13. *aquilonem et mare tu creasti,* | *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt ;* | 14. *tuum brachium cum potentia ;* | *firmetur manus tua — et : exaltetur dextera tua.* | 15. *Iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae,* | *misericordia et veritas praecedent faciem tuam.* | 16. *Beatus populus qui scit iubilationem,* | *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt ;* | 17. *— et : in nomine tuo exsultabunt tota die ;* | *et in iustitia tua exaltabuntur ;* | 18. *quoniam gloria virtutis eorum tu es ;* | *et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum ;* | 19. *quia* *Domini est assumptio* *nostra :* | *et sancti Israel regis nostri.*

20. *Tunc locutus es in visione sanctis tuis et dixisti :* | *posui adiutorium in potente,* | *— et : exaltavi electum de plebe — mea.* | 21. *Inveni David servum meum ;* | *oleo sancto meo unxi eum :* | 22. *manus — enim : mea auxiliabitur ei,* | *et brachium meum confortabit eum ;* | 23. *nihil proficiet inimicus in eo,* | *et filius iniquitatis non apponet nocere ei.* | 24. *Et concidam a facie ipsius inimicos eius* | *et odientes eum in fugam convertam.* | 23. *Et veritas mea et misericordia mea cum ipso,* | *et in nomine meo exaltabitur cornu eius.* | 26. *Et ponam in mari manum eius,* | *et in fluminibus dexteram eius.* | 27. *Ipse invocabit me : pater meus es tu,* | *Deus meus et susceptor salutis meae.* | 28. *Et ego primogenitum ponam illum* | *excelsum — prae : regibus terrae.* | 29. *In aeternum servabo illi misericordiam meam,* | *et testamentum meum fidele ipsi ;* | 30. *et ponam in saeculum — saeculi : semen eius,* | *et thronum eius sicut dies coeli.* | 31. *Si — autem : dereliquerint filii eius legem meam,* | *et in iudiciis meis non ambulaverint ;* | 32. *si iustitias meas profanaverint ;* | *et mandata mea non custodierint,* | 33. *visitabo in virga iniquitates eorum,* | *et in verberibus peccata eorum.* | 34. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo,* | *neque nocebo in veritate mea ;* | 35. *neque profanabo testamentum meum,* | *et quae procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* | 36. *Semel iuravi in sancto meo,* | *si David mentiar :* | 37. *semen eius in aeternum manebit ;* | 38. *et thronus eius sicut sol in conspectu meo ;* | *— et : sicut luna perfecta in aeternum :* | *et testis in coelo fidelis.*

39. *Tu vero repulisti et despexisti,* | *distulisti christum tuum ;* | 40. *evertisti testamentum servi tui,* | *profanasti in terra sanctuarium eius.* | 41. *Destruxisti omnes*

sepes eius, | *posuisti firmamentum eius formidinem.* | 42. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam,* | *factus est opprobrium vicinis suis.* | 42. *Exaltasti dexteram deprimentium eum,* | *laetificasti omnes inimicos eius;* | 44. *avertisti adiutorium gladii eius,* | *et non es auxiliatus ei in bello.* | 45. *Destruxisti eum ab emundatione* | *et sedem eius in terram collisisti;* | 46. *minorasti dies temporis eius,* | *perfudisti eum confusione.*

47. *Usquequo Domine avertis in finem;* | *exardescit sicut ignis ira tua?* | 48. *Memorare quae mea substantia:* | *numquid enim vane constituisti omnes: filios hominum?* | 49. *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem,* | *eruet animam suam de manu inferi?* | 50. *Ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine,* | *sicut iurasti David in veritate tua?* | 51. *Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum* | (*quod continui in sinu meo*) *multarum gentium,* | 52. *quod exprobraverunt inimici tui Domine,* | *quod exprobraverúnt commutationem christi tui.*

53. *Benedictus Dominus in aeternum; fiat, fiat!*

In v. 2-5 argumentum brevi ponitur: promissio Davidi facta throni aeterni. Ex qua promissione psaltes ansam capit celebrandi divinam maiestatem, fidelitatem, potentiam, dominationem universalem, iustitiam et benignitatem (v. 6-15) et praedicandi beatum populum (v. 16-19). Dein ipsa illa promissio (2 Reg. 7, 14 sq.) proponitur: Dominus elegit David, ei auxilium, victorias, regnum promisit; in suum quasi filium assumpsit et regem excelsum fecit, ita ut semen et thronus eius maneat in aeternum; quodsi posteri eius peccaverint, punientur quidem, at promissio illa iuramento firmata stabit (v. 20-38). Verum praesens rerum conditio plane contraria apparet illi promissioni (v. 39-46); quare Deus memor sit misericordiae suae pristinae et opprobrii servorum suorum (v. 47-52).

Nomine totius populi Dei praesentis et futuri spondet psaltes et docet celebrandas esse semper, a generatione in generationem, ergo perpetuo *misericordias* Domini, scil. exhibitiones ac documenta eius gratiae, benignitatis; et simul cum eis praedicandam esse *veritatem*, qua scil. quae dixit, promisit, vere servat et vera facit, quae veritas Dei est eius fidelitas, quem sensum praebet אמיצה firmitas, veracitas, fides, fidelitas. Intelligi praeprimis promissiones Davidi factas, elucet ex sequentibus; sunt scil. illae misericordiae David fideles Is. 55, 3. Et ratio ac fundamentum celebrandi in aeternum continetur in effato divino v. 3 *quoniam dixisti*, hebr dixi, ita Aq. Sym Theod quinta; at cum LXX et Hier legi oportet *dixisti*, quod unice ad sensum aptum est: aeternum quoddam aedificium gratiae exstructur, *aedificabitur*, verbum est selectum ob v. 5 vel potius ob 2 Reg. 7, 27, ubi David promissiones sibi factas recolens dicit: revelasti aurem servi tui dicens: domum aedificabo tibi. Illud *in coelis* est iungendum cum

sequenti membro : ita hebr. Eus. Sym ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἑτοιμασθήσεται ἡ ἀλήθειά σου, similiter iungunt syr, Hier, Aug. Theod. heracl. Diodorus, anonymus (in Catena), Ag. ; eiusmodi enim promissio stabilitatem obtinet in coelo ; sermonis veritas et fides firmatur coelitus, servatur, regitur, exsecutioni mandatur per Deum regnantem in coelis ; hebr coeli — stabilies fidelitatem tuam in eis ; vertit Hier : coelos fundabis et veritas tua in eis ; sensus erit : sicuti coeli, ita fidelitas tua est stabilis. In v. 4 pepigi foedus cum electo meo : διαθήκην *testamentum*, in vulg saepius legitur testamentum notione foederis, pacti (24, 18 ; 43, 18 ; 49, 5 ; 54, 21 ; 73, 20 ; 77, 10). Bene notat *Eus.* reliquos omnes praeter LXX habere τῷ ἐπιλέκτῳ μου : qui electus scil. est David, uti in membro parallelo : *iuravi David* ; v. 5 *usque in aeternum* stabiliam semen tuum ; cf. 2 Reg. 7, 12. 13. 1 Par. 22, 10 firmabo solium regni eius in aeternum.

Pro hac promissione et clementia coeli et terra Dominum laudabunt : *coeli* mirabile opus tuum laudibus efferunt, et *veritatem*, fidelitatem tuam celebrant in coetu sanctorum, in populo tibi consecrato, *in ecclesia sanctorum*. Opus mirabile, miraculum est promissio illa Davidi facta : quae misericordia חסד gratia vocatur. In sequentibus laudes Dei explicantur v. 7 Deus est eminentissimus, omnes longissime superat ; quis ei similis inter filios deorum (?hebr, cf. 20, 1 hebr ; inter angelos seu in universum inter excelsissimos quicumque exsistunt ; v. 8 Deus terribilis in consilio sanctorum valde (hebr.) ; in consessu et conventu angelorum apparet et agnoscitur quam maxime venerandus, μέγας καὶ φοβερός magnus et metuendus super omnes supernas potestates, angelos, a quibus cingitur. Laudatur Dei potentia v. 9 Deus exercituum ; eius potentiae iungitur *veritas* i. e. fidelitas tua est *in circuitu tuo*, tibi praesto est, undique, ut nulla ex parte fallas ; es sicut solus vere potens — nemo similis — ita solus omnium fidelissimus ; v. 10 *tu dominaris* superbae insolentiae maris ; si efferuntur fluctus eius, tu sedas eos (hebr), Hier : elationes gurgitum eius tu comprimis ; cf. 64, 8 ; v. 11 tu contrivisti sicut transfossum רהב[1] Rahab, Aegyptum ; cf. 86, 4 ; potentiam Aegypti confregit in mari rubro. Exemplis potentiae demonstratur Deum posse promissiones implere.

Eadem potentia elucet ex opere creationis v. 12 : *tui sunt coeli*, inde simul maiestas commendatur ; *orbem terrarum et plenitudinem eius*,

1. In Commentariolis Hier aliqua praebet fragmenta ex aliis, quibus Hexaplorum fragmenta (cf. Field) compleri possunt. Ita v. g. notat : « pro superbo in hebraeo RAAB scriptum habet, quod Aquila impetum, Symmachus adrogantiam, Theodotion superbiam, sexta tumultum interpretati sunt » (Anecdota Mareds. l. c., p. 67). Haec apud *Field* supplenda erunt.

omnia quibus terra impletur, omnia qua terra habet, continet, v. 13 *aquilonem* et meridiem *tu creasti* (proprie dexteram, i. e. facie ad orientem versa dextera protenditur ad meridiem) ; LXX, vulg. *et mare* i. e. occidentem (Nord und West) ; *Thabor et Hermon*, montes quoque, in creatione quasi iubilabant de nomine tuo, de manifestatione tuae potentiae (cf. 65, 13 hebr, Iob 38, 7). Nuperrime proposita est alia explanatio, celebrari scil. post opus creationis victoriam Iahve de diis reportatam : montem deorum et aquilonarem et meridionalem ab ipso esse creatum, proinde ipsi subiectum; montes Tabor et Hermon loca cultus antiquissima iam exsultare in praeconio Iahve (ita *J. Boehmer*, Archiv für Religionswissenschaft XII, p. 321). Quae Dei potentia effertur v. 14 tibi est brachium cum potentia, brachium potentissimum ; robusta est manus tua, exaltata dextera tua ; haec enim non per modum optantis efferenda sunt (*firmetur, exaltetur*) sed sicut Sym ἀήττητος ἡ χείρ σου. ὑψηλὴ ἡ δεξιά σου invicta (inexpugnabilis) manus tua, excelsa dextera tua ; quam versionem Eus. Theod. afferunt ad explanandam versionem LXX. Ad Dei laudes pertinet iustitia v. 15 *iustitia et iudicium praeparatio*, firmamentum (Hier), fulcrum, Aq τὸ ἑδραίωμα, Sym βάσις τοῦ θρόνου σου *sedis tuae* ; gratia et fidelitas *praecedunt faciem tuam* ; eius iustitia et potestas iudicialis comites habet gratiam et fidelitatem, quae semper ante faciem eius versantur.

Praedicatur *beatus populus* v. 16 qui talem Deum novit et eius cognitione laetatur, *qui scit iubilationem*, qui novit, experitur iubilum, fide scil. et spe in talem Deum, et *qui in lumine vultus tui*, favore divino donati vitam agunt ; isti v. 17 de Deo eiusque manifestatione, *nomine*, *exsultant tota die*, et secundum iustam Dei gubernationem, *in iustitia tua*, *exaltabuntur*, proficient, prosperum nanciscentur successum, inimicis suis evadent superiores, fama bona et aestimatione fruentur (cf. 3,4 ; 26,6). Haec autem eis contingent, v. 18 quia tu es potens ornamentum eorum ; tu populo iterum tribues gloriam et potentiam ; et *in beneplacito tuo*, secundum benevolam voluntatem tuam elevabis cornu nostrum (hebr, Hier) ; nos ex conditione humili eriges potestate in adversarios collata ; nam v. 19 *Domini est assumptio nostra* ad Dominum pertinet, vel a Domino est, ut protegamur, assumamur ; hebr scutum nostrum (protectio nostra) a Domino est, vel pertinet ad Dominum ; et a Sancto Israel est rex noster ; ad Sanctum Israel quoque spectat providere nobis regem, secundum promissionem de throno aeterno. Hoc itaque membro optime efficitur transitus ad hanc promissionem.

In visione factam esse promissionem illam (2 Reg. 7,12 sq.) psaltes recte monet (cf. 2 Reg. 7,17) ; v. 20 *tunc locutus est in visione* hebr

sancto tuo, singularis numerus recte ponitur; nam nec visio, nec promissio facta est pluribus, quamvis veteres omnes habeant *sanctis tuis* ; verum solus Nathan propheta in nocte illa accepit alloquium divinum (2 Reg. 7,4) neque opus est cum *Ag.* inducere Nathan et Gad, vel Samuel et Nathan, multo minus cum *Gen.* omnes prophetas. Neque dicas, plura in sequentibus proponi quam Nathan a Domino audivisse narratur. Nam verba psalmistae sunt repetitio, explanatio, amplificatio quaedam eorum quae 2 Reg. 7 leguntur.

Auxilium seu *adiutorium* quod David populo ferre debuit, dicit Deus : se posuisse super heroem, super virum fortem. David scil. *et exaltavi electum de plebe mea* ; idque de David dici, apparet ex v. 21 ; auxilium ei promittitur v. 22, et quidem in eum finem et tali effectu ut *nihil proficiat inimicus in eo* v. 23, vel ex hebr non decipiet inimicus eum et filius iniquitatis non affliget eum (Hier) : imo v. 24 Deus conteret hostes ante eum *et odientes eum* percutiam. Haec quoad sensum iubetur Nathan dicere ad David 2 Reg. 7,8.9. Promittit ei Deus : fidelitas et gratia mea cum ipso v. 25 et ope Dei augebitur potestas eius ; id quod v. 26 declaratur de extensione regni eius : *et pono in mari manum eius*, dominatio eius a mari (mediterraneo) usque ad flumina, Euphraten eiusque canales, extendetur ; cf. 79,12. Ex. 23,31. Deut. 11,24.

Insuper David insigni favore et quasi familiari quadam consuetudine cum Deo honorabitur v. 27 *ipse invocabit me : pater meus es tu, Deus meus*, et petra *salutis* meae fortitudo salutis meae (Hier) ; firma David in Deum fiducia exprimitur ; cf. 17,18 sq. 2 Reg. 7,18 sq. 23,3-5 ; et Deus ex sua parte v. 28 *primogenitum ponam illum*, quo nomine Israel prae reliquis nationibus est insignitus (Ex. 4,22) et Ephraim prae aliis tribubus (Ier. 31,9), ergo David rex prae aliis : *excelsum prae regibus terrae* ; cf. 2 Reg. 7,9 fecique tibi nomen grande. Et qua ratione filius sit prae aliis honoratus ac dilectus, continetur promissione throni aeterni v. 29 *in aeternum servabo illi misericordiam meam* חסדי benevolentiam meam, vel hic speciatim promissionem gratiosam, quae adeo firma est : *et testamentum*, foedus meum *fidele ipsi*, stabile et permanens ; v. 30 quare *in saeculum semen eius, thronus eius ut dies coeli* ; cf. Deut. 11,21 quamdiu coelum imminet terrae ; 2 Reg. 7,13.16.

Thronus iste aeternus est adimpletio vaticinii Iacob patriarchae de sceptro quod non recedet de Iuda, donec veniat is cui est obedientia gentium (Gen. 49,10) ; aliis verbis ex posteris David exsurget Messias rex aeternus. Haec promissio est data nulla apposita conditione. Sed quid de posteris David ? penes illos erit, qua via perveniendum sit ad

illud Messiae regnum aeternum; illis proponitur v. 31 si ipsi praevaricatores exstiterint, v. 33 *visitabo in virga iniquitates eorum*, punientur, et tandem puniti sunt usque ad regni temporalis interitum et ad eiectionem populi in exsilium (cf. Ier. 22,30. Ez. 21,25.26). At in hac ruina tamen firmum manet et inconcussum v. 34 *misericordiam meam* v. 29 *non* auferam ab eo, neque negabo fidelitatem meam neque *profanabo*, seu violabo pactum meum et quod egressum est de labiis meis, promissionem meam, non mutabo (Hier); cf. 2 Reg. 7,14-16.

Quam promissionem sollemni iuramento confirmat v. 36 *semel iuravi*, semel dicit decreti firmitatem, ut quod non admittat mutationem; iuravi per sanctitatem meam; cum enim non haberet per quid maius iuraret, iuravit per sanctitatem suam (Hesychius in Catena); *si David mentiar* i. e. iuro, nunquam Davidi mentiar; *semel* cum emphasi est idem quod vulgo dicitur: semel pro semper; *si* formula est iuramenti negantis; *si non* formula affirmantis; suppletur enim mente: haec mihi faciat Deus et haec addat, vel alia formula, qua iurans se ipsum devoveat, si peierat (cf. 1 Reg. 3,17; 14,44; 20,13 etc.). Repetitur promissio iuramento firmata v. 37 *thronus eius sicut sol* coram me et sicut luna, stabilietur in aeternum (Hier). Et huius promissionis et iuramenti *testis* est in *coelo* et est testis prorsus *fidelis*: ipse Deus est fidelis suae promissionis testis, vindex, qui eius observationem urgeat; unde ad iuramentum nova accedit confirmatio. Recte intelligunt *Eus. Theod.* testem ipsum Deum in coelis habitantem, dum alii quandoque solem et lunam dici testem in coelis fidelem volunt (*Ag. Gen. Calm.*). Ad iuramentum divinum veteres iam comparant quod dicit apostolus (Hebr. 6,18; Diodorus in Catena, Eus.).

Iam cuncta cernuntur contraria et opposita sollemni promissioni v. 39-46. Idem tu qui tunc locutus es (v. 20) *tu repulisti et despexisti*, iratus es cum christo tuo; videtur alludi ad Ez. 21,25-27; captivi abducti erant duo illi posteri David Iechonias et Sedecias; in illis regnum desiit (*Ag. Bellarm.*); v. 40 *evertisti pactum servi tui*, evertisti huius regnum; inita cum servo tuo pacta rescidisti; *Theod.* quoque et *Didymus* monent de abductione Iechoniae et Sedeciae, in quibus regnum davidicum cessaverit. Vident in istis vocibus veteres lamenta populi iam longo tempore in captivitate babylonica detenti (ita anonymus, Theod. heracl., Diodorus, Didymus in Catena, etc.). *profanasti in terram sanctuarium eius* τὸ ἁγίασμα, intelligunt templum a Babyloniis eversum (Athanasius, in Catena), sed hebr. נזר diadema, coronam eius (Hier, *Ag. Gen. Calm.*) profanasti et abiecisti in terram, ut Ez. 21,26; v. 41 *destruxisti omnes sepes eius*; cf. 79,13; muri urbis Ierusalem destructi sunt, oppida Iuda patent extraneis;

posuisti munitiones eius ruinas (hebr), *formidinem* vel pavorem (Hier); arces et praesidia destructa et prostrata renovant aspicientibus terrorem vastationis hostilis; v. 42 *diripuerunt*; cf. 79,13 vindemiant; exterae tribus occupant terram derelictam, de qua re vide Ez. 36,2 sq. Lam. 5,2 hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos; *opprobrium vicinis*; Edomitae praeprimis in ruina regni insultarunt; vide 136,7. Ez. 25,12; 35,15; 36,5.

Promisit Deus: nihil proficiet inimicus in eo, concidam inimicos eius v. 23.24 — at nunc v. 43 *exaltasti dexteram deprimentium eum*, non christum tuum, sed *omnes inimicos eius laetificasti*; non adiutorium ei dedisti v. 20.22), sed v. 44 *avertisti robur gladii eius* (Hier), neque erexisti eum in bello. Promisit Deus thronum aeternum (v. 30.37); at v. 45 cessare fecisti splendorem eius (ita hebr?) *et sedem eius*, thronum eius, *in terram collisisti*, detraxisti, corruere fecisti. Promissum erat: ponam thronum eius sicut dies coeli (v. 30.37.38) — et nunc v. 46 *minorasti dies*, abbreviasti dies adolescentiae eius (hebr, Hier, Aq Sym, syr, targum): regnum quod promissum habuit tempus aeternum, a Davide usque ad exsilium explevit tempus valde breve habita ratione aeternitatis; erat in aetate iuvenili et haec ipsa aetas iuvenilis tam subito abrupta et ablata est. Promissio erat: ponam eum excelsum prae regibus terrae (v. 28.20.25) et nunc: *perfudisti*, operuisti *eum confusione*, ignominia.

Verum quo tendat haec exsulum cum Deo expostulatio, explicatur sequentibus. Vi promissionum enim optime intelligunt conditionem hanc plane contrariam debere tolli et revera fore, ut in meliorem mutetur. Unum dolent, conqueruntur unum, Deum tardare, differre; quare v. 47 *usquequo avertis*, quamdiu absconderis (Hier); illud *in finem* melius cum sequenti iungitur: an perpetuo *exardescet ira tua?* tempus poenae et tristitiae et afflictionis (v. 31-33) iis iam videtur quasi aeternum; id quod utique plane ad indolem hominis factum natumque est. Monet vitam esse brevem; haec sit ratio impellens pro Deo, ut meliorem statum adducat v. 48 *memorare, quae mea substantia*, spatium vitae suae vocat substantiam, censet *Ag.*, explicat scil ex hebr: memento, ego, quid vita (scribe non חלד sed transpositione חדל et habes sensum valde aptum: ego quam fluxus et fragilis!); pariter memento, ad quam inanitatem creaveris omnes filios hominum; nam v. 49 quis tandem semper vivet? nemo eruet animam de potestate orci; ergo, si nobis non cito opem tuleris, in miseria et captivitate nobis moriendum est; num ad hanc sortem nos creasti?

Quare eheu, Domine v. 50 ubi sunt priora illa beneficia, priores illae gratiae, quas in tua fidelitate Davidi iurasti?, en loco illarum

gratiarum sub iuramento promissarum (v. 34-37), v. 51 *memor esto opprobrii servorum tuorum*, istud populus tuus intime cum dolore sentit, *quod contineo*, porto *in sinu meo*, et quod est opprobrium omnium magnarum gentium (hebr), ab illis inflictum nobis, uti explicatur v. 52 *quod exprobraverunt inimici tui* ; in ipsis verbis : *servi tui* sustinent ignominiam, *inimici tui* obiiciunt opprobrium, validae rationes Deo proponuntur ad finiendam miseram conditionem ; *exprobraverunt commutationem christi tui* ἀντάλλαγμα, hebr vestigia, Aq Theod Sym quinta τὰ ἴχνη : explicat *Theod.* utramque locutionem de regibus successoribus David ; status ille populi captivi erat materia conviciorum ; suntne haec *vestigia* promissionum de regno aeterno et gloria christi Domini — qualis mutatio facta inter promissa et rerum exitum ? Haec ipsa interpellatio ostendit fidem et spem exsulum de instauratione futura.

In inscriptione legitur : Intellectus Ethan Ezrahitae (LXX Συνέσεως Αἰθὰν τῷ Ἰσραηλείτῃ) ; cf. 3 Reg. 4,31 et vide Commentarios ad h.l. Cuius inscriptionis ratione habita alii psalmum non de exsilio babylonico interpretandum esse censent v. g. *R. Cornely*, Psalmorum Synopses, 1899, p. 64 : « scriptus videtur sub initiis regni Roboam, quando decem tribus a domo davidica defecerant et Sesac, rex Aegypti, regnum Iuda et ipsam Ierusalem diripiebat (cf. 2 Par. 10,16 sqq. ; 12,1 sqq.) ». Sed ratio dubitandi habetur tum de Ps. 88,1 (LXX) tum de 3 Reg. 4,31 (hebr. 5,11).

Ps. 89.

1. *Oratio Moysi hominis Dei.*

Domine refugium tu : factus es nobis | a generatione in generationem. | 2. Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis, | a saeculo et usque in saeculum tu es Deus. | 3. — Ne : avertas hominem in humilitatem, | et dixisti : convertimini filii hominum ; | 4. quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quae praeteriit, | et custodia in nocte, | 5. quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt ; 6. mane sicut herba transeat, | mane floreat et transeat, | vespere decidat, induret, et arescat.

7. Quia defecimus in ira tua, | et in furore tuo turbati sumus ; | 8. posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, | saeculum nostrum in illuminatione vultus tui ; | 9. quoniam omnes dies nostri defecerunt, | — et : in ira tua defecimus. | Anni nostri sicut aranea meditabuntur ; | 10. dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni ; | si autem in potentatibus octoginta anni, | et amplius eorum labor et dolor ; | quoniam supervenit mansuetudo et corripiemur.

11. Quis novit potestatem irae tuae, | et prae timore tuo iram tuam dinumerare ? |

12. *Dexteram tuam sic notam fac,* | *et eruditos corde in sapientia.* | 13. *Convertere Domine, usquequo?* | *et deprecabilis esto super servos tuos.* | 14. *Repleti sumus mane misericordia tua,* | *et exsultavimus et delectati sumus omnibus diebus nostris.* | 15. *Laetati — sumus : pro diebus quibus nos humiliasti,* | *annis, quibus vidimus mala.* | 16. *Respice in servos tuos et in opera tua,* | *et dirige filios eorum ;* | 17. *et sit splendor Domini Dei nostri super nos,* | *et opera manuum nostrarum dirige super nos,* | * *et opus manuum nostrarum dirige :*

Deus aeternus — hominis vita caduca et labilis (v. 2-6). Huius fragilitatis ac miseriae causa sunt peccata (v. 7-10). Imploratur Deus misericors, ut pro diuturnis calamitatibus levamen et consolationem concedat (v. 11-17).

Non esse Moysen auctorem S. Augustinus arbitratus est, cuius sententiam sequuntur Bellarminus, Lorinus, Cord., multi alii qui sicut veteres psalmum a Davide esse compositum dicunt. Et Bellarminus titulum inscribi Moysi censet, « quod Moysen loquentem David introducat : introducitur autem Moyses fortasse quod ipse scripserit creationem mundi, peccatum priorum parentum et poenas inde secutas ». Secundum *R. Cornely* (Psalmorum Synopses, Paris, 1899, p. 65) psalmus est « Reliquiarum populi ex Aegypto egressi precatio. Inscriptione (v. 1) carmen Moysi auctori adscribitur neque est cur ei abiudicetur. Versus peregrinationis autem finem, quum adultorum ex Aegypto egressorum maior pars ob suam contumaciam iusto Dei iudicio (cf. Num. 14,26 sqq.) iam periisset, Moyses ex reliquiarum quasi mente, ut videtur, hoc Psalmo mortem denuntiatam deprecari conatus est ». Atque huic sententiae favet S. Hieronymus hunc psalmum explicans in ep. 140,3 sqq. (*M.* 22,1168 sqq.) : « Moyses ab initio conditionis hominis usque ad mortem et resurrectionem omnia explicat, qualis creatus sit, quanto vivat tempore, quid agat in saeculo, quem fructum vitae habeat, propter quid laboret, quo ire contendat. Et quoniam ipse, qui haec scribit homo est, sub persona sua de omni generis humani conditione testatur. Sunt autem qui hunc psalmum sive orationem ad israeliticum populum referant : quomodo in solitudine offenderit Deum atque conciderit et non meruerit terram promissionis intrare ; proque patribus ingressi sunt filii : et rursum placatum exspectent Deum, quod in Christi compleatur adventu ».

Laudatur Deus v. 1 quod perfugium habitaculum. Hier. factus sit populo suo iam per longam generationum seriem, quod se exhibuerit protectorem ac defensorem suorum. Praedicatur maiestas Dei ab eius aeternitate, quae a contrario, a brevissima et fugaci hominis duratione, illustratur ; v. 2 antequam montes nascerentur et parturiretur terra (Hier, Aq Sym), *a saeculo et usque in saeculum tu es Deus.* Deus ab aeterno et in aeternum est ; textus mass. antequam formares terram (parturires) ; sed cum veteribus ὠδίνησθαι Aq. Sym : πλασθῆναι

LXX) forma passiva est legenda. Huic aeternitati Dei opponitur hominis sors, et quidem ex hebr cum allusione ad Gen. 3, 19 ; redire facis (redigis) hominem in pulverem, et dixisti : redite, filii hominum ; illud *dixisti* non potest apte intelligi quasi repetitio membri prioris et eius confirmatio, sed videtur novum quid inducere ; scil. Dei ordinationem, ut abeunte in pulverem una generatione succedat altera ; generatio praeterit et generatio advenit (Eccle. 1, 4). LXX, vulg *ne avertas* nos ad ruinam ; ne nos penitus despicias (*Eus. Theod.*) ; huic petitioni quasi iam obviam venit Deus : *et dixisti*.

Atque haec successio generationum et hominis vita comparata cum Dei aeternitate quam maxime effert fragilitatem et brevitatem rerum humanarum ; nam *mille anni*, spatium longissimum quod nulla vita humana unquam explevit, sunt ante oculos Dei, sicut memoria diei hesternae ; recordantibus nobis diei praeteriti quam breve spatium nobis videtur? Hac quasi mensura et computatione divina utitur in epistola sua Petrus pro iis quibus Deus promissiones non adimplere videtur : unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus (2 Petr. 3, 8) ; et sicut *custodia in nocte*, tertia vel quarta pars noctis ; gradationem esse indicat Hier : « in conspectu tuo mille anni quasi una dies reputantur. Statimque se ipse reprehendit. Male dixi, unam diem, cum magis debuerim dicere unius vigiliae spatium instar habere mille annorum prolixitatem. Aeternitati comparata brevis est omnium temporum longitudo » epist. 140, 8 ; *M.* 22, 1172). Sequitur apud LXX τὰ ἐξουδενώματα αὐτῶν ἔτη ἔσονται, anni eorum pro nihilo reputabuntur (cf. *Eus.* ; inde explica vulg eodem modo. Hebr vertit Hier : percutiente te eos somnium erunt ; somnus erunt. Diversitatem textuum iam clare expedit Bellarminus : « de voce somnii vel annorum non magna est difficultas ; nam vox hebraea si legitur *schena* significat *somnum*, sed si legatur *schana*, significat *annum* et sic legerunt Septuaginta : in hebraeo est *seramttam* quod ad litteram verti potest *inundasti eos*, sed potius etiam legi cum aliis punctis *sirmatam*, id est *inundatio eorum*, sive *fluxus eorum* et sic legisse videntur Septuaginta ; verterunt non tam verbum, quam sensum : inter ea quae fluunt et pro nihilo habentur eorum, id est hominum, anni sunt ; vel clarius : anni vitae computantur inter eas res humanas, quae contemptibiles sunt, quia celerrime finiuntur ». Lusum quendam verborum inter *sena* et *sana* auctorem voluisse, *Ag.* quoque censet. Ex syr hexapl Sym vertit : sicut procella excussisti eos, dormientes erunt.

Et quam fluxa et caduca sit omnis humana conditio, explicatur sequentibus : verte hebr, uti Sym : mane sicut herba quae (vires)cit (cf. hiphil חלף, Iob 14, 7), v. 6 mane floret et adolescit, vespere mar-

cescit (succiditur?) et aruit : *mane sicut herba transeat*, παρέλθοι, versio litteralis יחלף ; sed *Gen.* iam notat verbum etiam significare quandoque incrementum capere, adolescere) : mane sicut herba augescens, *mane floreat*, floret etc. ; ita Hier explanat : sicut mane virens herba et suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimque marcescens amittit pulchritudinem et in faenum vertitur, ita omnis species hominum vernat in parvulis, floret in iuvenibus, viget in viris et repente incanescit caput, rugatur facies etc. ; cf. Is. 40,6. In LXX legitur optativus qui secundum grammaticos optativus potentialis explicari poterit.

Quod comparatione expositum est, iam experientia ipsa comprobatur v. 7 *defecimus* consumpti sumus *in ira tua*, « brevitatem vitae significat humanae ; quodque intulit *in ira tua et in furore tuo*, sententiae Dei ostendit perseverantiam, cui omnes homines subiacemus, illi videlicet : terra es et in terram ibis » (Hier). Alii sententiam accipiunt de gravibus calamitatibus quas populus expertus sit ; at in antecedentibus, sicut etiam in sequentibus v. 10 sermo fit in universum de conditione humana ; quare idem hoc loco retineatur oportebit. Et cur tandem humana vita in istam fragilitatem et conditionem caducam inciderit, ratio redditur v. 8 *posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, coram te ; *saeculum nostrum*, ὁ αἰὼν ἡμῶν, tempus vitae nostrae, vita nostra, est in Dei clarissima cognitione. In hebr ponitur : occulta nostra (posuisti) in luce vultus tui, Deus scil. scrutatur renes et corda, illuminat abscondita tenebrarum et consilia cordium (1 Cor. 4,5) ; vertit Hier : negligentias nostras in luce vultus tui, neque aliter Sym τὰς ἀμελείας ἡμῶν φαίνεσθαι τῷ προσώπῳ σου. Deus noscit et punit occulta peccata ; cf. 18,13 ; 44,22. Propter peccata v. 9 *omnes dies nostri defecerunt*, hebr transierunt in furore tuo ; dies miseri et afflicti erant ob peccata et exinde ob iram Dei ; vita non solum est brevis, caduca, sed etiam miseriis onusta ; consumpsimus annos nostros sicut suspirium, alii : sicut cogitationem, scil. tam celeriter evanuerunt, Hier quasi sermonem, « quomodo sermo qui in ore versatur dum profertur, intercipitur et esse desistit, sic omnis vita nostra pertransit et desistit et hoc in ira et furore Dei, cui merito subiacemus, vivente in nobis, ut supra diximus, sententia Dei ». Quod vulg habet : *anni nostri sicut aranea meditabuntur*, accipe cum *Theod.* : nihil firmum aut constans humana natura habet ; sed instar araneae facile convellitur ; et anonymus in paraphrasi : adeo enim, inquit, imbecillis erat vita nostra atque telae aranearum ; etiam syr habet : defecerunt anni nostri sicut aranea. Lectio LXX ita declaratur, eos legisse non כמו sed כמוז, טוה notionem habere nendi, inde ortam esse significationem araneae (*Muis* ad h. l.).

Uti iam Bellarminus vidit, in v. 10 absolute praeponitur : *dies annorum nostrorum*, id est, dies quibus anni nostri efficiuntur ; iterum assumitur : *in ipsis* scil. diebus sunt, vel iis diebus annorum nostrorum tandem constituuntur *septuaginta anni*, *si autem in potentatibus* : si autem multum (Hier), ut maxime (*Calm.*), ad summum (*Ag.*), Sym παραδόξως, contra opinionem *octoginta anni* ; aliqui vertunt : et si in fortitudine, et si in viribus, si adsunt vires corporis, tunc erunt octoginta anni ; sed magis placet prior acceptio ; neque enim verum est, qui viribus pollent semper usque ad eam aetatem vivere ; syr : et vix octoginta anni ; *et amplius eorum* LXX τὸ πλεῖον αὐτῶν, maior horum annorum pars est *labor et dolor*, ita textum esse intelligendum, monet *Ag.* : neque est sensus, quod ultra octoginta annos sit esse laborem et dolorem ; hebr superbia eorum, labor et vanitas ; unum de quo anni gloriari vel superbire possunt, est labor et vanitas ; syr et multitudo eorum i. e. plerique eorum labor et dolores ; quare merito negat *Houbig.* veteres legisse יהב. Et vanitas explicatur in membro adiecto, hebr quia pertransit cito et nos avolamus ; Hier vertit : quoniam transivimus cito et avolavimus, Sym τμηθέντες γὰρ ἄφνω ἐκπετανυόμεθα abscissi enim repente avolamus (? ita Hier), quinta fert (secundum Hier) : quoniam transivimus celeriter et dissolvimur. De textu LXX et vulg *quoniam supervenit mansuetudo*, scribit Hier : « satis miramur quid voluerint verbum hebraicum (חיש) AIS Septuaginta, Theodotio et sexta editio transferre *mansuetudinem*, cum Aquila, Symmachus et quinta editio *festinationem* et *repente celeriter*que transtulerint » (epist. 140,14 ; *M.* 22,1176). Textum LXX et vulg explicat *Ag.* : supervenit debilitas, imbecillitas ; vel etiam mansuetudo morum vitiis et ira defervescentibus ; hoc etiam placuit Bellarmino, supervenire ex labore et dolore senectutis humilitatem et modestiam (utinam ! merito addemus huic explicationi).

Conqueritur psaltes quod ex hac vitae humanae conditione et miseria non satis perpendant homines, quantopere Deus odio habeat peccatum v. 11 *quis novit*, expendit, *potestatem*, fortitudinem Hier), robur *irae tuae* et secundum timorem tui indignationem tuam, i. e. et quis satis novit et secundum reverentiam et timorem erga Deum satis aestimat indignationem Dei ? unde *prae timore tuo* ex hebr explica : pro timore tuo, i. e. secundum timorem quem habet tui, erga te ; quis novit digne, uti timor et reverentia Dei exigit, *dinumerare*, rite aestimare iram Dei ? Ut Deus ipse id nos doceat, efflagitatur textu LXX et vulg *dexteram tuam sic notam fac*, γνώρισον quod etiam trahendum est ad alterum membrum *et eruditos corde in sapientia*, ostende nobis tales, qui nos rite edoceant (cf. *Ag. Gen. Bellarm.* . Aliter hebr

numerare dies nostros sic doce, ut reportemus cor sapiens. Ut Hier refert, Aq Sym quinta sic verterunt : dies nostros sic ostende, ut veniamus corde sapienti. Hi itaque cum LXX dinumerare ad priorem stichum retulerunt ; ipse Hier vertit : ut numerentur dies nostri, sic ostende, et veniemus corde sapienti.

Pergitur in oratione v. 13 *convertere*, revertere ad nos (Hier), *usquequo*? tardabis? usquequo oblivisceris mei? « qui enim in angustia constitutus est, serum ei videtur Dei auxilium, et propterea impensius deprecatur, ut cito adiutorem Dominum sentiat, et nequaquam iratum iudicem, sed placatum » (Hier) ; *et deprecabilis esto* ; LXX et Sym παρακλήθητι, dictio hebr et graeca vertitur Deut. 32,36 : in servis suis miserebitur ; alias hebr ἵλεως γενοῦ placabilis esto (Ex. 32,12) ; poeniteat te, miserere servorum tuorum. In LXX et vulg legimus in sequentibus : *repleti sumus*, *exsultavimus*, *laetati sumus*, quae temporis forma neque ad antecedentia neque ad subsequentia congruit. Monet hoc loco Hier : « in cunctis pene locis hanc habent Septuaginta consuetudinem, ut quod apud Hebraeos in futurum ostenditur, hoc illi quasi iam factum et praeteritum referant. Hic ergo, non, ut illi voluerunt, dicunt se impletos esse misericordia et laetatos ; alioquin si hoc factum erat, quomodo postea deprecantur » ? etc. Hebr habetur imperativus : v. 14 *satia nos mane misericordia tua*, nunc in nocte et tenebris sumus, cito veniat mane, lux, gratia tua ; et exsultabimus, seu ut exsultemus et delectemur, uti alii rite interpretati sunt, Aq ἔμπλησον... καὶ κινέσομεν καὶ εὐφρανθησόμεθα. Sym χόρτασον ἡμᾶς, ἵνα ὑμνήσωμεν καὶ εὐφρανώμεθα. Hier imple nos et laudabimus et laetabimur.

Idem attende in v. 15 non laetati sumus, sed hebr (uti habent Sym, Hier, syr, targum, et prout referunt quoque *Eus. Theod.*) *laetifica nos pro diebus quibus nos* afflixisti (Hier) ; v. 16 *respice in servos tuos*, hebr appareat apud servos tuos opus tuum et gloria tua super filios eorum ; opus et gloria dicitur restitutio, redemptio, salus — breviter nova illa periodus messianica omnibus exoptata. Hanc instaurationem efflagitant, v. 17 *et sit splendor Domini*, favor eius et gratia, *super nos*, *et opera* et opus *manuum nostrarum dirige super nos* ; ut quidquid aggredimur, bonum habeat et prosperum successum ; fortuna actiones nostras ; Hier opus manuum nostrarum fac stabiliri super nos et opus confirma, Sym τὰ ἔργα ἑδραῖα ποίησον καὶ τὴν πρᾶξιν ἐπιτέλεσον, actionem manuum nostrarum perfice.

Ps. 90.

1. — *Laus Cantici David :*

Qui habitat in adiutorio Altissimi, | in protectione Dei - coeli : commorabitur ; | 2. dicet Domino : susceptor meus — es tu : et refugium meum, | Deus meus sperabo in eum.

3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, | et a verbo aspero ; | 4. scapulis suis obumbrabit tibi, | et sub pennis eius sperabis ; | 5. scuto circumdabit te veritas eius ; | non timebis a timore nocturno, | 6. a sagitta volante in die, | a negotio perambulante in tenebris, | ab incursu et daemonio meridiano. | 7. Cadent a latere tuo mille, | et decem millia a dexteris tuis ; | ad te autem non appropinquabit ; | 8. verumtamen oculis tuis considerabis, | et retributionem peccatorum videbis.

9. Quoniam tu es Domine spes mea, | Altissimum posuisti refugium tuum ; | 10. non accedet ad te malum | et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo ; | 11. quoniam angelis suis mandavit de te, | ut custodiant te in omnibus viis tuis ; | 12. in manibus portabunt te ; | ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. | 13. Super aspidem et basiliscum ambulabis, | et conculcabis leonem et draconem.

14. Quoniam in me speravit, liberabo eum ; | protegam eum quoniam cognovit nomen meum ; | 15. clamabit ad me, et ego exaudiam eum ; | cum ipso sum in tribulatione, | eripiam eum, et glorificabo eum. | 16. Longitudine dierum replebo eum, | et ostendam illi salutare meum.

In hebraeo non habetur titulus.

Proponitur argumentum : Deus protector sperantium in se (v. 1.2). Quae protectio describitur, eo quod qui in tutela Dei est, ab insidiis, calumniis, morbis pestiferis praeservatur videns ultionem peccatorum (v. 3-8). Cliens iste Dei servatur a plagis, cum angelos habeat sui custodes ; quare incolumis in maximis periculis erit (v. 9-13). Demum ipse Deus qualia praemia largiturus sit sperantibus in se annuntiat (v. 14-16).

Laudes et emolumenta spei ac fiduciae in Deum celebrantur, quibus simul efficax continetur exhortatio ad spem in Deo firmissimam collocandam. De constructione v. 1 multum disputatum est ; quod praebet Sym et congruit hebr et iunctionem obviam habet : duobus participiis effertur subiectum ad *dicet Domino*, ὁ κατοικῶν ὑπὸ σκέπην τοῦ ὑψίστου, ὑπὸ σκιὰν τοῦ ἱκανοῦ νυκτερεύων. habitans in tegumento (in abscondito, Hier) Altissimi, in umbra (umbraculo, Hier) Omnipotentis pernoctans, *dicet Domino* (LXX ἐρεῖ, et ita corrige hebr) ; sub umbra pennarum v. 4 ; alias dicitur umbra notione praesidii (Num. 14,9. Ier. 48,45. Lam. 4,20) ; declaratur protectio permanens, constans ; effertur speciali ratione protectio tempore noctis : in praesidio Omnipotentis (cf. hebr) ;

ille cum animo grato dicit : refugium meum et arx mea Deus meus, in quo spero.

Quam recte is Deum tali modo alloquatur, psaltes vario modo confirmat docens multipliciter quibus modis exsistat Deus protector : ita v. 3 sed lege cum hebr *quoniam ipse liberabit te*, LXX ὅτι αὐτὸς ῥύσεται, male in vulg liberavit me (*Ag.* affirmat in codicibus latinis fere esse liberabit me) *de laqueo* aucupis, de insidiis occultis, *a verbo aspero*, LXX ἀπὸ λόγου ταραχώδους, a sermone perturbante, irato, terrorem incutiente, Sym ἀπὸ λόγου ἐπηρείας, quam vocem *Theod.* explicat de iis qui ψεῦδος καὶ συκοφαντίας congerunt ; textus mass. fert *deber*, pestis ; sed de peste sermo erit v. 6 ; veteres LXX, Sym legerunt dabar : a verbo vel a re perniciei ; *Duhm* coniectat : a fovea perniciei, ut melior habeatur parallelismus ad laqueum aucupis.

Tutela et securitas imagine exprimitur qua simul tenera quaedam cura et sollicitudo depingitur v. 4 *scapulis suis*, alis suis obteget te et sub pennis eius capies refugium ; ἀμεριμνήσεις Sym omni cura vacuus deges (*Ag.*) ; *scuto circumdabit te veritas eius*, fidelitas Dei te undequaque tutum et incolumem servabit ; hebr non habetur *circumdabit* quod ad scutum non bene aptatur, sed legitur סחרה, Aq Sym ? ὡς πανοπλία καὶ περιφέρεια ἡ ἀλήθεια αὐτοῦ, Hier scutum et protectio veritas eius. Quare v. 5 nocte et die secure deges, *non timebis* a terriculis nocturnis (*Gen.*), *a sagitta*, a malis quae studio et fraude inimicorum intenduntur (*Ag.*), vel in universum : non est cur timeas casus nocturnos, diurnos ; ex 120,6 sagitta ab aliis intelligitur solis ictus ; v. 6 *a negotio*, LXX ἀπὸ πράγματος, Aq ἀπὸ ῥήματος legerunt *dabar* ; iterum fit partitio inter noctem et diem ; non est, cur timeas factum aliquod aut coeptum contra te in occulto (*Ag.*) ; hebr legitur deber : a peste in tenebris ambulante (Hier), similiter Sym οὐδὲ λοιμὸν ζόφῳ ὀδεύοντα, *ab incursu et daemonio meridiano*, hebr a pernicie, lue (quae) vastat meridie, יָשׁוּד צָהֳרָיִם (Deut. 32,24. Is. 28,2. Os. 13,14) ; LXX ἀπὸ συμπτώματος a ruina, a pernicie ; Os, 13,14 vocem reddunt κέντρον ; καὶ δαιμονίου, unde patet LXX legisse ישד (non ישוד vastat), unde apud LXX qeteb nondum notum erat ut nomen daemonis alicuius, ut Keteb daemon v. g. describitur in Midrasch tehillim (Wünsche II, p. 68.69) : Aq ἀπὸ ὀηγμοῦ δαιμονίζοντος μεσημβρίας, Sym οὐ συγκύρημα δαιμονιῶδες μεσημβρίας, saltem in ישוד aliquid daemoniacum exprimunt ; Hier vertit, ut Aq, a morsu insanientis meridie. Audi instar multorum Bellarminum : « illud *ab incursu et daemonio meridiano* est repetitio et explicatio illorum verborum *a sagitta volante in die* ; significat enim incursus et daemonium meridianum omnem occursum malum, sive omnem laesionem, omnem aerumnam quae accidere potest in die atque adeo ipso tempore meri-

diano ». Ceterum quattuor haec in v. 5.6 expositione literali hunc dicit sensum habere : non timebis ulla pericula, neque nocturna neque diurna.

Imo cadentibus aliis et tempestate calamitatis seu pestis abreptis tu manebis incolumis v. 7 : mille et decem millia ; cf. canticum mulierum de victoria David 1 Reg. 18,6.7 ; *ad te non appropinquabit* pestilentia. Tu intueris v. 8 oculis tuis ; dum alii cadunt, tu nil timens aspicis, simulque vides *retributionem peccatorum*, poenam et aversionem peccatis illorum iusta ultione debitam ; scil. secundum normam retributionis (cf. 36,9-15. 35-40).

Uti v. 9 iacet, prior pars *quoniam tu es, Domine, spes mea*, seu refugium meum, refertur ad v. 2 et iste loquens, uti supra v. 3 hebr. accipit responsum in altera parte : *Altissimum posuisti refugium tuum*. Deum excelsum tibi in tegumentum assumpsisti. Bene iam monet *Theod.* : orationis structura haec est : dixisti : tu es Domine spes mea : idque subaudiendum esse, *Ag.* quoque admittit. Ita servatur, ut *Theod.* vidit, structura orationis quae a v. 3 habetur, scil. allocutio psalmistae. Posset haec structura orationis facili emendatione restitui : quoniam Dominus est refugium tuum, etc. ut sit vel ratio pro v. 8. vel pro v. 10 : *non accedet, flagellum*, plaga, Hier[1] lepra. *non appropinquabit tabernaculo tuo*, neminem quoque qui ad te domumque tuam pertineat, continget plaga ; ita tabernaculum accipi vult *Ag.* cf. Iob 5,24. En quales custodes tibi providerit Deus, v. 11 *angelis suis mandavit de te*, angelos suos evocat tibi, *ut te custodiant in omnibus viis tuis*, in tota vita et agendi ratione ; cf. 33,8. Gen. 24,7. Quam sollerter angeli munere demandato fungantur, audi in v. 12 *in manibus portabunt te*, sicut rem pretiosam, caram, in quam oculi gestantis defixi sunt (*Ag.*), ne offendat ad lapidem pes tuus (Hier. Aq. targum. LXX, vulg *ne offendas* pedem ; similiter Sym ; quanta cura impenditur, ne leve damnum, ne parvum eveniat incommodum. In v. 13 pericula gravissima, inimicos feroces, astutos, potentissimos secure vitabis : hebr super leonem et aspidem calcabis, conteres leunculum et draconem (aspidem) ; cf. v. 5.6. Luc. 18,19. Notat *Theod.* : robustissimarum et acerbissimarum ferarum mentionem fecit, ut dominium in omnes species malitiae ostenderet.

Demum Deus ipse loquens inducitur oraculo suo confirmans responsum psalmistae ad illam firmam spei professionem ; v. 14 hebr quoniam mihi adhaeret, servabo eum ; exaltabo eum, quia novit nomen

1. Et in Commentariolis asserit Aq et Sym pariter lepram interpretatos esse. Verum apud Field ex Eusebio affertur ἀφή.

meum ; nosse nomen Dei est animo impressam habere vivam notionem Dei potentiae, misericordiae, benignitatis, fidelitatis ; est, ut Eusebius (in catena) habet, ipsi soli servire, eum adorare et pura conscientia colere, eius voluntati obedire. Et Deus ulterius ostendit quam proficuum sit ipsi adhaerere v. 15 si talis clamat ad eum, *ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione*, scil. ut eum *eripiam* et honore et gloria afficiam. Praemium quoque habebit longaevitatis (cf. 20,5 ; 22,6. Prov. 3,2.16) v. 16 *longitudine dierum* satiabo eum, sicut Abraham moritur plenus dierum (Gen. 25,8) et Isaac senex et plenus dierum (Gen. 35,29 hebr satiatus diebus) ; *et ostendam illi salutare meum* ; cf. 49,23 ; ראה ב hiphil, faciam ei videre cum gaudio, gustare salutare meum. Cum id dicatur simul cum longitudine dierum, proxime refertur ad vitam hanc : at cum Deus nullatenus post mortem iustorum desinat esse Deus eorum i.e. protector et bonorum largitor, salutaris sui exhibitio seu ostensio neutiquam ad hanc vitam coarctari potest, sed necessario pertinet quoque ad vitam futuram.

At quomodo hae promissiones implentur ; nam etiam qui sperant in Deum affliguntur ? Putat *Ag.* more veteris testamenti, quia agatur cum parvulis, ostendi pueriles illecebras, quibus provocarentur ad virtutem et spem, temporalia bona et commoda carnalia ; nisi cui libitum fuerit haec ad spiritualem intelligentiam referre. Aliter *Calm.* disserit, aut mala quibus iusti vexentur, non esse vere mala, vel mala, a quibus psaltes liberos futuros affirmet, alterius esse naturae quam huius vitae calamitates, aut malis oppressos in altera vita bonis iri cumulatum. Duplex responsum dari *Bellarminus* ait : promissionem hanc non pertinere ad hanc vitam, sed ad futuram ; « posterior solutio est, pertinere ad tempus huius vitae sed sano modo esse intelligendam ». Revoca in mentem similia Christi effata : petite et accipietis etc. si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : transi hinc illuc et transibit et nihil impossibile erit vobis (Matth. 17,19).

Ps. 91.

1. *Psalmus Cantici. In die sabbati.*

2. *Bonum est confiteri Domino* | *et psallere nomini tuo, Altissime ;* | 3. *ad annuntiandum mane misericordiam tuam,* | *et veritatem tuam per noctem ;* | 4. *in decachordo, psalterio,* | *cum cantico in cithara.* | 5. *Quia delectasti me Domine in factura tua,* | *—et : in operibus manuum tuarum exsultabo.* | 6. *Quam magnificata*

sunt opera tua Domine, | *nimis profundae factae sunt cogitationes tuae.* | 7. *Vir insipiens non cognoscet,* | *et stultus non intelliget haec.*

8. *Cum exorti fuerint peccatores sicut faenum,* | *et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem,* | *ut intereant in saeculum saeculi :* | 9. *Tu autem Altissimus in aeternum Domine.* | 10. *Quoniam ecce inimici tui Domine,* | *quoniam ecce inimici tui peribunt* | *et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.*

11. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum,* | *et senectus mea in misericordia uberi.* | 12. *Et despexit oculus meus inimicos meos,* | *—et : in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.* | 13. *Iustus ut palma florebit,* | *sicut cedrus Libani multiplicabitur.* | 14. *Plantati in domo Domini,* | *in atriis domus Dei nostri florebunt,* | 15. *adhuc multiplicabuntur in senectute uberi,* | *et bene patientes erunt,* | 16. *ut annuntient quoniam rectus Dominus Deus noster,* | *et non est iniquitas in eo.*

Bonum est Deum laudare, bonitatem eius ac fidelitatem ope quoque musicae celebrare, quia opera eius ac consilia magnifica sunt ; solum insipiens ea non intelligit (v. 2-7). Peccatores brevi florent, interibunt (v. 8-10). Iusti autem continuo crescent, inimicis suis superiores, Deo adhaerentes florebunt et laudem eius annuntiabunt (v. 11-16).

« Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere » (Praef. Missae) ; idem psaltes nomine populi Dei profitetur, dividens ex lege parallelismi illud semper in mane, et in noctibus (hebr), uti pariter Dominum, Iahve et nomen eius, gratiam seu misericordiam, fidelitatem seu veritatem, quae una laudanda sunt, duobus attribuit membris. Celebratio haec sollemniore modo fieri debet v. 4 *in decachordo* cf. 32,2, et in nablio, *cum cantico in cithara*, Sym διὰ μελῳδίας ἐν κιθάρᾳ — הגיון (quod hebr 9,17 quoque legitur) a veteribus varie explicatur, LXX ᾠδῇ, item Aq. Sym etiam μέλει. Theod ψαλτηρίῳ, targum iubilabunt ; imo in Midrasch teh. susurrus (Wünsche, II, p. 77 Geflüster). Ratio festivae laudis explicatur v. 5 quia laetificasti me in opere tuo (Hier), opus Dei aliqui veterum intelligunt cladem Assyriorum sub Sennacherib (cf. Is. 37) ; sed generatim omne id quod Deus pro populo fecit explicandum erit : opera creationis et mundum adspectabilem poteris cum aliis accipere *in operibus manuum tuarum* ; cf. 8,4 coeli vocantur opus digitorum tuorum. Praeprimis autem psaltes in v. 6 cum admiratione contemplatur *profundas cogitationes* Dei, providentiae divinae administrationes, procurationes, consilia ; divinam rerum humanarum gubernationem, cuius modum et rationes v. 7 *vir insipiens*, hebr vir brutus (בער) non novit. Quid praecipue hic tangatur, concluseris merito ex sequentibus, in quibus consilia Dei de peccatoribus et iustis exponuntur.

Ad quid ultimatim tendat magna illa impiorum prosperitas, declaratur v. 8 *cum exorti fuerint*, cum germinent peccatores sicut herba

et cum floreant omnes operantes iniquitatem, (id fit) — ad conterendos eos in perpetuum, i.e. germinant et florent, sed terminus ad quem pervenient germinando et florendo est tandem interitus — nam iudex iustus v. 9 tu autem in excelso es in aeternum Iahve ; in coelo Dominus res humanas gubernat ; cf. Is. 57,15 מרום in excelso (vertit Hier), hic autem, uti LXX, explicuit tamquam attributum Dei : excelsus. Cum emphatica repetitione effertur v. 10 *inimici tui peribunt, dispergentur* ; cf. Iud. 5,31. Iob 4,11 ; et qui populum Dei infestant, sunt quoque inimici Dei. Et hos extraneos psaltes praecipue ob oculos habere videtur ex v. 11.12.

Dominus in excelso suo populo aliam sortem attribuit v. 11 et exaltasti cornu meum sicut (cornu) bubali (cf. 21,22) ; membrum alterum effert syr : et tinxisti me unguento suavi ; similiter targum ; hebr perfudi (perfusus sum ? alii emendant perfudisti me) oleo viridi ; in cornu cernitur potentia, in unctione autem laetitia et gaudium, vel etiam honor exhibitus. Unde populi conditio potens et florens designatur, quae etiam in v. 12 describitur. LXX, Sym, Hier videntur hebr explicasse non a verbo בלל, sed a בלה (*Gen. Muis*), LXX enim καὶ τὸ γῆράς μου ἐν ἐλαίῳ πίονι, Sym ἡ παλαίωσίς μου ὡς ἐλαία εὐθαλής vetustas mea sicut oliva florida, Hier et senecta mea in oleo uberi. Iuventus populi est tempus egressionis ex Aegypto (Ier. 2,2 ; Ez. 16,7) ; vide 70,7.17 et 87,16 ; dein senectus intelligitur tempus exsilii, uti 70,9.18 ; et cum haec senectus oleo viridi perfundatur, intelligenda esset periodus post exsilium. Verum ad tempus post exsilium minime congruit : exaltasti cornu meum, neque congruit v. 12. Ergo senectus ex hoc contextu erit amovenda ; nisi forte explicaveris, non senectutem, sed defectum splendoris. In vulg pro oleo ponitur *misericordia*.

Potentia et laetitia haec bene consistit ; nam v. 12 *despexit oculus meus*, et de his qui consurgunt adversus me malignantibus audit auris mea ; scil. cum gaudio videt oculus et audit auris ; unde visu et auditu habent, cur de oppressoribus prostratis et devictis laetentur ; cf. v. 5 delectasti me in opere tuo, Domine.

Quae delectatio in opere Domini ulterius habetur in statu felici ; cf. 51,10 ; nam v. 13 *iustus ut palma floret* ; peccatori herbae vel faeno pereunti opponitur iustus qui palmae diu florenti, longaevae comparatur, et cedro quae longe lateque ramos extendit et multiplicat ; utraque arbor diuturna, utraque semper floret (*Ag.*). Qui sunt iusti in populo, isti tamquam olivae frugiferae *plantati in domo Domini* in atriis eius florent ; lege parallelismi perennis illa cum Deo coniunctio, qua iustitia hominis oritur et conservatur, exprimitur domo et atriis Domini ; debent scil. Deo adhaerere (72,28 ; 90,14), ex eo vires

haurire ad fructus pietatis et virtutum proferendos, quod in imagine plantationis exprimitur. Isti adhuc in senecta v. 15 fructificabunt; pingues et frondentes erunt (Hier), Sym πίονες καὶ εὐθαλεῖς ἔσονται, LXX εὐπαθοῦντες ἔσονται bene valentes erunt: minus feliciter vulg *bene patientes erunt*. Iusti igitur vita sua longa et felici a Deo donantur, *ut* hac ipsa sua sorte *annuntient*, *quia rectus*, iustus, Iahve, petra mea, et non est perversio, iniustitia in eo.

Ps. 92.

— *Laus Cantici ipsi David in die ante sabbatum, quando fundata est terra:*

1. *Dominus regnavit, decorem indutus est;* | *indutus est Dominus fortitudinem et praecinxit se;* | *etenim firmavit orbem terrae,* | *qui non commovebitur.* | 2. *Parata sedes tua ex tunc,* | *a saeculo tu es.*

3. *Elevaverunt flumina, Domine,* | *elevaverunt flumina vocem suam;* | **elevaverunt flumina fluctus suos:* | 4. *a vocibus aquarum multarum;* | *mirabiles elationes maris;* | *mirabilis in altis Dominus.*

5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis,* | *domum tuam decet sanctitudo, Domine,* | *in longitudinem dierum.*

In hebraeo nullus legitur titulus.

Dominus rex maiestate insignis, potens, aeternus (v. 1.2), mirabilis (v. 3.4), fidelis (v. 5).

Dominus regnum capessivit, se regem demonstravit: ut talis gloria et magnificentia indutus seu circumdatus est, fortitudine, potentia se cinxit. Hanc potentiam manifestavit: *firmavit orbem terrae*, hebr firmiter consistit orbis, non vacillabit; firmum solium tuum ex tunc, Sym ἑδραῖος ὁ θρόνος σου ἀπὸ τότε, semper, ab aeterno; *a saeculo*, ab aeterno tu es. — Nullum adest indicium, ad quam manifestationem regiae dominationis alludatur. Qui putant *regnavit* referri ad Is. 52,7, explicant eius loci impletionem praedicari; Dominum iudicio suo terram, quae perturbatione inquieta et instabilis facta erat, iterum stabilem fecisse et fluminibus et mari,* gentibus contra eum tumultuantibus, illud opposuisse: usque huc venies et non amplius procedes, et his confringes tumentes fluctus tuos (cf. *Baethgen*). Verum nequaquam certum est fluminibus et mari v. 3.4 exhiberi gentes rebelles. Potius videtur v. 1 Domini creatoris et regis mundi maiestas describi; qui ex mundo adspectabili apparet et cognoscitur gloria et fortitudine indutus, cuius tamen thronus et maiestas est, uti ipse, ab aeterno; et quod de terra dicitur, stabilem eius indicat firmitatem; nullatenus autem illam ex perturbatione ad quietem et ordinem esse reductam.

Quare etiam in v. 3.4 non puto impetum hostilem esse cernendum, neque ad ipsa primordia formationis terrae esse ascendendum, quando aquis tumentibus certi assignabantur fines (103, 6-9). Sed puto in hoc psalmo, sicut in 8, ex rebus creatis, et ex iis quae nobis apparent magnifica et mirabilia, nobis proponi viam ad Dei gloriam et maiestatem, cum admiratione suspiciendam. Et talis scena, qua cuiusvis sensus animusque mire afficitur, delectatur, in admirationem rapitur, nobis exhibetur in sono, strepitu ac fremitu fluminum, in fragore undarum maris, in aestu et fervore fluctuum maris : v. 3 *elevaverunt flumina vocem suam* : levaverunt flumina gurgites suos (Hier.), fremitum suum, fragorem suum, dum scil. undae magno impetu inter se alliduntur. Illud *a vocibus aquarum multarum*, hebr מִקֹּלוֹת explicari debet comparatione facta : magis quam fremitus aquarum et mirabiles elationes maris, mirabilis est in altis Dominus ; unde sensus enascitur planus : grandes sunt fremitus aquarum, mirabiles aestus maris, grandior, mirabilior est Dominus. Facilem textus hebr emendationem proposuit *Zenner* : scribit pro אדיריב separatione facta אדיר יב et addit בי ad מִשְׁבְּרֵי, tum habetur sensus praeclarus : plus quam fremitus aquarum mirabile est mare ; plus quam maris aestus mirabilis in excelso est Iahve (cf. Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1893, p. 173).

Huius Dei aeterni, excelsi *testimonia*, testificationes et manifestationes suae voluntatis, mandata, promissiones, minae, *credibilia facta sunt nimis*. Hier fidelia facta sunt : talia sunt quibus certissime fidi potest et debet (18,9 ; 24,10) ; *domum tuam*, templum, *decet sanctitas*, ei debetur sanctitas : templum ut Deo consecratum, ergo ab usu profano separatum et ad Deum pertinens, eo ipso iam est sanctum ; unde ei debetur, ut tamquam sanctum ab omnibus habeatur, ut omne immundum ab eo arceatur, ut cum debita reverentia et munditie omnes in eo versentur. Ex Dei magnitudine excelsa redundat sacra quaedam dignitas in templum, idque *in longitudinem dierum*, in perpetuum, quamdiu est domus Dei ; templum nullo unquam tempore est violandum ; habet enim promissionem : sanctificavi domum hanc, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus (3 Reg. 9,3).

Ps. 93.

— *Psalmus ipsi David. Quarta sabbati* :

1. *Deus ultionum Dominus*. — *Deus ultionum libere egit* : | 2. *exaltare, qui iudicas terram*, | *redde retributionem superbis*. | 3. *Usquequo peccatores Domine*, | *usque*-

quo peccatores gloriabuntur, | *4. effabuntur — et : loquentur iniquitatem,* | ** loquentur : omnes qui operantur iniustitiam?* | *5. Populum tuum Domine humiliaverunt,* | *et hereditatem tuam vexaverunt ;* | *6. viduam et advenam interfecerunt,* | *et pupillos occiderunt ;* | *7. et dixerunt : non videbit Dominus,* | *nec intelliget Deus Iacob.*

8. Intelligite insipientes in populo, | *et stulti aliquando sapite ;* | *9. qui plantavit aurem non audiet ?* | *aut qui finxit oculum non considerat ?* | *10. qui corripit gentes, non arguet,* | *qui docet hominem scientiam?* | *11. Dominus scit cogitationes hominum,* | *quoniam vanae sunt.*

12. Beatus homo, quem — tu : erudieris Domine, | *et de lege tua docueris eum ;* | *13. ut mitiges ei a diebus malis,* | *donec fodiatur peccatori fovea.* | *14. Quia non repellet Dominus plebem suam,* | *et hereditatem suam non derelinquet,* | *15. quoad usque iustitia convertatur in iudicium,* | *et qui iuxta illam omnes qui recto sunt corde.*

16. Quis consurget mihi adversus malignantes ? | *—aut : quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?* | *17. nisi quia Dominus adiuvit me,* | *paulo minus habitasset in inferno anima mea.* | *18. Si dicebam : motus est pes meus,* | *misericordia tua Domine adiuvabat me.* | *19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo,* | *consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* | *20. Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis,* | *qui fingis laborem in praecepto ?* | *21. Captabunt in animam iusti,* | *et sanguinem innocentem condemnabunt.* | *22. Et factus est mihi Dominus in refugium,* | *et Deus meus in adiutorium spei meae ;* | *23. et reddet illis iniquitatem ipsorum,* | *et in malitia eorum disperdet eos ;* | ** disperdet illos : Dominus Deus noster.*

In hebraeo nullus legitur titulus.

Precatur psaltes Deum ut contra oppressores superbos exsurgat qui iactant Deum non curare suas machinationes (v. 1-7). Talem opinionem ex notione Dei creatoris et gubernatoris refutat (v. 8-11). Ille vere est beatus, qui edoctus a Deo firmiter confidit, fore ut Deus suos non derelinquat, iniquos puniat, iustitiae ordinem restituat (v. 12-15). Et certe a Domino erit auxilium et consolatio in angustiis : nam cum sit inimicus iniquitatis, iustos tuetur, disperdit peccatores (v. 16-23).

Satis malam morum depravationem psaltes v. 3-7 describit, at, uti *Theod.* advertit, bene consonam cum dictis et reprehensionibus prophetarum (Is. 1,23 ; 5,20-23. Ier. 5,1-5. Os. 4,2. Mich. 3.3.11 etc.). Quare Deum *ultionum* invocat, Deum qui iustus ultionem et vindictam scelerum exercere debebit : Deus ultionum appare, manifesta te ut talem ; Hier : Deus ultionum ostendere. Et quomodo apparere debeat, dicitur v. 2 elevare, iudex terrae : retribue superbis ; redde vicissitudines superbis (Hier.). Diutius iam tardavit Deus ; quare cum aliqua animi impatientia interpellatur v. 3 *usquequo, peccatores, usquequo* impii exsultabunt, iubilabunt ? effutiunt, loquuntur insolenter, inter sese condicunt. Hier : garrient ; alii : sese efferunt. Et qualia consilia capiant et exsequantur, exponitur v. 5 *populum tuum, Domine,* tua,

Domine, res agitur, tibi fit iniuria, *humiliaverunt*, conterunt, *hereditatem tuam vexant*, opprimunt; populum scil. qui est pars tua, hereditas tua (73,2; 77,71); illos non verentur occidere, quos Deus peculiari cura et lege protectos esse voluit: *viduam, advenam, pupillos* (Ex. 22,22. Deut. 10,18; 14,29; 16,14; 24,17; 27,19 etc.). Et ad cumulum perversitatis blasphemant; *non videt* Iahve, non advertit *Deus Iacob*, Deus qui est protector populi Iacob; vide 40,11.13 hebr, Iob 22,14. Is. 29,15. Ez. 8,12.

Quam stulta sit haec negatio scientiae Dei, proponitur v. 8, vocat illos *insipientes* brutos, qui brutis animalibus comparandi sunt (hebr בער), stultos, qui rem obviam, facilem intellectu, certis exploratisque testimoniis exploratam non capiunt; v. 9 dedit et dat Deus facultatem audiendi, videndi; ergo multo magis ipse audit, videt; nemo quippe dare potest quod ipse non habet (*Bellarm.*); et *Ag.* ex quo, inquit, intelligimus, verum esse quod theologi docent, vires rerum omnium esse in Deo demptis tamen earum imperfectionibus. Neque solum audit et videt res humanas, verum etiam eas curat v. 10 *qui corripit*, erudit, monet, *qui docet*, nonne is etiam *arguet*? reprehendet, corripiet? Iudaei sciunt, quomodo Deus per prophetas gentes quoque et exteras nationes reprehenderit, eas punierit, mandata dederit, earum sortem annuntiaverit; qua ratione igitur quis sibi persuadere potest Deum sui populi curam negligere? Quod v. 9.10 probavit psaltes, v. 11 directe enuntiat et affirmat v. 11 *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt*, optime novit quam stultae et vanae eiusmodi cogitationes v. 7 sint. Textus latinus vix aliter poterit intelligi; LXX et hebr verti potest: quoniam ipsi (homines) vani, seu halitus sunt: unde potius ratio affertur, cur Deus sciat cogitationes, sicut in v. 9.10 factum est. Deus quippe ipse est omnis sapientia et omnis veritas apud ipsum solum exsistit (*Eus.*), quomodo eum latere posset quidquam, quod fragilis illa creatura, halitus ille, homo tamen potest mente concipere? arguitur ex infinita Dei scientia et ex hominis fragilitate, dependentia a Deo: vel generatim ex infinitate Dei et ex hominis infirmitate.

Oppressores vexant populum et Deum plane negligunt (v. 5-7). Quid iam de ipsis oppressis, de iustis qui iniurias sustinent? Hos a Deo doceri opus esse asseritur, ut animo tranquillo fidem ac spem divinarum promissionum retineant. Et quantum in ea eruditione divina bonum contineatur, ipsa exclamatione satis docet psaltes v. 12 *beatus homo*, beatudines viri, *quem tu erudis*, et huius eruditionis et institutionis in lege finis est, v. 13 *ut mitiges ei a diebus malis*, hebr ut des ei requiem. Hier ut quieseat, a diebus mali seu a tempore, ubi malus

homo eum affligit, *donec fodiatur peccatori fovea* usque dum impius ille oppressor secundum normam retributionis intereat. Divina lege edoctus scit iustum Deum normam iustae retributionis servaturum esse; unde manet animo tranquillus, habet requiem (mitigationem), donec cadat impius (7,16). Atque normam illam iri servatum, probatur iam ratione generali v. 14 Deus enim *plebem suam, hereditatem suam non derelinquet*; et id demonstratur v. 15 ex eo quod iudicium revertetur ad iustitiam (hebr. Hier); iudicium quod nunc perverse exercetur v. 5-7 non poterit semper permanere; opus est ex Dei gubernatione, ut ordo iustitiae iterum restituatur, ut iudicia exerceantur ad normam iustitiae. Sensus idem habetur in vulg : iustitia iterum revertitur ad iudicium; nunc quasi exsulat a tribunali iudicum; sed redibit; et *iuxta illam* iustitiam *omnes* sese sistent *qui recto sunt corde*, vel ex hebr : iudicio (reverso scil. ad iustitiam) adhaerebunt.

Iam quaerunt pii v. 16 quis me adiuvet contra impios? et simul sciunt : v. 17 nisi Dominus esset auxilium meum, mox habitaret anima mea in silentio, in orco; et v. 18 *si dicebam*, si apud me cogitabam : *motus est pes meus*, vacillat pes meus, res meae in periculo sunt, actum est de me, *misericordia tua*, benignitas, gratia tua, *adiuvabat me*. Immo mediis in tribulationibus etiam non deerant consolationes divinae v. 19 in multitudine curarum mearum in corde meo consolationes tuae delectabant animam meam. Et una ex istis consolationibus erat firma illa persuasio v. 20 *numquid adhaeret tibi*, tui particeps erit, seu tecum associatur *sedes iniquitatis* formans molestiam per statutum; sedes iniquitatis ponitur pro eo qui sedet in throno et iniquitatem exercet et qui iniquis suis statutis in forma legis editis molestiam et perniciem creat. Talis rex, seu iudex, seu princeps a Domino deturbabitur; talem sedem iniquitatis, ex qua emanant praecepta perversa, Dominus funditus evertet. LXX ὁ θρόνος ἀνομίας, ὁ πλάσσων κόπον ἐπι πρόσταγμα : idem habetur sensus. Sed valde infeliciter in vulg *qui fingis*! πλάσσων recte ad θρόνος referunt *Theod.* et in Catena paraphrasis anonymi, Theod. heracl. Didymus, anonymus; idem *Ag. Calm.*, etiam Hier vertit : numquid particeps erit tui thronus insidiarum, fingens laborem in praecepto?

Eiusmodi iudices et principes iniusti v. 21 *captabunt*, congregantur adversus *animam iusti et sanguinem innocentem condemnant*; virum innoxium sceleris reum declarant; sententia concipi potest veluti conditionalis : si congregantur, condemnant, tum v. 22 Dominus mihi est in arcem et Deus meus in petram refugii mei; vel ut Hier vertit : erit mihi Dominus in refugium et Deus meus quasi petra spei meae; me, iustum Dominus proteget; at iniusti illi oppressores ex norma

iustitiae punientur, v. 23 *reddet illis iniquitatem ipsorum et in malitia eorum* perdet illos Dominus Deus noster (repetitur hebr. vulg ; neque tamen apud LXX) : κατὰ τὴν πονηρίαν, secundum malitiam eorum ; hebr etiam verti potest : propter malitiam eorum, seu per malitiam : LXX καὶ τὴν πονηρίαν αὐτῶν (scil. ἀποδώσει), sed syr quoque et targum habent *in* malitiis, et teste Hier in cunctis interpretibus positum est *in malitia eorum* (epist. ad Sun. et Fret.) ; et ita quoque LXX iuxta A κατὰ τὴν πονηρίαν αὐτῶν.

Ps. 94.

— *Laus Cantici ipsi David* :

1. *Venite, exsultemus Domino,* | *iubilemus Deo salutari nostro,* | 2. *praeoccupemus faciem eius in confessione,* | —*et : in psalmis iubilemus ei.* | 3. *Quoniam Deus magnus Dominus,* | *et rex magnus super omnes deos;* | 4. *quia in manu eius sunt omnes fines terrae,* | *et altitudines montium ipsius sunt;* | 5. *quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud,* | *et siccam manus eius formaverunt.*

6. *Venite adoremus et procidamus,* | *et ploremus ante Dominum qui fecit nos,* | 7. *quia ispe est — Dominus : Deus noster* | *et nos populus pascuae eius et oves manus eius.* | 8. *Hodie si vocem eius audieritis,* | *nolite obdurare corda vestra;* | 9. *sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto,* | *ubi tentaverunt me patres vestri,* | *probaverunt me et viderunt opera mea.* | 10. *Quadraginta annis offensus fui generationi illi* | *et dixi : semper hi errant corde;* | 11. *et isti non cognoverunt vias meas;* | *ut iuravi in ira mea :* | *si introibunt in requiem meam.*

In hebraeo non legitur titulus.

Duo postulantur : adorate Deum et obedite ei. Prius demonstrat psaltes ex maiestate Dei dominatoris et creatoris (v. 1-5). Alterum ex ratione foederis ; deterrentur ab inobedientia punitione maiorum (v. 6-11).

Adhortantur seipsos ad Deum cum iubilatione laudandum, quem propterea appellant petram salutis nostrae v. 1, firmissimum fundamentum nostrae felicitatis ; v. 2 *praeoccupemus*, accedamus ad faciem eius, ad sanctuarium, ad templum ibi oculi eius et cor eius ; cf. 3 Reg. 9,3) in actione gratiarum (hebr. Hier.) in canticis iubilemus ei. Et huius iubilationis ratio est v. 3 *quoniam* Iahve *magnus Deus* est *et rex magnus super omnes deos* ; dominium suum ostendit quoque et exercet in omnes aliarum nationum deos. Id enim eo sensu dicitur quo v. g. ipse Deus loquens inducitur Ex. 12,12 : in cunctis diis Aegypti faciam iudicia ; et Iethro ait : nunc cognovi quia magnus Dominus super

omnes deos (Ex. 18,11) et Ier. 48,7 ibit Chamos in transmigrationem et Is.46,1 confractus est Bel etc. Et quam magnus sit Iahve, declaratur dominatione eius v. 4 : in eius enim potestate sunt *omnes fines terrae*, hebr Aq ἐξιχνιασμοὶ γῆς (cuncta quae explorari possunt ?), Sym κατώτατα, Hier fundamenta, recentiores : profunda; eius quoque sunt excelsa montium, montes excelsi, sicut v. 5 mare quoque et terra (sicca); nam ipse est omnium creator.

Et tamquam noster quoque creator nobis proponitur v. 6 cui maximam iubemur reverentiam et subectionem exhibere : prosternamur, curvemur, flectamus genua ante Iahve factorem nostrum (hebr); tribus hisce subiectionis signis (in oppositione ad iubilationem v. 1) iam admonemur de debita obedientia; *nos populus pascuae eius*, 22,1 Iahve pastor meus (hebr), cf. 2 Reg. 7,7; *oves manus eius*, quarum singularum curam gerit; ita Ier. 33,13 transibunt greges ad manum numerantis; 73.1 oves pascuae eius; item 78,13 et 99,3; unde aliqui malunt emendare : populus manus eius i.e. populus quem creavit (v. 5) et oves pascuae eius. Qua occasione per prophetam quendam peculiare quoddam mandatum Dei ad populum perlatum sit, nescimus; eiusmodi occasio nobis describitur Ier. 26,2 sta in atrio domus Domini et loqueris; 36,10; 42,9. Ez. 12,3. Si ergo *hodie* tale Dei mandatum ad eos perfertur, vel utinam hodie audiatis ! *nolite obdurare*, sicut in loco Meriba Ex. 17,7 (propter iurgium filiorum Israel), sicut in die Massa, in die tentationis in deserto (Ex. l.c. et vocavit nomen loci illius Massa, Tentatio); Deum tentarunt dubio de eius potentia et auxilio; dicitur Deus tentari duplici modo : si mensura spei rectae vel non attingitur (diffidentia) vel exceditur (praesumptione, Matth. 4,7); cf. Num. 14,2; *probaverunt* explorarunt, me periclitati sunt, experiri meam potentiam voluerunt; et tamen *viderunt opera mea* ; nulla erat dubitandi et murmurandi causa; nam antea iam saepe testes erant prodigiorum et potentiae Domini eiusque ad opem ferendam promptitudinis.

Generatio illa erat prava et exasperans 77,8. Deut. 32,5.8 ; unde v. 10 *offensus fui*, Hier displicuit mihi generatio illa, hebr fastidio habui, Aq Sym δυσηρεστήθην, id quod *Theod.* explicat ἐβδελυξάμην, abominatus, exsecratus sum; *et dixi* : populus errans corde isti; ipsi autem αὐτοὶ δὲ (LXX) *non cognoverunt vias meas* ; monitione ac reprehensione Dei facta tamen isti non adverterunt, non secum perpenderunt, quid Deus pro ipsis eousque fecerit, quid se facturum promiserit, quid ab ipsis expostulet. Qua negligentia agnoscendi providentiam illam mirabilem Dei et contumacia illa res tandem eo devenit (cf. Num. 14,23. Deut. 1,35), ita *ut iuraverim in ira mea* : *si* i.e. non *introibunt*

in requiem meam : cf. Deut. 12,9 : neque enim usque in praesens tempus venistis ad requiem et possessionem quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Requiem vocat terram promissionis, quia ibi sedes quietas post itinera habituri erant ; requies mea, quia Deus eam dat, et eo quoque sensu requies Dei, quia ibi arca Dei fixum habebit sanctuarium. Terrena haec requies et terra promissa et regnum hoc Dei in populum inchoatio quaedam erat et typus altioris ac sublimioris requiei, de qua loquitur apostolus (Hebr. 4).

Ps. 95.

1. — *Canticum ipsi David ; quando domus aedificabatur post captivitatem :*

Cantate Domino canticum novum, | cantate Domino omnis terra. | 2. Cantate Domino — et : benedicite nomini eius, | annuntiate de die in diem salutare eius ; | 3. annuntiate inter gentes gloriam eius, | in omnibus populis mirabilia eius. | 4. Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis ; | terribilis est super omnes deos ; | 5. quoniam omnes dii gentium daemonia ; | Dominus autem coelos fecit. | 6. Confessio et pulchritudo in conspectu eius ; | sanctimonia et magnificentia in sanctificatione eius.

7. Afferte Domino patriae gentium, | afferte Domino gloriam et honorem ; | 8. afferte Domino gloriam nomini eius ; | tollite hostias et introite in atria eius ; | 9. adorate Dominum in atrio sancto eius. | Commoveatur a facie eius universa terra. | 10. Dicite in gentibus — quia : Dominus regnavit ; | etenim correxit orbem terrae qui non commovebitur, iudicabit populos in aequitate.

11. Laetentur coeli et exsultet terra, | commoveatur mare et plenitudo eius ; | 12. gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt ; | tunc exsultabunt omnia ligna silvarum | 13. a facie Domini, quia venit, | quoniam venit iudicare terram : | iudicabit orbem terrae in aequitate, | et populos in veritate sua.

In hebraeo non adscribitur titulus.

Sollemnis est adhortatio ad Dei laudes celebrandas et inter gentes annuntiandas, quia Deus est magnus, omni laude dignus, potentissimus (v. 1-6). Gentes ipsae invitantur, ut laudes et oblationes Domino ferant, cum sit universi orbis rex et iudex (v. 7-10). Ipsae quoque creaturae universae provocantur ad laetitiam ob Domini iudicis adventum (v. 11-13).

Uti patet 1 Par. 16,23-33 psalmus iste cantatus est in translatione arcae. Etiam alia occasione ex inscriptione graeca, latina tempus assignatur aptum huic cantico denuo canendo, tempus templi aedificati post captivitatem, quo tempore sperabatur instauratio illa gloriosa proxime futura, qua gentes alla-

turae erant thesauros ad domum Dei et Dominus venturus ad iudicium cf. Is. 60.61.62; 66,15. Ier. 31,10-14. Ez. 37,28). Psalmus iam eo sensu messianus est quia omnes gentes ad Dei gloriam praedicandam invitantur et iudicium in gentes annuntiatur, quae duo sunt indicia indubia periodi Messiae regis.

Cantate Domino canticum novum ; vide 32,3 ; 39,4 ; *benedicite nomini eius*, praedicate, celebrate nomen eius, Deum quatenus sese manifestat et ita hominibus innotescit ; *de die in diem*, 18,3 ; nomen quasi in sequentibus explicatur : *salutare eius*, felicitatem, salutem quam largiturus est, *gloriam eius et mirabilia eius*, prodigia, signa, opera eius stupenda. Et quantopere Deus dignus sit tali praeconio continuo, ubique celebrando, indicatur v. 4, vide 47,2 ; *terribilis super omnes deos*, vide 94,3 ; v. 5 LXX δαιμόνια, sed in loco parallelo 1 Par. 16,26 εἴδωλα, vulg quoque eo loco idola ; Aq ἐπίπλαστοι, Hier sculptilia. Sym ἀνύπαρκτοι (re non exsistentes), qua notione אלילים quoque explicatur ; ad daemonia cf. 1 Cor 10,20. Iahve autem *coelos fecit* ; de idolis valet illud Is. 41,24 ecce vos estis ex nihilo et opus vestrum ex eo quod non est. Coram Domino autem in operibus eius adstant v. 6 gloria et decor (Hier), et in sanctuario eius fortitudo et magnificentia, in sanctuario coelesti gloriam et lucem inhabitat inaccessibilem.

Ad talem maiestatem adorandam invitantur v. 7 *patriae*, familiae populorum, *afferte gloriam et honorem* ; *nomini eius*, ut eum tamquam unum, verum Deum agnoscant et colant (*Aq.*) ; cf. 28,1.2 ; levate munera, quia « non apparebis in conspectu meo vacuus » Ex. 23,15 ; 34,20. Deut. 16,16 ; et venite ad atria eius. Ibi v. 9 sese prosternant Domino *in atrio sancto eius* ; ita LXX, hebr in ornatu sancto, 29,2 hebr, sicut 1 Par. 16,29 vulg : in decore sancto ; et simul cum eis : contremiscite a facie eius omnis terra (hebr), *commoveatur*, reverentia paveat omnis terra. Et ut haec reverentia toti terrae imperari possit v. 10 dicite inter gentes : Iahve rex factus est, 92,1 ; et regiam potestatem ostendit : firmavit quoque orbem terrae, ut non moveatur : LXX καὶ γὰρ κατώρθωσεν, Sym ἥδρασε, Hier siquidem appendit orbem immobilem ; ex punctatione mass. : etiam firmus stat orbis ; alterum regiae potestatis documentum affertur : *iudicabit populos in aequitate*, in rectitudinibus, recte.

Demum omnes creaturae provocantur ad laetitiam v. 11 *coeli*, *terra*, *mare et plenitudo eius* omne quod mare implet, in mari continetur ; tonet mare (hebr, Hier) Aq βροντήσει, Sym ἠχήσει ἡ θάλασσα ; v. 12 iubilent campi, agri ; tunc exsultent omnes arbores saltus ante Dominum, *quia venit*, id quod cum gaudio repetitur, *quia venit* iudicare terram ; et eius iudicium merito cum universali exsultatione

excipiendum est, quia iudicat orbem in iustitia et populos secundum suam fidelitatem, secundum promissa minasque, *in veritate sua*; iudicium eius erit secundum fidelitatem, secundum promissa; quae promisit excedunt strictum iustitiae ordinem; quare utrumque memoratur in eius iudicio. Quae hic dicuntur de creaturarum exsultatione, suam habent explicationem ab apostolo Rom. 8,21.22 ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei; et ideo exspectat creatura revelationem filiorum Dei. Adhortatio haec creaturae inanimatae facta pro hominibus vehemens intelligitur stimulus, ut eo maiore tripudio adventum Domini celebrent et maximo desiderio ei obviam ferantur.

In v. 10 locus olim famosus legebatur : Dominus regnavit a ligno. E graecis unus Iustinus martyr hanc lectionem affert et Iudaeos accusat quod *a ligno* malitiose sustulissent (c. Tryph. 71 ; *M.* 6,641 ; cf. *Cornely*, Introd. I, ed. 2. p. 289). Apud latinos haec lectio aliquando satis invaluit, de qua re agunt Sabatier et Calmet in h. l., secundum quos eam lectionem habent Tertullianus, Lactantius, Arnobius, Augustinus, Cassiodorus, S. Leo papa, Gregorius turonensis, Ambrosiaster, Vigilius taps. alii ; psalteria quoque romanum, corbeiense, carnotense, mozarabicum. Legitur hodie quoque in hymno Passionis in officio liturgico (Vexilla regis prodeunt) : impleta sunt quae concinit — David fideli carmine dicendo nationibus — regnavit a ligno Deus. Hoc additamentum in nulla versione legitur, neque apud S. Hier, Hilarium etc.

Ps. 96.

1. — *Huic David, quando terra eius restituta est :*

Dominus regnavit, exsultet terra, | laetentur insulae multae. | 2. Nubes et caligo in circuitu eius, | iustitia et iudicium correctio sedis eius. | 3. Ignis ante ipsum praecedet, | et inflammabit in circuitu inimicos eius. | 4. Illuxerunt fulgura eius orbi terrae ; | vidit et commota est terra. | 5. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini; | a facie Domini omnis terra. | 6. Annuntiaverunt coeli iustitiam eius, | et viderunt omnes populi gloriam eius.

7. Confundantur omnes qui adorant sculptilia, | et qui gloriantur in simulacris suis: | Adorate eum omnes angeli — eius : | 8. audivit et laetata est Sion ; | et exsultaverunt filiae Iudae, | propter iudicia tua, Domine ; | 9. quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, | nimis exaltatus es super omnes deos.

10. Qui diligitis Dominum odite malum; | custodit — Dominus : animas sanctorum suorum, | de manu peccatoris liberabit eos. | 11. Lux orta est iusto, | et rectis corde laetitia. | 12. Laetamini iusti in Domino; | et confitemini memoriae sanctificationis eius.

In hebraeo non legitur titulus.

Laetetur terra : Deus iustus venit ad iudicium, cuius adventus tempestate, fulgoribus, terrae motu indicatur (v. 1-6). Effectus iudicii est confusio idololatrarum, adoratio angelorum, laetitia populi Dei (v. 7-9). Quare sequimini bonum, quia Deus iustos protegit et beat (v. 10-12).

Psalmus hic similis est antecedenti. *Dominus regnavit*, rex factus est ; 92,1 ; mentio insularum iam indicat, psalmum ultra Israel spectare gentes quoque adeoque tempus messianum. Ratio exsultationis et laetitiae est, quia Deus sese accingit ad iudicium ; cf. Is. 42,10 ; 51,5. Descensus eius describitur v. 2-5 modo consueto ; vide 17,8 sq. 49,3-6. In tempestate descendit ; ideo prius nubes caliginosae circa eum apparent ad annuntiandum terrorem iudicii ; norma iudicii indicatur : iustitia et ius fundamentum throni eius. Ex nubibus erumpunt flammae ignis v. 3 et exurunt per circuitum hostes eius ; fulgura per orbem illucescunt v. 4 ; vide 76,19. quorum fulgoribus terra videns contremiscit. Vehementia ardoris talis est, ut ipsi montes, firmissima terrae moles, *sicut cera* liquefiant ; cf. Mich. 1,4 Dominus descendet et consumentur montes subtus eum et valles scindentur ; in hebr a facie dominatoris omnis terrae ; ergo non dicitur omnis terra quasi cera diffluere ; LXX ἀπὸ προσώπου κυρίου πάσης τῆς γῆς. Cf. Is. 64,1.2. Ceterum hisce nobis non exhiberi imagines vacuas, verum signa quaedam et res certo quodam modo in fine mundi futuras, disce ex epistola Petri : adveniet dies Domini, ut fur, in quo elementa calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur (2 Petr. 3,10) ; de igne diei Domini scribit apostolus 1 Cor. 3,13 et 2 Thess. 1,8. Ad v. 6 vide 18,2 ; 49,6 ; coeli nubibus et fulguribus obtecti quasi proclamant iustum iudicem, et gloriam huius theophaniae vident populi.

Effectus huius iudicii est confusio idolorum cultorum v. 7 confundentur, vel confunduntur, LXX καὶ ἐγκαυχώμενοι ἐν τοῖς εἰδώλοις, ita hoc loco explicatur אֱלִילִים. Haec confusio ex hebr prosternit etiam deos : et prosternuntur ei omnes dii ; Hier vertit imperativum : adorate eum omnes dii. Ita iudicium exercetur in cultores et in idola, uti Is. 2,18 et idola penitus conterentur. LXX autem προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, ergo אֱלֹהִים, uti 8,6 dicuntur angeli (cf. Hebr. 1,6) ; secundum quem textum adhortatio fit ad angelos, comites iudicis, ut venerentur maiestatem eius. Quem textum sequitur auctor epistolae ad Hebraeos, qui sciens iudicem fore Filium Dei, Messiam, scribit : cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae dicit : et adorent eum omnes angeli Dei. Alter effectus iudicii in populum Dei indicatur v. 8.9 : Sion et oppida Iuda laetantur de iudicio ; cf. 47,12 ; laetantur

simul, imo praeprimis, quia Dominus tanta maiestate et gloria est exaltatus; cf. 46,3; 82,19; 94,3; simili modo : gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.

Ex veritate iudicii divini colliguntur monita v. 10 odio habete malum; hebr diligentes Iahve odio habent malum. Hos Dominus custodit et ex potestate impiorum eripiet; *custodit animas sanctorum suorum*, pios Dei cultores, חסידיו cf. 29,5; 30,24; 36,28. Vera felicitas et salus, *lux* oritur et contingit *iusto*; item in altero membro : *et rectis corde laetitia*, est ulterior descriptio ac designatio iusti et lucis. Hebr lux sparsa est; item Aq, Sym; LXX ἀνέτειλεν (similiter hebr 112,4) et syr. targum : oritur, effulsit; id quod melius congruit luci, quam : sparsa est. Cum itaque salus, lux, iustis a Deo destinata sit, v. 12 *laetamini*, *confitemini*, gratias agite *memoriae*, nomini sancto eius, vide 29,5; 31,11; celebrate documentum et memoriale, quod sanctitati suae erigit in iudicio. Affertur apud *Ag.* versio Sym ἐξομολογεῖσθε μνημονεύοντες τῆς ἁγιωσύνης αὐτοῦ celebrate memorantes sanctitatem eius.

Ps. 97.

1. *Psalmus — ipsi David :*

Cantate Domino canticum novum, | quia mirabilia fecit; | salvavit sibi dextera eius, | et brachium sanctum eius. | 2. Notum fecit Dominus salutare suum, | in conspectu gentium revelavit iustitiam suam. | 3. Recordatus est misericordiae suae | et veritatis suae domui Israel; | viderunt omnes termini terrae | salutare Dei nostri. | 4. Iubilate Deo omnis terra, | cantate et exsultate et psallite.

5. Psallite Domino in cithara, | in cithara et voce psalmi; | 6. in tubis — ductilibus : et voce tubae corneae, | iubilate in conspectu regis Domini. | 7. Moveatur mare et plenitudo eius, | orbis terrarum et qui habitant in eo. | 8. Flumina plaudent manu, | simul montes exsultabunt | 9. a conspectu Domini, | quoniam venit iudicare terram; | iudicabit orbem terrarum in iustitia, | et populos in aequitate.

In hebraeo titulus est : Psalmus (מזמור).

Celebrate Dominum qui sua potentia populum suum coram gentibus exaltavit memor misericordiae et fidelitatis (v. 1-4). Sollemni modo canite Domino, tota creatura exsultet propter iudicium Domini (v. 5-9). Vide ad 95.

Psalmus hic affinis est ps. 95; incipit et finit, uti 95, 1.13; proinde explicari poterit sicut ps. 95 antiquissimus ac tempori quoque solutionis exsilii accommodatus. Ratio laudis affertur generalis *quia mira-*

bilia fecit, et talia fecit solus sua potentia sine adiutorio alieno ; *dextera eius, brachium eius* sibi effecit salutem, cf. Is. 59, 17 ; 63, 5. Haec optime congruunt ad reductionem populi et solutionem exsilii ; atque huic interpretationi etiam v. 2 accommodatur : *salutare suum, iustitiam suam* manifestavit in liberatione populi, idque *notum fecit in conspectu gentium*, uti dicitur apud Isaiam ; auditum facite hoc et efferte illud usque ad extrema terrae Is. 48,20). Et salutem illam seu liberationem praestitit memor gratiae suae et fidelitatis ; nam propter me, propter me faciam, ut non blasphemer et gloriam meam alteri non dabo (Is. 48,11) ; quare opus illud etiam vocatur iustitia Dei, ita Is. 46,13 ; 56,1 iuxta est salus mea ut veniat et iustitia mea ut reveletur ; Is. 58,2 populus qui petit exsilii solutionem dicitur rogare iudicia iustitiae. Ipso Cyri decreto etiam populis innotuit beneficium quod Deus populo suo contulit ; nam traduxit vocem in omni regno suo etiam per scripturam (Esdr. 1,1). Concluditur haec prior cantici pars generali cohortatione v. 8 *iubilate Deo omnis terra* ; cf. Is. 42,10 ; 52, 9-10.

Uti 95,11, ita hic maximum exprimitur gaudium de iudicio quod Dominus facturus est. Etiam cum reditu et instauratione coniungitur apud prophetas iudicium Dei, quo regnum Dei universale, pax et sanctitas constituatur (cf. Is. 66,15 sq.). Ad manifestandum gaudium de glorioso iudicis adventu omnes v. 5 invitantur, ut magno musicorum instrumentorum apparatu Deo laudes et cantica offerant ; v. 6 in tubis et clangore bucinae, iubilate coram rege Iahve ; v. 7 tonet mare et plenitudo eius (Hier) ; plaudere manibus (4 Reg. 11,12) signum gaudii et approbationis ; signum laetitiae transfertur ad flumina, sicut Is. 55,12 arbores plaudent manibus. Tota exsultatio de Domini adventu ad iudicium v. 9 profertur, qua simul declaratur, quanto desiderio tota creatura obviam feratur manifestationi gloriae Dei in regni eius aeterni constitutione (cf. Rom. 8, 19-22).

Ps. 98.

1. — *Psalmus ipsi David.*

Dominus regnavit, irascantur populi ; | qui sedet super cherubim, moveatur terra ! | 2. Dominus in Sion magnus, | et excelsus super omnes populos. | 3. Confiteantur nomini tuo magno, | — quoniam : terribile et sanctum est. | 4. Et honor regis iudicium diligit. | Tu parasti directiones, | iudicium et iustitiam in Iacob tu fecisti. | 5. Exaltate Dominum Deum nostrum | et adorate scabellum pedum eius, | — quoniam : sanctum est.

6. Moyses et Aaron in sacerdotibus eius, | et Samuel inter eos, qui invocant

nomen eius. | *Invocabant Dominum et ipse exaudiebat eos,* | 7. *in columna nubis loquebatur ad eos.* | *Custodiebant testimonia eius,* | *et praeceptum quod dedit illis.* | 8. *Domine Deus noster, tu exaudiebas eos,* | *Deus — tu : propitius fuisti eis,* | *et ulciscens in — omnes : adinventiones eorum.* | 9. *Exaltate Dominum Deum nostrum* | *et adorate in monte sancto eius,* | *quoniam sanctus Dominus Deus noster.*

In hebraeo non habetur titulus.

Dominus rex in Sion magnus, terribilis, venerandus, protegit suos ut rex : quare exaltent eum (v. 1-5). Exemplum eis proponitur in Moyse, Aaron, Samuel, quos fideles servos Deus exaudivit ; concluditur eadem exhortatione (v. 6-9).

Coram regia maiestate, quam Dominus manifestavit (cf. 92,1 ; 96,1), populi contremiscant, commoveantur (Hier) ; sane non irae affectus, sed timoris et reverentiae sensus declaratur ; sedens super Cherubim, est alia designatio regis Iahve ; vide 79,2 ; hanc eius maiestatis manifestationem terra quoque salutet cum magna reverentiae significatione ; nam v. 2 *magnus*, in se, natura sua ; *excelsus*, sublimis in sua potentia et dominatione super *omnes populos*. Quare v. 3 celebrent *nomen*, Deum in magnis sui manifestationibus, quibus se exhibet terribilem, sanctum, cuius scil. honor et gloria sit inviolabilis, cuius nomen habeatur sacrosanctum. Altera ratio cur nomen Dei sit celebrandum, explicatur v. 4, honor et maiestas Dei regia ius et aequitatem diligit, ius et aequum amat (*Gen.*) ; vertit Hier : imperium regis iudicium diligit ; hebr potius : fortitudo, potentia regis ; scil. optime inter se conveniunt et summa potestas et summa aequitas (*Ag.*). Aliis placet adiungere ad v. 3 celebrent... et potentiam regis qui amat rectum. Et Dominus rex, *tu parasti*, constituisti *directiones*, εὐθύτητας, iustum ordinem, et pro populo tuo, Iacob, fecisti *iudicium et iustitiam*, gentes iudicasti, populo tribuisti id quod ex tua promissione illis erat iustum ac debitum. Unde v. 5 *exaltate* ; prosternimini ante *scabellum pedum eius*, vel generatim ante pedes eius prostrati adorate ; alias ipsa arca dicitur scabellum pedum eius (1 Par. 28, 2), quia sedes Domini erat super cherubim obvelantia arcam ; etiam ipsum sanctuarium potest ita vocari (Ez. 43, 7 ; Lam. 2,1) ; hic vero videtur ita vocari ipse mons sanctuarii ob v. 9. Haec prostratio autem debita est, *quoniam* ἅγιος, sanctus est, scil. Dominus ; quae lectio, uti *Ag.* notat, confirmatur v. 9 quoniam sanctus Dominus, in loco scil. parallelo.

Hic iam ponit propheta exemplum quod imitentur (*Bellarm.* sim. *Ag. Gen. Calm.* etc.) ; sint itaque *in sacerdotibus eius*, inter sacerdotes viri sicut olim *Moyses et Aaron* ; sint *inter eos qui invocant nomen eius*, inter adoratores Domini viri similes *Samueli* ; tum hi quoque orantes Dominum exaudientur, uti illi olim *invocabant Dominum et*

ipse exaudiebat eos ; hebr potius recte vertes tempore praesenti : invocantes (sunt) et exaudit eos ; item v. 7 *in columna nubis loquitur ad eos* ; Deus enim suum populum non relinquit ; sicut olim dedit duces et praeceptores, per quos populum suum docebat et regebat, ita nunc quoque dat, et qui in locum et auctoritatem Moysis et Aaron et Samuel succedunt, edocebuntur simili modo a Domino. Verum eis unum maxime commendat ad imitationem : illi *custodiebant* mandata Domini *et praeceptum quod dedit illis*. Illos v. 8 Dominus exaudivit ; illis fuit *propitius*, Deus ignoscens, et *ulciscens*, puniens *adinventiones*, facinora eorum ; de Moyse et Aaron vide Num. 20 ; pro Samuel affertur quandoque peccatum filiorum (1 Reg. 8, 3.5) quod in aliquam patris negligentiam aut omissionem redundet.

Ceterum quod in Moyse et Aaron delineatur, in tota populi historia exprimitur, etiam populum ad se clamantem exaudiebat, erat illis propitius, Deus ignoscens ; exstitit ultor peccatorum eorum ; quare recolentes vicissitudines suas v. 9 *exaltate* ; prosternimini ante montem sanctum eius ; ante sanctuarium Domini, *quoniam sanctus Dominus Deus noster* ; cf. v. 5.

Ps. 99.

1. *Psalmus in confessione.*

2. *Iubilate Deo omnis terra,* | *servite Domino in laetitia,* | *introite in conspectu eius in exsultatione.* | 3. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus ;* | *ipse fecit nos, et non ipsi nos ;* | *populus eius et oves pascuae eius.* | 4. *Introite portas eius in confessione,* | *atria eius in hymnis,* | *confitemini illi, laudate nomen eius ;* | 5. *quoniam suavis — est : Dominus,* | *in aeternum misericordia eius,* | *et usque in generationem et generationem veritas eius.*

Psalmus constat quattuor tristichis. In laetitia servite Domino, creatori nostro et pastori nostro (v. 1-3). Laudate eum propter bonitatem eius et fidelitatem perpetuam (v. 4-5). In hebraeo : Psalmus תּוֹדָה, qua voce et laus et sacrificium laudis seu gratiarum actionis significatur. Videtur psalmus esse destinatus ut in sacrificio pacifico canatur. Totus psalmus est adhortatio una continua ad gaudendum in Domino : *iubilate omnis terra*, 65,1 ; 95,1 ; 97,4 ; *servite*, colite, obedite ; hilarem datorem diligit Deus (2 Cor. 9,7. Eccli. 35,11) ; ingredimini coram eo *in exsultatione*, ad eius sanctuarium ; nam oculi mei erunt aperti et aures meae erectae ad orationem eius qui in loco isto oraverit 2 Par. 7,15 cf. 3 Reg. 9,3. Ratio autem gaudii est, quia Iahve est *Deus*, qui

nos fecit καὶ οὐχ ἡμεῖς *et non ipsi nos* fecimus nos (uti supplent). Hoc utique videtur clarum. Sequendum itaque est qeri hebr, scil. לוֹ pro לֹא, id quod exprimit Hier : ipse fecit nos et ipsius sumus ; et in Commentariolis explicite dicit : melius in hebr habet : et eius nos sumus ; etiam Aq exprimit qeri, Sym vero, uti *Theod.* refert, habet : αὐτὸς ἐποίησεν ἡμᾶς οὐκ ὄντας ; subtilius censet *Ag.* in vulg. duas has lectiones commisceri : et non ipsi (scil. dativus לוֹ) nos ; Bellarminus autem censet *ipsi* additum esse ad vitandam cacophoniam : et non nos. Praeter creationem qua iam toti Deo sumus, peculiarem rationem nobiscum iniit : *populus eius* ; Ex. 19,5. Deut. 32, 6.18 ; grex pascuae eius (Hier), 94,7 ; 23,1 (hebr). Admonentur v. 4, ut cum canticis ascendant ad templum, per portas intrent Deum laudantes in atria. Et materia laudis et gratiarum actionis proponitur in v. 5 Dominus benignus, bonus, *suavis* ; gratia eius vel misericordia quae nunquam deficiat, et *veritas*, fidelitas eius qua in generationes futuras promissis suis perpetuo stabit ; cf. 88,2 ; 24,8 ; 34,9.

Ps. 100.

1. *Psalmus ipsi David.*

Misericordiam et iudicium cantabo, | tibi, Domine, psallam ; | 2. — et : intelligam in via immaculata, | quando venies ad me. | Perambulabam in innocentia cordis mei, | in medio domus meae. | 3. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam ; | facientes praevaricationes odivi. | Non adhaesit mihi 4. cor pravum ; | declinantem a me malignum non cognoscebam. | 5. Detrahentem secreto proximo suo, | hunc persequebar. | Superbo oculo et insatiabili corde, | cum hoc non edebam.

6. Oculi mei ad fideles terrae, | ut sedeant mecum ; | ambulans in via immaculata, | hic mihi ministrabat. | Non habitabit in medio domus meae | qui facit superbiam ; | qui loquitur iniqua, | non direxit in conspectu oculorum meorum. | 8. In matutino interficiebam | omnes peccatores terrae ; | ut disperderem de civitate Domini | omnes operantes iniquitatem.

Proponitur speculum quoddam regum. Vitam agere sibi proponit David immaculatam, vitare omnem iniustitiam et fallaciam, persequi calumniatores et repellere superbos (v. 1-5). Curam agere vult piorum, a se autem avertere iniquos et eos ab urbe Domini expellere (v. 6-8).

Cum statim legatur *tibi psallam*, patet *misericordiam* seu gratiam et *iudicium*, iustitiam, ius non posse referri ad ipsum qui loquitur, sed referri debere ad Deum, cuius gratiam et iustitiam cantico prosequi vult et in regula vitae quam sibi proponit imitatione exprimere. Ita in

ipso quidem psalmo haec Dei attributa non celebrat *carmine*, celebrat autem ea imitatione ; potentium enim quam maxime est esse benignos, esse iustos ; praestare gratiam, firmiter sustinere iustitiam ; proponit itaque sibi v. 2 : advertam, curam impendam, ad viam, vitam immaculatam ; de locutione *intelligam* vide 40,2 (beatus qui intelligit super egenum et pauperem) ; en, ex mea parte optime propono agere vitam : *quando venies ad me* ? interrogatio est desiderantis experiri auxilium ac benedictionem Domini (*Alg. Gen. Calm.*) ; ex quo suspirio etiam significatur in suis votis et institutis se tum tandem profecturum, si Deus suos conatus adiuverit (*Gen.*). Interrogationem bene concipit *Theod.* : regales aulas splendidas et magnificas tibi praeparavi ; tuum adventum Domine exopto, tuamque praesentiam desidero ; concede quod exoptatur.

Quae sequuntur, explicanda sunt cum hebr, Hier tempore futuro : *perambulabo*, uti bene monet *Calm.* : quae in imperfecto sequuntur, per futurum explicari debent ; vel explica per praesens, quod idem est in regula hac vitae describenda : ambulabo in simplicitate cordis mei (Hier), in integritate ; v. 3 non ponam coram oculis meis verba Belial (Hier), sed melius LXX πρᾶγμα παράνομον, *rem iniustam*, rem pravam, detestabilem ; *facientes praevaricationes* odio habeo ; hebr facere transgressiones odio habeo, non adhaeret mihi ; cor pravum, perversum, recedit a me ; malum nescio. Ita hebr iungitur. LXX ἐκκλίνοντος ἀπ' ἐμοῦ τοῦ πονηροῦ οὐκ ἐγίνωσκον, adeo negligebam impios, ut ne sentirem quidem, si illi me relinquerent, si a me discederent ; minimi eos aestimabam ; οὕτως εὐκαταφρόνητος ἦν μοι λίαν ὁ τὴν κακίαν αἱρούμενος (*Theod.*), nullius prorsus momenti, plane despectus erat mihi eiusmodi qui pravitatem eligeret ; vulg *non cognoscebam*, explicat *Aug.* non approbabam, non laudabam, non mihi placebat.

Calumniatores a se arcere vult v. 5 *hunc persequebar*, hunc interficiam (Hier), perdam, delebo ; superbum et insolentem non possum sustinere ; superbum oculis et altum corde, cum hoc esse non potero (Hier) ; LXX τούτῳ οὐ συνήσθιον (cf. אוכל) ; Sym τοῦτον οὐκ ἠνειχόμην. Sed secum habitare vult *fideles terrae*, quos in terra noverit fideles Dei cultores ; hos exquirere et secum versari desiderat v. 6 *oculi mei* cf. 31,8 ; 33,16 ; pariter in suum ministerium non vult assumere nisi probos viros. Neque in domum suam admittet nec inter amicos aut familiares assumet eum, *qui facit superbiam* v. 7 qui facit fraudem, dolum (Hier) ; loquens mendacia non consistit coram me, non manet mecum ; *non direxit*, LXX οὐ κατηύθυνεν, id explicat *Eus.* οὐδὲν ἤνυεν, οὐκ εὐωδοῦτο ἐνώπιόν μου, nihil promovebat, non habebat successum prosperum ; minime proficiebat apud me : Hier : loquens mendacium

non placebit in conspectu oculorum meorum. Demum v. 8 *in matutino*; notat Hier (in Comment.) : matutinum velocitatem rei festinationemque significat ; LXX εἰς τὰς πρωίας, hebr singulis matutinis, i. e. singulis diebus (cf. 72,14), perdam omnes impios terrae (Hier) ; Sym ἀφώνους ἐποίουν ; impii isti in oppositione ad fideles erunt idololatrae, et contemptores legum et morum paternorum ; hos plane exsulare vult ex civitate Domini ; *ut disperderem*, ad exscindendos *de civitate Domini omnes operantes iniquitatem* ; civitatem Domini proponit sanctam reddere amotis et deletis impiis ; cf. Is. 52,1 ; poena mortis statuitur in idololatras Deut. 13, 6-16 ; 17,2 sq.

Ps. 101.

1. *Oratio pauperis, cum anxius fuerit et in conspectu Domini effuderit precem suam.*

2. *Domine exaudi orationem meam,* | *et clamor meus ad te veniat.* | 3. *Non avertas faciem tuam a me,* | *in — quacumque : die tribulor, inclina ad me aurem tuam ;* | *in quacumque die invocavero — te ;* | *velociter exaudi me.* | 4. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei,* | *et ossa mea sicut cremium aruerunt.* | 5. *Percussus sum ut faenum et aruit cor meum,* | *quia oblitus sum comedere panem meum ;* | 6. *a voce gemitus mei* | *adhaesit os meum carni meae.*

7. *Similis factus sum pellicano solitudinis,* | *factus sum sicut nycticorax in domicilio ;* | 8. *vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* | 9. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei,* | *— et : qui laudabant me, adversum me iurabant ;* | 10. *quia cinerem tamquam panem manducabam,* | *et potum meum cum fletu miscebam,* | 11. *a facie irae et indignationis tuae, quia elevans allisisti me.* | 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt ;* | *et ego sicut faenum arui.*

13. *Tu autem Domine in aeternum permanes,* | *et memoriale tuum in generationem et generationem.* | 14. *Tu exsurgens misereberis Sion,* | *quia tempus miserendi eius, *quia venit tempus,* | 15. *quoniam : placuerunt servis tuis lapides eius,* | *et terrae eius miserebuntur ;* | 16. *et timebunt gentes nomen tuum, Domine,* | *et omnes reges terrae gloriam tuam ;* | 17. *quia aedificavit Dominus Sion* | *et videbitur in gloria sua.* | 18. *Respexit in orationem humilium,* | *et non sprevit precem eorum.*

19. *Scribantur haec in generatione altera,* | *et populus qui creabitur laudabit Dominum ;* | 20. *quia prospexit de excelso sancto suo ;* | *Dominus de coelo in terram aspexit ;* | 21. *ut audiret gemitus compeditorum,* | *ut solveret filios interemptorum ;* | 22. *ut annuntient in Sion nomen Domini,* | *et laudem eius in Ierusalem ;* | 23. *in conveniendo populos in unum,* | *et reges ut serviant Domino.*

24. *Respondit ei in via virtutis suae :* | *paucitatem dierum meorum nuntia mihi ;* | 25. *ne revoces me in dimidio dierum meorum,* | *in generationem ut generationem anni tui.* | 26. *Initio — tu Domine : terram fundasti ;* | *et opera manuum tuarum sunt : coeli.* | 27. *Ipsi peribunt, tu autem permanes ;* | *et omnes sicut vestimen-*

tum veterascent; | et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur; | 28. tu autem —idem : ipse es et anni tui non deficient. 29. Filii servorum tuorum habitabunt, | et semen eorum in saeculum dirigetur.

Urbe destructa populus petitione praemissa miseram suam conditionem et ignominiam exponit in quam ob Dei indignationem pervenerit (v. 2-12). Efflagitat a Deo, ut Sionis misereatur propositis rationibus ex tempore, ex animorum dispositione, ex Dei gloria coram gentibus et perpetua apud suos beneficii memoria (v. 13-23). Repetitur petitio et ex Dei immutabilitate hauritur certa spes instaurationis ac felicitatis (v. 24-29).

In persona populi (v. 4-12.15. 18-25) psalmista loquitur. Anno quarto Ioakim regis annuntiaverat Ieremias : et servient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis (Ier. 25,11) et exsulibus scripserat : haec dicit Dominus : cum coeperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum (29.10) ; unde tempus instaurationis aliqua ratione colligi poterat, uti collegit Daniel et preces fudit pro instauratione (Dan. 9, 2-19). Eadem est psalmi huius conditio et temporis ratio (v. 12 venit tempus miserendi Sion). Consuetis formulis saepius repetitis ardenter petitiones Deo proponuntur v. 2.3 : cf. 5,2 ; 16, 1.6 ; 43.24. In quam miserum statum natio delapsa sit v. 4-12 declaratur ; *defecerunt sicut fumus dies mei* tempus nationis qua nationis evanescit, desinit esse natio ; dissolvitur ut fumus, vix aliqua eius vestigia relicta sunt ; *sicut* praebent LXX, Hier, targum et aliqui codices hebr ; textus mass. et syr : in fumum, quasi in nihilum abierunt, seu abeunt dies mei ; vitam nationis paene iam exstingui alia imagine exhibetur : *ossa sicut cremium*, ligna seu sarmenta arida *aruerunt* : nihil vigoris iam est in corpore ; sucus vitalis abiit. Hebr ossa mea sicut ardore exusta sunt (cf. Is. 33, 14 vulg), Hier ossa mea quasi frixa contabuerunt ; sequitur Hier fere versionem Aq ὡς καῦσις ἐφθαυρώθη ; apud *Aug. Cassiod.* sicut in frixorio confrixa sunt (uti in liturgia quoque habetur tract. fer. 4 maioris hebd.). Quae ad idem convergunt : corpus, membra, calamitatibus quasi ignibus exusta sunt.

Idem enuntiatur alia imagine v. 5 *percussus sum*, sicuti solis ardore et aestu percutitur et arescit herba ; pristinum florem amisi (*Theod.* ; hebr percussum est ut herba et arefactum est cor meum (similiter Hier) ; et quantus sit cumulus malorum et quale sit maeroris pondus, colligendum est inde, *quia oblitus sum comedere* (*quia* hic non causam rei, sed cognitionis rei causam affert) ; prae nimia tristitia non est appetitus cibi ; cf. 1 Reg. 1,7 illa flebat et non capiebat cibum ; 1

Reg. 28,23; 3 Reg. 21,4 prae indignatione noluit comedere Achab. Prae nimio clamore cum suspiriis i. e. v. 6 *a voce gemitus mei adhaesit os meum carni meae*, explicat *Gen.* exsiccato suco vitali intercurrente inter carnem et ossa; alias legimus : pelli meae consumptis carnibus adhaesit os meum (Iob 19,20) et adhaesit cutis eorum ossibus (Lam. 4,8) ; quare aliqui hoc loco בשׂר *caro* notione cutis adhiberi putant (*Ag. Bellarm. Calm. Baethgen*) ; aliter *Duhm* : adhaeret ossibus meis caro mea. Ex modo loquendi intelligitur prae ardore doloris omnem in corpore sparsam humiditatem amitti ; exstingui humores (*Eus.*) popularis est locutio.

Populum Israel ex albo nationum esse deletum et ex terra sua eiectum et exsulem in deserto, lamentatur psalmista v. 7.8 tribus comparationibus ; v. 7 *similis factus sum pellicano solitudinis*, deserti (hebr. Hier) ; *sicut nycticorax* ruinarum, in ruinis, noctua. Hier quasi bubo solitudinum ; similiter depingit exstinctionem populorum et regnorum Isaias 13, 21.22 ; 34, 11-15 ; nationes florentes seu regna comparantur leoni, aquilae (cf. Ier. 5,6. Ez. 17, 3.7 ; 19, 2-6) ; verum natio Israel vilibus et infirmis avibus ; v. 8 *vigilavi*, somno et requie careo, vigilias ago solitarius, *sicut passer solitarius in tecto* ; ceterum monent vocem hebr quodlibet avicularum genus significare : sicut solitaria avis in tecto. Porro in hac derelictione et abiecta conditione populus Israel exponitur opprobriis nationum v. 9 *tota die*, continuo, semper, *exprobrant mihi inimici mei*, opprobria in me effutiunt ; *et qui* olim, antea in conditione florenti *me laudabant, adversum me iurant*, me exsecrantur, meo nomine utuntur ad maledicendum ; Hier : exsultantes per me iurabant ; hebr מהוללי proprie stulti mei, seu insanientes, saevientes in me per me maledicunt et exsecrantur ; cf. 43,14. 15. Is. 65,15. Ier. 29, 22 et assumetur ex eis maledictio. Gentibus facti sunt abominationi et maledictioni propter abiectionem et statum sordidum in quo versantur v. 10 *quoniam cinerem tamquam panem manduco*, symbolum exhibetur luctus, tristitiae, summae miseriae, quae apud alios nauseam et fastidium provocat. Tali autem afflictioni mancipati sunt et traditi v. 11 *a facie irae tuae*, propter iustam indignationem et poenam Dei, *quia elevans allisisti me*, magna vi me sublatum in terram abiecisti, ut qui pondus alte extollit, deinde graviter et violenter ad solum affligit et iaculatur (*Gen.*) ; aliis verbis : gravissime me afflixisti ; idque declaratur v. 12 : interitui proximus sum ; *dies mei sicut umbra declinaverunt*, hebr dies mei sicut umbra extenta, longe protracta, sicuti est umbra versus solis occasum ; ergo vita mea, dies mei, ad occasum appropinquant ; *et ego sicut faenum arui*, sicut herba ardore solis percussa. Natio Israel exstinctioni videtur esse proxima ; cf. Is. 41,14

vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel; 42,22 ipse populus vastatus et direptus; in domibus carcerum, facti in rapinam et direptionem; en hac ratione describitur natio Israel in exsilio.

Verum natio Israel, populus Dei, non potest interire: v. 13 nam Deus in aeternum, continuo, in singulis generationibus gubernat, regit, sedet in throno; eius gubernandi ratio est constans; quod promisit, immutabiliter implet; *memoriale tuum*; cf. Ex. 3,15 synonymum est *nomen tuum*, nomen Iahve fidelitatem Dei in exsequendo designat; cf. Lam. 5.19 solium tuum in generationem et generationem. Quare maxima confidentia annuntiatur v. 14 *tu exsurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi eius* est, et id clarius determinatur, *quia venit* מועד *tempus* statutum; cf. 74,3; petitio similis est illi: usquequo tu non misereberis Ierusalem et urbium Iuda quibus iratus es; iste iam septuagesimus annus est (Zach. 1,12); « per haec enim innuit finem poenae septuaginta annorum termino circumscriptae » (*Theod.* sim. *Ag. Calm.*). Prophetae enim simul cum exsilio praedixerunt reditum et instaurationem; tempus autem clarius indicavit Ieremias; apud Isaiam expeditiones Cyri indicia sunt liberationis.

Praeter promissionem Dei aliae quoque enumerantur rationes quibus spes firma bene innititur, v. 15 scil. amor ille et desiderium piorum, quo ipsas ruinas et rudera Sion prosequuntur, et eorum dolor de vastatione et casu regni, *quoniam placuerunt servis tuis lapides eius*: lapides, ruinas urbis sanctae amore et luctu venerantur; cf. Ps. 136, 4-6; Lam. 4,1 quomodo dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum; *et terrae eius miserebuntur*, hebr et de pulvere eius commiseratione afficiuntur. Tali autem amore et dolore spes enascitur fore ut Deus reddatur propitius; quae spes eo magis valebit, quia simul ipsa Dei gloria agitur; v. 16 reditu ex exsilio et instauratione Sionis gentes agnoscent potentiam Domini: *et timebunt gentes nomen tuum*; cf. Is. 59,19; *quia aedificat Dominus Sion*, in qua instauratione apparet, manifestatur *gloria eius*, v. 17, et v. 18 pariter cernitur in ea, quomodo exaudierit preces populi afflicti: *respexit in orationem humilium*, hebr, Hier vacui, seu nudi, eorum qui rebus suis spoliati in exsilium eiecti erant.

Haec Dei magnalia memoriae posterorum tradenda sunt v. 19 *scribantur haec, et populus qui creabitur laudabit Dominum*, ut scil. generationes futurae Deo quoque laudes dicant, opera Dei et impletio promissionum literis consignanda sunt. Quanta Deus scil. praestiterit exsilio soluto, exponitur v. 20 seq. *prospexit de excelso sancto suo, ut audiret gemitus compeditorum*, captivorum; cf. Is. 42,22. Ps. 78,11, *ut solveret filios mortis* (hebr, Hier), qui iam morti esse destinati vide-

bantur. Hos solvit, in libertatem vindicat, *ut annuntient in Sion nomen Domini*; cum hac autem liberatione et instauratione coniungitur, uti apud prophetas (Is. 42,10; 49,6; 55,5; 60,1 etc. Ez. 36,36; Mich. 4,1. Am. 9,12) periodus messiana, conversio gentium ad Deum v. 23 *in conveniendo populos in unum*, cum congregati fuerint populi simul et regna, ut serviant Domino (Hier).

Haec est spes temporis futuri. Verum impraesentiarum adhuc praevalet molesta exsilii conditio, uti ea habetur v. 4-12, ad quam revertitur psalmista v. 24 hebr. Hier: afflixit in via fortitudinem meam; interea, dum decursu temporis obviam pergo liberationi (*in via* ad eam), Deus fortitudinem, robur populi inter gentes valde humiliavit (cf. v. 4-11); adbreviavit dies meos, plane refertur ad v. 12; cui respondet petitio ex hebr: dico, Deus meus, ne tollas me in dimidio dierum meorum; quae petitio fulcitur, uti in v. 13, appellata Dei permanentia aeterna, i.e. eius gubernatione et fidelitate permanente: *in generationem et generationem anni tui*. Textus hebr planus est, cui consentiunt Sym, Hier, targum et satis quoque syr; obscurus est textus LXX, vulg, imo « obscurissimus et quoad verba et quoad sensum » (*Bellarm.*); עִנָּה explicatum est *respondit*; inde enascitur tota obscuritas; sed exsistit alterum עִנָּה, cuius notionem rite expressit Hier. Cuius sit responsio (ad Deum), varie concipiunt: Ierusalem (*Aug.*), pauperem populum (vel ante liberationem, vel post, *Calm.*), prophetam (*Bellarm.*). Sed inutile est immorari in versione aperte falsa. Mirantur aliqui recentiores, hic reverti psalmistam ad priores querelas; quare *Wies.* v. 24 ad v. 6 transferendum esse coniicit.

Petit itaque populus, ut videat periodum illam (v. 19-23); est quasi singulorum oratio, ne quis tollatur, *ne revoces me in dimidio dierum meorum*, morte praematura, antequam fruar promissione tua; efflagitat longius vitae spatium ab eo, cuius *anni sunt in generationem et generationem*. Hanc petitionem psalmista fulcit consideratione potentiae Dei v. 26 quae elucet in creatione coeli et terrae, et immutabilitate aeterna Dei v. 27. 28, qua simul constat de fidelitate eius in adimplendis promissionibus. Coelum et terra olim inceperunt; v. 26 *initio*, hebr olim *terram fundasti, et opera* opus *manuum tuarum sunt*, 8,4 opus digitorum tuorum; sed quae incipiunt esse, etiam mutantur et finem habent v. 27 *ipsi peribunt*; *tu autem permanes*; ut vestimentum veterascent cf. Is. 51,6. 8; Deus autem immutabilis, *idem*; et aeternus. Quare, sicut Is. 51,6.8 salus autem mea in sempiternum erit, ita hic v. 29 *filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum*, posteri eorum coram te consistent; coram Iahve habitare est gratia eius bonisque frui; cf. societatem habere cum Deo (1 Ioan. 1,3.6). Ad Filium (per

quem fecit Deus saecula) applicantur v. 26.27 Hebr 1, 10-12 ; en argumentum efficax pro divinitate Filii, et consequenter Iesu Christi. Ad v. 27 vide Christi verba : coelum et terra transibunt (παρελεύσεται, Matth. 24,35. Marc. 13,31), et praeterit figura huius mundi (1 Cor. 7, 31); coeli magno impetu transient, elementa calore solventur, terra et quae in ipsa sunt opera exurentur ; haec omnia dissolvenda sunt ; novos vero coelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus (2 Petr. 3,10.13. Is. 65,17).

Ps. 102.

1. *Ipsi David.*

Benedic anima meo Domino, | *et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius.* | 2. *Benedic anima meo Domino,* | *et noli oblivisci omnes retributiones eius.* | 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis,* | *qui sanat omnes infirmitates tuas ;* | 4. *qui redimit de interitu vitam tuam,* | *qui coronat te in misericordia et miserationibus,* | 5. *qui replet in bonis desiderium tuum,* | *renovabitur ut aquilae iuventus tua.*

6. *Faciens misericordias Dominus,* | *et iudicium omnibus iniuriam patientibus.* | 7. *Notas fecit vias suas Moysi,* | *filiis Israel voluntates suas.* | 8. *Miserator et misericors Dominus,* | *longanimis et multum misericors,* | 9. *non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur ;* | 10. *non secundum peccata nostra fecit nobis,* | *neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*

11. *Quoniam secundum altitudinem coeli a terra* | *corroboravit misericordiam suam super timentes se ;* | 12. *quantum distat ortus ab occidente,* | *longe fecit a nobis iniquitates nostras ;* | 13. *quomodo miseretur pater filiorum,* | *misertus est Dominus timentibus se ;* | 14. *quoniam ipse cognovit figmentum nostrum,* | *recordatus est quoniam pulvis sumus.* | 15. *Homo sicut faenum dies eius,* | *tamquam flos agri sic efflorebit ;* | 16. *quoniam spiritus pertransibit in illo et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum.*

17. *Misericordia autem Domini ab aeterno* | *et usque in aeternum super timentes eum,* | *et iustitia illius in filios eorum,* | 18. *his qui servant testamentum eius* | *et memores sunt mandatorum ipsius* | *ad faciendum ea.* | 19. *Dominus in coelo paravit sedem suam* | *et regnum ipsius omnibus dominabitur.* | 20. *Benedicite Domino omnes angeli eius,* | *potentes virtute, facientes verbum illius* | *ad audiendam vocem sermonum eius.* | 21. *Benedicite Domino omnes virtutes eius,* | *ministri eius qui facitis voluntatem eius.* | 22. *Benedicite Domino omnia opera eius,* | *in omni loco dominationis eius,* | *benedic anima mea Domino.*

Gratiarum actio est, non unius Davidis tantum, sed totius populi v. 10.12.14. Ad Deum laudandum se ipsos exhortantur David omnisque populus Israel, memores se misericorditer vitae novae esse restitutos (v. 1-5). Uti olim Deus se suis manifestavit, ita nunc se exhibuit misericor-

dem (v. 6-10); longissime a nobis removit peccata, nostri paterno modo miseratus, quia novit summam nostram fragilitatem (v. 11-16). Nostrae infirmitati obviam venit aeterna eius misericordia et fidelitas et dominatio; quare ad eius laudes invitantur angeli et omnes creaturae (v. 17-22). — Bene advertit *Bellarm.*: psalmus est dulcissimus et ad fiduciam in Deum erigendam et collocandam aptissimus.

Excitat regius psaltes semetipsum, animam, omnia interiora, omnem sensum, omnia sua desideria, studia, intimos animi recessus, ad Deo laudes dicandas et ad celebrandum *nomen* Dei, manifestationem eius, id est, v. 2 *retributiones eius*, praestationes eius, beneficia; scil. v. 3 omnem tuam culpam condonans, sanans omnes infirmitates tuas; tamquam talis tibi sese exhibuit Deus, v. 4 redimens de fovea vitam tuam; conditio misera et calamitosa ita apte describitur. Verum omnes miserias abundantissime compensavit: coronans te gratia et miserationibus, cum honore te educens ex fovea et maximam tibi exhibens clementiam; v. 5 *qui replet in bonis desiderium tuum*, hebr satians bono ornamentum tuum (Hier, Aq, quinta); non educti sunt ex miseriis et calamitatibus tamquam miseri, sed egressi sunt ornati, ditati, quasi altera quadam iuventute, novo vigore et flore, decorati: *renovatur, ut aquila inventus tua*; cf. Is. 40,31 mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae; in quem locum adnotat Hier, aquilae senectutem revirescere mutatione pennarum. Nova scil. aetas populi incipit; prior iuventus nationis erat, cum foedus in Sinai iniretur (Ier. 2,2); iam altera iuventus nationi conceditur, novum initium vitae nationalis, nova periodus regni theocratici.

Unde psalmista modum Dei agendi cum populo considerat v. 6 *faciens* iustitias Dominus (hebr, Hier), exhibens populo manifestationes iustitiae, ea quae iusta sunt populo praebens, *et iudicium omnibus* oppressis, illorum scil. causam agit, eis ius tribuit, illos ab oppressoribus vindicat. Has gubernationis suae normas iam v. 7 *notas fecit Moysi vias suas, et filiis Israel* nota fecit facinora sua; ipsi normas Dei cognoverunt ex operibus. Et quaenam sint hae normae, docetur Moyses Ex. 34,6, unde depromitur v. 8 *miserator et misericors Dominus, longanimis* et multae gratiae. Et ut talem expertus est populus Deum. Nam a primordiis foederis initi frequenter suam indignationem contra populum manifestavit Deus complens comminationes; at salvans eos et liberans revera eos edocuit v. 9 *non in perpetuum irascetur*, contendit, *neque in aeternum* retinet iram; populum toties contumacem non abiecit, sed ad novam eos revocavit vitam; itaque v. 10 *non secundum peccata nostra fecit nobis*, non uti meriti eramus nos punivit; et quanta sit eius misericordia, declaratur comparatione v. 11

quanta est elevatio coeli super terram, in tantum magnam facit, *corroborat misericordiam suam super timentes se* ; cf. 35,6 ; 56,11. Iob 11,8 : comparatione innuitur immensitas quaedam, uti dicitur in oratione liturgica : Deus cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus. Hebr explica : sicut elevatio coeli supra terram, potens est gratia eius super timentes eum.

Et quomodo peccata remittantur atque auferantur a peccatoribus, altera comparatione clare enuntiatur v. 12 *quantum distat ortus ab occidente*, tantum *longe fecit a nobis iniquitates* ; cf. Mich. 7,19 proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra ; et talem veniam concedit v. 13 paterna miseratione et benevolentia ; ad quam nobis exhibendam ipse inducitur v. 14 *quoniam ipse cognovit figmentum nostrum*, Hier plasmationem nostram, conditionem seu naturam nostram, fragilem scil. et ad malum pronam (cf. Gen. 8,21) ; *pulvis sumus* (Gen. 3,19) : quae naturae conditio debilis et miserationem provocans v. 15.16 delineatur : *homo* — sicut herba *dies eius ;* cf. 89,5. Is. 40,6. Iob 14,2. *tamquam flos agri sic efflorebit*, brevi vivet, facillime concidit : v. 16 si ventus (*spiritus*) transierit in eum, *non subsistet* ; vento flos decidit ac deiicitur ; et non cognoscit eum ultra locus eius (hebr. Hier., locus, ubi homo habitavit, priorem suum incolam iam non recordatur ; personificatione loci fugax memoria hominis describitur ; legitur eodem modo Iob 7,10 et cf. Iob 8,18 et 20,9.

Contra humanam fragilitatem effertur v. 17 *misericordia*, gratia seu benevolentia, *Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum et iustitia illius*, manifestatio iustae Dei retributionis, *in filios filiorum* ; iustitia in membro parallelo ad חסד gratiam, misericordiam induit notionem salutis, quam Deus secundum promissionem suam ex fidelitate sua, ergo secundum suam iustitiam homini tribuit ; haec gratia, haec salus continget v. 18 *his qui servant* ; cf. Ex. 20,6. Deut. 7,9. Magnitudo et excellentia misericordiae commendatur ex sublimitate Dei, cuius thronus est in coelo et cuius *regnum omnibus dominabitur* v. 19. Quare ad laudes tali Deo pro gratia eius ac maiestate celebrandas omnes creaturae invitantur ; et primo quidem : v. 20 *benedicite*, celebrate Dominum *omnes angeli eius, potentes virtute*, heroes fortes, *facientes verbum illius*, cum audiunt vocem sermonum eius, ad nutum Domini mandatum eius exsequuntur ; v. 21 *benedicite omnes virtutes eius*, omnes exercitus eius (hebr. Hier.) *ministri eius*, exercitus Domini sunt agmina coelestia et terrestria, agmina Israel (1 Reg. 17,45), agmina gentium (Is. 13,3) ; ministri eius sunt venti quoque et ignis (103,4) ; demum v. 22 *benedicite omnia opera eius*, universae creaturae in omni regione dominationis eius i.e.

ubique, quia omnia eius imperio subduntur neque ullum exsistit spatium extra eius dominium. Huic concentui universorum adiungatur quivis : *benedic anima mea Domino* ; reditus fit ad v. 1, maiore quadam emphasi, postquam tot rationes laudum Dei expositae sunt.

Ps. 103.

1. *Ipsi David.*

Benedic anima mea Domino ; | *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.* | *Confessionem et decorem induisti,* | 2. *amictus lumine sicut vestimento* ; | *extendens coelum sicut pellem* ; | 3. *qui tegis aquis superiora eius,* | *qui ponis nubem ascensum tuum,* | *qui ambulas super pennas ventorum* ; | 4. *qui facis angelos tuos spiritus,* | *— et : ministros tuos ignem urentem ;* | 5. *qui fundasti terram super stabilitatem suam,* | *non inclinabitur in saeculum saeculi.* | 6. *Abyssus sicut vestimentum amictus eius,* | *super montes stabunt aquae ;* | 7. *ab increpatione tua fugient ;* | *a voce tonitrui tui formidabunt ;* | 8. *ascendunt montes—et : descendunt campi,* | *in locum quem fundasti eis ;* | 9. *terminum posuisti quem non transgredientur,* | *neque convertentur operire terram.*

10. *Qui emittis fontes in convallibus,* | *inter medium montium pertransibunt—aquae :* | 11. *Potabunt omnes bestiae agri,* | *exspectabunt onagri in siti sua.* | 12. *Super ea volucres coeli habitabunt,* | *de medio petrarum dabunt voces.* | 13. *Rigans montes de superioribus suis,* | *de fructu operum tuorum satiabitur terra ;* | 14. *producens faenum iumentis, et herbam servituti hominum,* | *ut educas panem de terra,* | 15. *et vinum laetificet cor hominis,* | *ut exhilaret faciem—in : oleo,* | *et panis cor hominis confirmet.* | 16. *Saturabuntur ligna campi* | *— et : cedri Libani quas plantavit.* | 17. *Illic passeres nidificabunt ;* | *herodii domus dux est eorum ;* | 18. *montes excelsi cervis,* | *petra refugium herinaceis.*

19. *Fecit lunam in tempora ;* | *sol cognovit occasum suum.* | 20. *Posuisti tenebras et facta est nox,* | *in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae ;* | 21. *— catuli : leonum rugientes, ut rapiant,* | *et quaerant a Deo escam sibi.* | 22. *Ortus est sol et congregati sunt,* | *et in cubilibus suis collocabuntur.* | 23. *Exibit homo ad opus suum,* | *et ad operationem suam usque ad vesperum.*

24. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine,* | *omnia in sapientia fecisti,* | *impleta est terra possessione tua.* | 25. *Hoc mare magnum et spatiosum *manibus :* | *illic reptilia quorum non est numerus ;* | *animalia pusilla cum magnis ;* | 26. *illic naves pertransibunt ;* | *draco iste quem formasti ad illudendum ei.* | 27. *Omnia a te exspectant,* | *ut des illis escam in tempore.* | 28. *Dante te illis colligent ;* | *aperiente te manum tuam—omnia : implebuntur bonitate ;* | 29. *avertente autem te faciem turbabuntur,* | *auferes spiritum eorum et deficient,* | *et in pulverem suum revertentur ;* | 30. *emittes spiritum tuum et creabuntur,* | *et renovabis faciem terrae.*

31. *Sit gloria Domini in saeculum,* | *laetabitur Dominus in operibus suis ;* | 32. *qui respicit terram et—facit eam : tremere,* | *qui tangit montes et fumigant.* | 33. *Cantabo Domino in vita mea,* | *psallam Deo meo quamdiu sum ;* | 34. *iucundum sit ei eloquium meum ;* | *ego vero delectabor in Domino.* | 35. *Deficiant peccatores a terra* | *et iniqui ita ut non sint :* | *Benedic anima mea Domino.*

In hebraeo nullus legitur titulus.

Celebratur laus Dei creatoris et gubernatoris, ita ut series operum creationis Gen. 1 aperte respiciatur. Opus primi ac secundi diei tangitur v. 2-3 ; opus diei tertii v. 5-9, cui adnectitur, quomodo fontibus rivisque terra facta sit aptum habitaculum et multiplicem fertilitatem afferat iumentis et hominibus v. 10-17. Opus diei quarti habetur v. 19, nox commoda bestiis, dies laboribus hominis destinatus v. 20-23. Opus diei quinti et sexti exhibetur laude sapientiae divinae et liberalitate qua creatis rebus specierumque conservationi prospicit v. 24-30. Haec opera Deus ipse laudavit ut valde bona (Gen. 1, 31), cui laudi respondet gloria Dei et iubilatio hominum v. 31-35.

Consideratione operum Dei psalmista impellitur, ut se ipsum excitet ad Deum laudibus celebrandum, et ut in admirationem magnitudinis Dei prorumpat ; cf. 8, 1 ; *confessionem*, gloriam, maiestatem *et decorem induisti*, haec gloria et magnificentia manifestatur et repraesentatur lumine, quo Deus quasi pallio sese circumdat ; relucet in coelo, in firmamento, quod *sicut pellem*, sicut cortinam, velum *extendit*, cf. Is. 40,22 ; 42,5 ; 44,24 ; potentia Dei adumbratur, coelum, firmamentum immensum extendit tam facile quam homo velum, v. 3 in aquis contignans, trabibus firmans, coenacula sua, superiora sua cubicula ; in aquis superioribus (Gen. 1,7 ; Ps. 148,4) sunt collocata fundamenta coelestis domicilii ; *qui tegis*, miratur iam *Ag.* cur subito ponatur hic secunda persona et tamen retineatur : superiora *eius*, hebr omnia v. 3-5 per participia et in tertia persona enuntiantur. Ceterum satis obscurus est textus LXX et vulg : aquis *tegi* superiora coeli? Aquis superioribus proxime iunguntur nubes : *qui ponis nubem ascensum tuum*, currum tuum, et cum nubes vehantur ventis, *qui ambulas super pennas ventorum* ; cf. 17,11 : Dominus in istis regionibus nubium et ventorum suum quoque exercet dominium ; in nubibus et tempestate venit ad iudicia exercenda (cf. Is. 19,1. Dan. 7,13. Matth. 24,30) : hisce quoque utitur tamquam nuntiis et ministris v. 4 *qui facis angelos tuos spiritus*, ventos adhibes tamquam nuntios et *ignem urentem* tamquam *ministros tuos* ; cf. 148,8 ignis, grando, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius ; ita iudicium exercuit igne in Sodomitas (Gen. 19,24), misit ventum ad siccandum mare (Ex. 14,21). Eodem modo etiam textus graecus intelligendus est ; nam uti sine ulla difficultate intelligitur ὁ τιθεὶς νέφη τὴν ἐπίβασιν αὐτοῦ, ita eodem modo construe ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα (zu seinen Boten macht er Winde), neque aliter explicandum est quod legitur in epistola ad Hebraeos 1,7, ubi haec sola acceptio argumento apostoli congruit, qui

ostendere vult inferiorem conditionem Angelorum ratione habita Filii; quare ex ipso *nomine angeli* i. e. nuntii arguit: quod spectat ad Angelos, angelum i. e. nuntium esse in regno Dei non est tanta dignitas in regno Dei ; nam nuntii a Deo etiam adhibentur venti et ignes.

Sicut nubes fiunt et sunt currus, ita venti et ignes (fulgura) fiunt et sunt nuntii et ministri Dei. Hic est sensus planus et ad contextum unice aptus, quem veterum aliqui quoque agnoverunt, sed saepius putaverunt propter Hebr. 1,7 eum esse derelinquendum, uti v. g. *Bellarm.* qui scribit : « nisi obstaret auctoritas apostoli, posset hic locus intelligi de procellis et fulguribus : qui facis ut spiritus procellarum sint angeli tui, nuntii ad homines admonendos, et ut ignis urens, coelestia fulgura sint ministri tui ad homines puniendos ». Explicat dein cum plerisque, uti iam targum habet : qui facit angelos suos veloces sicut ventos, ministros suos fortes ut ignem flammantem (cf. *Gen. Ag. Muis, Corder.*) ; alii explicant de spirituali natura angelorum : qui facis ut spirituales creaturae quae tibi in coelo semper assistunt, fiant angeli, nuntii ; hanc esse acceptionem S. Augustini et S. Gregorii (hom. 34 in evangelia) *Bellarm.* dicit, cui tamen altera facilior et magis literalis videtur, quam *Theod.* et *S. Thomas* (in cap. 1 ad Hebr.) habent : qui facis ut angeli habeant velocitatem spirituum, sint veluti quidam venti spirituales.

E superioribus regionibus descenditur consideratione ad terram « apparent arida » (Gen. 1,9) v. 5 *qui fundasti terram* super basim suam (hebr. Hier) cf. Iob 38,6, et ita quidem ut non vacillet in perpetuum, *non inclinabitur* ; sed quando bases terrae positae sunt, terra adhuc obtecta erat aquis v. 6 *abyssus* תהום (Gen. 1,2) *sicut vestimentum amictus eius*, terrae scil. ; verte : mare ut vestimentum operuit eam (terram) ; *super montes stabant aquae*, describitur magis conditio terrae aquis obtectae ; v. 7 *ab increpatione tua*, a voce Domini Gen. 1,9 : congregentur aquae ; haec est vox tonitrui Domini, cuius effectus optime ad oculos exhibetur v. 8 *ascendunt montes*, ex aquis emergunt, *et descendunt campi* ; aquis autem Deus v. 9 *terminum posuisti* ; cf. Iob 38,8-11. Prov. 8,29 legem ponebat aquis ne transirent fines suos. Cum sapienti providentia aquas distribuit v. 10 *qui emittis fontes in convallibus* ; inter montes transeunt, fluunt ; et hi fontes praebent potum (hebr) bestiis agri, et frangunt onagri sitim suam (hebr ; prope aquas volucres quoque commorantur v. 12 *super ea* (עליהם fontes, seu rivos ; super onagros bibentes? ita placuit *Baethgen volucres coeli habitant*, de medio ramorum (hebr, de medio nemorum Hier), e medio frondium *dant voces*. Sapienti providentia Deus fertilitati montium et camporum prospexit v. 13 *rigans*, qui rigas cf. v. 10, irrigat Deus *montes de superioribus suis*, de suis coenaculis cf. v. 3, de aquis superioribus, de nu-

bibus; *de fructu operum tuorum* de proventu operum Dei, de pluviis nubium, de imbribus, rore nocturno, calore solis, *satiatur terra*, redditur fertilis, satiata imbribus.

Quid Deus ex terra satiata producat, exponitur v. 14 *producens* gramen *iumentis* et herbam ad servitium, utilitatem hominum, *ut educas panem de terra et vinum* quod *laetificet cor hominis*, porro dependet eodem modo a *producens*, seu faciens germinare : ut faciat vultum splendere oleo ; et panem (ut educas), *qui cor hominis* confirmet; frumentum, vinum, oleum (cf. 22,5. Deut. 12,17) praecipui sunt fructus terrae Israel. Imbribus quoque indigent arbores v. 16 ex terra satiata (v. 13) *saturabuntur ligna*, arbores, *campi et cedri Libani*, *quas plantavit* Deus scil. ; nam in hebr saturantur arbores Iahve (Hier, ita ceteri interpretes, uti *Eus. Theod.* testantur ; pariter syr, targum) ; 17 *illic* volucres nidificant, ciconia — cupressae domus eius (hebr) ; Hier vertit : ibi aves nidificabunt, milvo abies domus eius (uti Sym) ; LXX vulg *herodii domus dux est eorum*, ἡγεῖται αὐτῶν, herodius index est viae, ducit aves ad illum locum ; ἐρώδιος, latine ardea, vel quia altius volat, altius nidificat ? ut alii censent (cf. *Ag.*). Notat *Ag.* LXX pro beroschim legisse be roscham (in capite eorum) ; v. 18 *montes excelsi cervis* sunt refugium, hebr ibicibus ; *petra refugium herinaceis*, sed שָׁפָן explicatur Lev. 11,5 et Deut. 14,7 choerogryllus et Prov. 30,26 item graece (vulg lepusculus) ; hoc nostro loco fertur lectio duplex χειρογρυλλίοις (B, Swete), λαγωοῖς (ℵ^{c} A T) ; recentiores vertunt Klippdachs. De istis nominibus vide *M. Hagen*, Lexicon biblicum I 878 sq. II 494. 511 sq.

Ex opere diei quarti effertur luminare minus et maius v. 19 *fecit lunam* ad festivitates determinandas, neomenias ; nam a luna signum diei festi (Eccli. 43,7) ; cf. Gen. 1,14 ; commemorat occasum solis et ortum quia noctem et diem et utriusque utilitatem pro bestiis et hominibus aliquatenus designare vult v. 20-23 ; v. 21 *catuli leonum* rugientes ad praedam (hebr, Hier) et ad quaerendam a Deo escam suam ; cf. Iob 38,41 pulli corvorum clamant ad Deum, et Ioel 1,20 sed et bestiae agri suspexerunt ad te ; nam Deus est, qui dat escam omni carni Ps. 135,25 et 146,9 qui dat iumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum ; ultima et altissima causa est Deus ; unde qui postulant, merito dicuntur postulare a Deo, vel ut S. Thomas notat : qui aliquod bonum appetit, intendit aliquid a Deo inquirere qui est auctor bonorum omnium (ad Iob 38,41). Orto autem sole ferae recedent et in speluncis suis cubabunt (Hier).

Merito prorumpit in exclamationem admirationis psalmista v. 24 laudans operum Dei multitudinem et sapientiam in iis exhibitam : quam multa sunt opera tua (hebr, Hier : *impleta est terra* κτίσεώς σου tua

creatura (LXX, id quod congruit notioni קנה cf. Gen. 14,19. 22. Deut. 32,6). Terram impleri creaturis Dei praecipue ostenditur ipso loquendi modo in opere quinti diei (Gen. 1,20. 21) et hic : *reptilia quorum non est numerus*. Cum admiratione quasi digito ostendit *hoc*, ibi est, *mare magnum et spatiosum manibus*, lateribus, in longum et latum maxime patens, LXX θάλασσα ἡ μεγάλη καὶ εὐρύχωρος, vetus quoque latina non habet *manibus*, sed solum *spatiosum* (ita Hilarius, August. Ambr. Psalterium rom. cf. Sabatier ad h.l.). Ex animalibus magnis cum admiratione nominatur *draco iste*, leviathan, quem formasti ἐμπαίζειν αὐτῷ, hebr explica : ad ludendum in eo, in mari ; eodem modo etiam *Theod.* textum graecum explicat : τὸ δὲ ἐμπαίζειν αὐτῷ, ἀντὶ τοῦ αὐτῇ τῇ θαλάσσῃ, etiam Aq, Sym praebent αὐτῇ (*Ag.*), Hier: ut inluderet ei, sensu eodem, ut in Commentariolis scribit: ut inludat mari. Leviathan hic ponitur pro magnis piscibus, τὰ μεγάλα παρεδήλωσε κήτη, ait *Theod.*; intelligit *Baethgen* ex Iob 40, 20-27 crocodilum et explicat : homo utique non potest ludere cum crocodilo, uti Iob dicit ; at Iahve potest ludere cum eo, coram eo etiam ferocissimae bestiae cicures sunt. Quae acceptio minus placet, cum sapiat fabulas rabbinicas Deum post prandium ludere cum leviathan (cf. *Ag.*).

Animalibus creatis Deus escas dedit, ut haberent ad vescendum Gen. 1,30 ; unde hic quoque v. 27.28 *dante te colligent*, si das, illa colligunt ; v. 29 *avertente te faciem*, si abscondis vultum tuum, si iam non large et liberaliter illis tribuis, si retrahis tua beneficia quasi indignatus de iis, *turbabuntur*, terrebuntur, inopia laborant ; *auferes spiritum eorum*, si autem retrahis spiritum eorum, tum desinunt *et in pulverem suum revertentur* ; cf. Gen. 1,24 producat terra animam viventem ; cf. Gen. 2,19 ; 3,19. Singula quidem intereunt ; at v. 30 *emittes spiritum tuum et creabuntur*, novae generationes oriuntur, *et renovabis faciem terrae* ; orbis per individuorum successionem renovatur, renovatur facies terrae, cum vere omnia revirescunt et terra novam faciem, quasi iuventutis induit (*Gen.*) ; monet *Ag.* de illo : generatio praeterit, generatio advenit. Per accommodationem haec facile transferuntur ad supernaturalia, ad gratiam Spiritus sancti, ad resurrectionem mortuorum.

Et vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona (Gen. 1,31) ; unde explicatis admirandis operibus Dei (in opere sex dierum) concludit psalmista petitione, ut sanctificetur nomen Domini (*Bellarm.*) v. 31 *sit gloria Domini in saecula*, semper laudetur Dominus ; *laetetur*, optat, ut Deus in suis creaturis habeat semper quo laetetur, sicut laetatus est opere creationis finito. Sint itaque res creatae semper tales, quibus laetetur Dominus ! Verum vae, si quando displicent Deo ; irrep-

sisse malum in terram v. 35 nequit ignorari et mentione facta pristinae bonitatis recordatio amissionis mentem subit. Quare Deum pingit terribilem (*Calm.*) v. 32 roboris est infiniti; intuitu indignantis contremiscit terra, solo tactu consumit montes et in fumum auramque convertit (Ag.). Psalmista autem ore et instrumentis musicis gloriam Dei celebrare sibi proponit v. 33 *cantabo Domino* et petit, ut *eloquium* suum v. 34, seu pia de operibus Dei consideratio Deo sit grata et accepta; *ego vero delectabor in Domino*; tunc utique medidatio de Deo erit placita, si delectamur in Domino. Quae delectatio ut habeatur plena, ex animo et magno desiderio optandum est, ut auferatur unicum malum, Deo inimicum : peccatum v. 35 *deficiant peccatores a terra*; optat ut nullus posthac peccator exsistat (*Ag.*); saltem tu, anima mea, *benedic Domino*, si id ab omnibus fieri non poterit. In hebr ponitur in fine Alleluia, quod verbum LXX et vulg ponitur initio psalmi sequentis.

Ps. 104.

Alleluia.

Recolitur in hoc psalmo historia populi Dei a tempore patriarcharum usque ad occupationem terrae promissae. Praemittitur v. 1-6 prooemium quo admonentur, ut opera Dei celebrent, memores mirabilium eius. In ipsa enarratione praedicatur Deus qui foedus suum fideliter servavit. Quae hic leguntur v. 1-15, reperiuntur quoque 1 Par. 16, 8-22 tamquam pars carminis quod in translatione arcae cantatum est.

1. *Confitemini Domino — et : invocate nomen eius,* | *annuntiate inter gentes opera eius.* | 2. *Cantate ei et psallite ei ;* | *narrate omnia mirabilia eius.* | 3. *Laudamini in nomine sancto eius,* | *laetetur cor quaerentium Dominum.* | 4. *Quaerite Dominum et confirmamini,* | *quaerite faciem eius semper.* | 5. *Mementote mirabilium eius quae fecit,* | *prodigia eius et iudicia oris eius.* | 6. *Semen Abraham, servi eius,* | *filii Iacob electi eius.*

Confitemini, i.e. laudate Dominum, cuius laudis magna pars et exhibitio est : *invocate*, adorate eum, colite eum secundum dignitatem nominis eius; alia laudis pars est : praedicare palam opera eius, *inter gentes*, vos qui habitatis circumdati a variis gentibus; in medio nationum *annuntiate*; legitur idem versus Is. 12,4; si gentes inania sua idola laudant (uti Mesa, uti Assyrii in inscriptionibus), Israel pari-

ter proclamet magnalia Iahve! proclamet v. 2 canticis, instrumentis musicis, eloquiis; v. 3 *laudamini* i.e. gloriamini, sibi gratulentur et maximae laudi sibi reputent quod sint et vocentur populus Iahve; et cum hac oris gloriatione coniungatur cordis laetitia, quae laetitia non deest iis qui sincere et diligenter Deum quaerunt. Ad hoc autem opus est v. 4 דרשו ut interrogent, explorent Iahve et eius potentiam (hebr) seu virtutem (Hier); ut sedulo considerent quomodo Iahve se ipsum et potentiam suam manifestaverit, aliis verbis, ut studeant intime cognoscere Iahve eiusque potentiam. Talis autem inquisitio et cognitio tunc aderit v. 5 si diligenter memores sint *mirabilium eius, prodigiorum et iudiciorum oris eius*, eloquiorum, decretorum, sententiarum. Et ad quos haec spectent et quos quam maxime deceat haec perpendere et praestare, declaratur v. 6 posteri sunt Abraham, qui erat fidelis servus Domini; *filii sunt Iacob*; filii autem indolem patris in se exprimere debent; qualis sit haec indoles, docetur Os. 12,4; et ipsi sunt *electi* Dei; LXX in priore membro ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ, qua lectione habetur perfectus parallelismus et quattuor titulis admonentur, ut quae dicta sunt praestent.

7. *Ipse Dominus Deus noster,* | *in universa terra iudicia eius.* | 8. *Memor fuit in saeculum testamenti sui,* | *verbi quod mandavit in mille generationes;* | 9. *quod disposuit ad Abraham,* | *et iuramenti sui ad Isaac;* | 10. *et statuit illud Iacob in praeceptum,* | *et Israel in testamentum aeternum;* | 11. *dicens: tibi dabo terram Chanaan,* | *funiculum hereditatis vestrae.* | 12. *Cum essent numero brevi,* | *paucissimi et incolae eius,* | 13. *et pertransierunt de gente in gentem,* | — *et: de regno ad populum alterum.* | 14. *Non reliquit hominem nocere eis;* | *et corripuit pro eis reges.* | 15. *Nolite tangere christos meos,* | *et — in: prophetis meis nolite malignari.*

In v. 7 Iahve ut Deus proprius Israel nominatur, cuius tamen *iudicia*, ergo dominatio, potestas, extendatur in universam terram. Statim praedicatur in v. 8 eius fidelitas in foedere servando, quod foedus est verbum, promissum, quod *mandavit* pro generationibus mille; cf. Deut. 7,9 Deus custodiens pactum in mille generationes, i.e. perpetuo; est expressio synonyma ad *in saeculum*; cf. Ex. 20,5. Deut. 5,9; istud foedus *disposuit ad Abraham*, Gen. 15.17; memor quoque est *iuramenti ad Isaac*, Gen. 26,3, et iuravit Deus ad Abraham Gen. 22, 16. Et idem iuramentum, seu promissio, tamquam norma et statutum firmatum est pro Iacob, Gen. 28, 13-15 et 35, 9-12. Verba promissionis v. 11 *tibi dabo*, cf. Gen. 13,15; 15,18; 17,8; 26,3, etc.; et datur Chanaan ut portio, pars attributa *hereditatis vestrae*; cf. 77,55. Patriarchae erant cum servis pauci numero, erant *incolae*, hospites in terra

peregrinationis, et migrabant *de gente in gentem*, Abram Gen. 12,1 de Haran, 12,10 in Aegyptum, revertitur 13,1 ; peregrinatur in Geraris apud Philisthaeos 20,1 et 26,1 Isaac ; Iacob migravit in Mesopotamiam, dein per varios tractus Palaestinae. In istis itineribus v. 14 non permisit Deus, ut quis iis crearet molestiam, et si qui eis nocere vellent, a Deo puniti sunt ; vide Gen. 12,17 ; 20,3. Deus eos protexit : *nolite tangere christos meos*, qui mihi speciali ratione sacri sunt et consecrati, qui itaque tuti esse debent ab laesione, violatione ; vetat eos affligere ; vocantur prophetae Dei, quibus Deus loquitur et revelationes communicat ; sunt igitur interpretes Dei ad suos posteros (cf. Gen. 18,19. Ex. 7, 1.2),

16. *Et vocavit famem super terram,* | — *et : omnè firmamentum panis contrivit.* | 17. *Misit ante eos virum ;* | *in servum venumdatus est Ioseph ;* | 18. *humiliaverunt in compedibus pedes eius ;* | *ferrum pertransiit animam eius ;* | 19. *donec veniret verbum eius,* | *eloquium Domini inflammavit eum.* | 20. *Misit rex et solvit eum,* | *princeps populorum, et dimisit eum.* | 21. *Constituit eum dominum domus suae,* | *et principem omnis possessionis suae ;* | 22. *ut erudiret principes eius sicut semetipsum,* | *et senes eius prudentiam doceret.* | 23. *Et intravit Israel — in : Aegyptum,* | *et Iacob accola fuit in terra Cham.*

Plagas et calamitates vocat Deus, vel mittit (Am. 5,8 ; 7,4 ; 9,6 ; 4 Reg. 8,1) ; cum itaque vocaret famem super terram, omnem virgam panis contrivit (Hier) Lev. 26,26 baculum panis confringam, similiter Is. 3,1 fulcrum (robur) panis ; nam panis cor hominis confirmat (103, 15). Caritas annonae etiam in Palaestina saepius est orta Gen. 12,10 ; 26,1 ; hic agitur de illa Gen. 42,2. Familiae Iacob ut provideretur, *misit ante eos virum*, eodem modo loquitur Ioseph ad fratres Gen. 45,5.7 ; *in servum venumdatus* a fratribus (Gen. 37,28 ; 45,5 ; 50,20) et a Madianitis Gen. 37,36 ; 39,1 ; v. 18 afflixerunt in compedes pedes eius, in ferrum venit anima eius (hebr. Hier) ; anima eius i.e. ipse ferro conclusus est ; sed compedes ferrum potius dici videntur licentia poetica pro carcere ; nam in carcere tradidit princeps carceris universos vinctos sub manu Ioseph Gen. 39,22.23 ; 40,4 ; et erat Ioseph in carcere, *donec veniret verbum suum*, explicatio somniorum eventu comprobata fiebat occasio, ut educeretur ex ergastulo Gen. 41,12-14 ; *eloquium Domini* explicatio somniorum ei data erat a Domino, erat locutio propterea, quia a Domino probatus est et ut vir Dei ostensus ; bene vertit Hier : eloquium Domini probavit eum. Ad v. 20 sq. vide Gen. 41,14 ; *rex, princeps populorum*, habetur parallelismus synonymus ; v. 21 *constituit eum* Gen. 41,40 seq. 45,8 ; et dedit ei summam potestatem v. 22 ad vinciendos principes eius secundum suam volun-

tatem, pro lubitu suo, et ad senes castigandos ut saperent. Hic est sensus ex hebr, qui utique in LXX et vulg non est clare redditus. Per Ioseph familia Iacob in Aegyptum migravit, ibique in terra Gessen, ut advenae, habitabant Gen. 46.47, 6.11 ; *in terra Cham*, v. 27 et 77, 51; Gen. 10,6 filii Cham : Chus, Mesraim.

24. *Et auxit populum suum vehementer,* | *et firmavit eum super inimicos eius.* | 25. *Convertit cor eorum ut odirent populum eius,* | *et dolum facerent in servos eius.* | 26. *Misit Moysen servum tuum,* | *Aaron, quem elegit ipsum;* | 27. *posuit in eis verba signorum suorum,* | *et prodigiorum in terra Cham.* | 28. *Misit tenebras et obscuravit,* | *et non exacerbavit sermones suos;* | 29. *convertit aquas eorum in sanguinem* | *et occidit pisces eorum.* | 30. *Edidit terra eorum ranas* | *in penetralibus regum ipsorum.* | 31. *Dixit et venit coenomyia* | *— et : ciniphes in omnibus finibus eorum.* | 32. *Posuit pluvias eorum grandinem,* | *ignem comburentem in terra ipsorum;* | 33. *et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum,* | *et contrivit lignum finium eorum;* | 34. *dixit et venit locusta,* | *et bruchus, cuius non erat numerus;* | 35. *et comedit omne faenum in terra eorum,* | *et comedit — omnem : fructum terrae eorum.* | 36. *Et percussit omne primogenitum in terra eorum,* | *primitias omnis laboris eorum.* | 37. *Et eduxit eos cum argento et auro;* | *et non erat in tribubus eorum infirmus.* | 38. *Laetata est Aegyptus in profectione eorum,* | *quia incubuit timor eorum super eos.*

Deus crescere fecit v. 24 populum ; cf. Ex. 1,7.9 « fortior nobis est » : Ex. 1,20 crevit populus et confortatus est nimis ; v. 25 *convertit cor eorum*, odium Aegyptiorum in Israelitas (Ex. 1,13) adscribitur Deo auctori, quatenus populum suum multiplicando illis occasionem odii excitandi et ansam invidiae dedit neque malevolentiam illam impedivit ; ita *Aug.* : hoc beneficio (populo collato) malos ad invidentiam convertit. Ex odio ad afflictionem Ex. 1,13 sqq. progressi sunt. Hebr v. 27 posuerunt in eis, i. e. Moyses et Aaron fecerunt signa inter Aegyptios ; verum melius LXX, Aq, Sym, syr, Hier, vulg *posuit*, Deus, sicut Ex. 10,1 Deus dicit : faciam signa mea, et in subsequentibus *misit*, *convertit*, Deus auctor miraculorum ea efficere dicitur ; *verba signorum*, saepius explicant : signa a Deo praecepta ; id quod solum sensum habet, si legis cum hebr posuerunt ; vel : res, facta quae erant signa : fortasse *verba* signorum, quia signa semper antea verbis annuntiabantur. Aliqua prodigia enumerantur ; v. 28 primo commemorantur *tenebrae*, Ex. 10,21, inter plagas aegyptiacas nona ; legitur hebr : et non restiterunt verbis eius, id quod neque de Aegyptiis neque apte de Moyse et Aaron dici potest (similiter legunt Aq, Sym, Theod, quinta, targum) ; negationem omittunt LXX, syr, sexta : et restiterunt verbis eius, verbis Dei per Moysen iis indicatis. Unde ut sensus rectus habeatur oportet vel delere in hebr negationem, vel pro מרו scribere

שמרו et non obedierunt verbis eius. Singularis est lectio vulg *non exacerbavit* (singularem habet ℵ*) *sermones suos*, id quod *Bellarm.* de Moyse vel Aarone dici vult : non erat inobediens; aliter *Hoberg* : Deus mandata sua non acerbe, sed per patientiam repetiit; ceterum iam *Aug.* monet legi exacerbaverunt in pluribus; cum negatione « vix duos codices potuimus reperire »; similiter exacerbaverunt Cassiod. psalt. rom. mozarab. mediol. etc. (cf. Sabatier ad h. l.).

Dein mentio fit v. 29 plagae primae, Ex. 7,17-20; Ps. 77,44; additur : *et occidit pisces eorum*, Ex. 7,21; aqua ita erat corrupta ut Aegyptii bibere non possent; cf. Ex. 7,24. Commemoratur plaga secunda ranarum v. 30, Ex. 8,6; v. 31 plaga quarta, *coenomyia*, κυνόμυια, Ex. 8,17 hebr, vulg Ex. 8,21 omne genus muscarum; dein plaga tertia *sciniphes* Ex. 8,16 (cf. *M. Hagen*, Lexicon biblicum s. vv. Musca, Sciniphes); in v. 32 plaga septima, grando et ignis mista ferebantur; Dominus dedit tonitrua et grandinem ac discurrentia fulgura super terram, Ex. 9, 23.24. Sap. 16,16; v. 33 *et percussit*, scil. Dominus; uti in v. 32.34.36 et 77,47; v. 34.35 plaga octava locustarum, Ex. 10,12-15; Ps. 77,46; et demum v. 36 decima plaga, Ex. 11,5; 12,29; *primitias omnis laboris eorum*, 77,51 omnis roboris eorum (virilis roboris ad gignendum); Hier primitias universi partus eorum; ita Gen. 49,3 hebr dicitur Ruben principium roboris Iacob patris. — Dixerat Deus : et cum egrediemini, non exibitis vacui (Ex. 3,21); reddidit enim Deus iustis mercedem laborum suorum (Sap. 10, 17) v. 37 *cum argento et auro*, Ex. 3,22; 11,2; 12,35.36; *et non erat in tribubus eorum* corruens, labens i. e. qui non posset incedere firmo vestigio. Et Aegyptii « urgebant populum de terra exire velociter, dicentes : omnes morimur » Ex. 12,33.

39. *Expandit nubem in protectionem — eorum;* | *et ignem ut luceret — eis per :* | *noctem.* | 40. *Petierunt et venit coturnix* | *et pane coeli saturavit eos;* | 41. *dirupit petram et fluxerunt aquae,* | *abierunt in sicco flumina.* | 42. *Quoniam memor fuit verbi sancti sui,* | *— quod habuit : ad Abraham puerum suum;* | 43. *et eduxit populum suum in exsultatione* | *— et : electos suos in laetitia.* | 44. *Et dedit illis regiones gentium,* | *et labores populorum possederunt,* | 45. *ut custodiant iustificationes eius,* | *et legem eius requirant.*

Ex migratione efferuntur prodigia tria : columna nubis et ignis, Ex. 13,21; 14,19; 40,36. Num. 9,15; 10,11; 14,14; ita eos duxit; pavit eos carnibus et manna v. 40; Ex. 16,13-15. Num. 11,7-9.31.32; manna vocatur *panis coeli*, descendit enim nocte cum rore Num. 11,9 et Ex. 16,4 : ego pluam vobis panem de coelo, panis qui e regione aeris descendere videtur, uti volucres coeli dicuntur quia in regione aeris

volitant. Et tertio praebuit illis aquas ad bibendum ; v. 41, Ex. 17,6. Num. 20,11 ; *fluxerunt aquae*, et hae aquae *abierunt*, defluxerunt in sicca regione ut fluvius. Haec omnia praestitit Deus, non quia populus meruit talia aut iis dignus fuit, sed ob *verbum suum sanctum*, inviolabile, propter pactum cum Abraham servo suo ; redit psalmista ad v. 8 ; cf. Ex. 2,24 ; v. 44 ; cf. 77,54. Deut. 6,10.11 ; *labores populorum*, scil. quae incolae priores laboribus suis sibi comparaverant, opes et bona eorum. Huius autem doni divini finis erat (simul conditio pro stabili possessione) v. 45, Ex. 15,26. Deut. 4,40 ; 20,17, id quod enuntiatum est Gen. 17,9 ; 18,19.

PS. 105.

Alleluia.

Etiam in hoc psalmo recolitur historia populi Israel, sed ita ut cum beneficiis divinis populus confiteatur multiplices infidelitates commissas in Aegypto (v. 7-12), in migratione per desertum (v. 13-33), in terra Chanaan (v. 34-46). Praemittitur invitatio ad Dei misericordiam laudandam, petitio auxilii et confessio peccatorum (v. 1-6) ; concluditur petitione, ut Deus populum dispersum congreget (v. 47).

1. *Confitemini Domino, quoniam bonus,* | *quoniam in saeculum misericordia eius.* | 2. *Quis loquetur potentias Domini,* | *auditas faciet omnes laudes eius?* | 3. *Beati qui custodiunt iudicium,* | *et faciunt iustitiam in omni tempore.* | 4. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui,* | *visita nos in salutari tuo ;* | 5. *ad videndum in bonitate electorum tuorum,* | *ad laetandum in laetitia gentis tuae,* | *ut lauderis cum hereditate tua.* | 6. *Peccavimus cum patribus nostris,* | *iniuste egimus, iniquitatem fecimus.*

Merito dicit *Calm.* hanc formulam v. 1 frequentur usurpari veluti carmine intercalari in sollemnibus pompis et gratiarum actionibus. Eam uti in usu positam commemorat Ieremias (33,11), cantabatur in translatione arcae 1 Par. 16,34, in dedicatione templi 2 Par. 5,13 ; 7, 3.6, in bellica expeditione sub Iosaphat rege 2 Par. 20,21 ; et ponitur in initio Ps. 117.135, saepius. Recolens memoriam temporum rerumque populi cum admiratione cogitur exclamare psaltes v. 2 quis eloqui potest facinora potentissima, annuntiare cuncta praeconia Domini ? Illi quidem *beati* v. 3 qui divinis beneficiis tanta potentia collatis se non indignos ostendant — at v. 6 *nos peccavimus* ; quare flagitatur in

v. 4 hebr, Hier recordare mei, at praeter targum reliqui omnes (LXX, Aq, Sym, Theod, quinta, sexta, syr, vulg) habent *memento nostri* in benevolentia erga populum tuum ; tuam opem et salutem nobis praebe, *ad videndum*, ut videamus cum gaudio statum bonum et felicem electorum tuorum, et laetemur in laetitia populi tui, et ut gloriemur cum hereditate tua. Illud *memento nostri, visita nos* cum laetis suis effectibus tribus (hebr) nobis continget, si animo vere poenitenti ad Deum nos convertimus ; unde v. 6, confitentur peccata ; cf. Iud. 10,10.15. 1 Reg. 7,6 ; 12,10. Esdr. 9,6. Neh. 9,34. Bar. 2,11. Dan. 9,5.

7. *Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiae tuae ; | et irritaverunt ascendentes in mare, | * mare Rubrum : | 8. Et salvavit eos propter nomen suum, | ut notam faceret potentiam suam. | 9. Et increpuit mare Rubrum et exsiccatum est, | et deduxit eos in abyssis sicut in deserto ; | 10. et salvavit eos de manu odientium, | et redemit eos de manu inimici ; | 11. et operuit aqua tribulantes eos ; | unus ex eis non remansit. | 12. Et crediderunt verbis eius, | et laudaverunt laudem eius. | 13. Cito — fecerunt : obliti sunt operum eius ; | et non sustinuerunt consilium eius. | 14. Et concupierunt concupiscentiam in deserto, | et tentaverunt Deum in inaquoso. | 15. Et dedit eis petitionem ipsorum, | et misit saturitatem in animas eorum. | 16. Et irritaverunt Moysen in castris, | Aaron, sanctum Domini. | 17. Aperta est terra et deglutivit Dathan, | et operuit super congregationem Abiron ; | 18. et exarsit ignis in synagoga eorum ; | flamma combussit peccatores.*

De peccatis in Aegypto vide Ez. 20,8 ; *irritaverunt*, rebelles, contumaces facti, cum viderent ad mare algosum Aegyptios appropinquantes Ex. 14,10-12, quo loco simul patet eos iam in Aegypto dixisse Moysi : recede a nobis. At v. 8 *propter nomen suum*, cf. Ez. 20,9.14 et Ex. 14,18 et scient Aegyptii quia ego sum Dominus ; et v. 9, Ex. 14,22 ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris ; v. 10.11, Ex. 14,19-31 ; hac salute facta v. 12 *crediderunt* Domino et Moysi, servo eius Ex. 14,31 *et laudaverunt*, gloriam Domini cantico celebrarunt Ex. 15,1-21. Verum *cito obliti sunt* v. 13 ; *non sustinuerunt*, non exspectabant, qua ratione Dominus esset opem laturus, verum impatientia, mala concupiscentia, murmuratione, quasi desperato Domini auxilio et consilio, in Deum et Moysen peccaverunt ; cf. Num. 11,4-6 ; Ex. 17,2 ; Num. 20,5 ; v. 15 *dedit eis* potum et carnes, *et misit* πλησμονήν LXX, vulg, hebr רזון maciem, tabem, Hier tenuitatem, Num. 11,34 percussit eos plaga magna nimis ; *saturitatem* refer ad Num. 11,20 dabit vobis carnem, donec vertatur in nauseam. In v. 16-18 tangitur rebellio Num. 16 ; *irritaverunt*, melius hebr, Hier zelati sunt, aemulatione, seu zelotypia contra Moysen ducem, et Aaron sacerdotem, *sanctum Domini*, Deo speciali ratione consecratum, a Deo ad sibi appro-

pinquandum electum, exagitati sunt ; Num. 16,31 dirupta est terra ; v. 35 igne consumpti sunt qui ritum sacerdotalem offerendi incensum sibi arrogarunt ; duplex rebellio duplici poena castigata est.

19. — *Et : fecerunt vitulum in Horeb,* | *et adoraverunt sculptile ;* | 20. *et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli* | *comedentis faenum.* | 21. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos,* | *qui fecit magnalia in Aegypto ;* | 22. *mirabilia in terra Cham,* | *terribilia in mari Rubro.* | 23. *Et dixit, ut disperderet eos,* | *si non Moyses, electus eius* | *stetisset in confractione in conspectu eius,* | *ut averteret iram eius, ne disperderet — eos :* | 24. *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem ;* | *non crediderunt verbo eius ;* | 25. *et murmuraverunt in tabernaculis suis ;* | *non exaudierunt vocem Domini.* | 26. *Et elevavit manum suam super eos,* | *ut prosterneret eos in deserto ;* | 27. *et ut deiiceret semen eorum in nationibus,* | *et dispergeret eos in regionibus.* | 28. *Et initiati sunt Beelphegor,* | *et comederunt sacrificia mortuorum ;* | 29. *et irritaverunt eum in adinventionibus suis,* | *et multiplicata est in eis ruina.* | 30. *Et stetit Phinees et placavit,* | *et cessavit quassatio.* | 31. *Et reputatum est ei in iustitiam* | *in generationem et generationem usque in sempiternum.* | 32. *Et irritaverunt — eum : ad aquas contradictionis ;* | *et vexatus est Moyses propter eos ;* | 33. *quia exacerbaverunt spiritum eius,* | *et distinxit in labiis suis.*

In enumeratione delictorum ordo temporis non ubique servatur a psalte. Effert v. 19 *in Horeb*, eo ipso loco quo vocem Domini audierant, legem acceperant, in cuius initio interdictum erat facere imaginem, *fecerunt vitulum*, Ex. 32. Deut. 9,8.12 *et adoraverunt* vitulum conflatilem (uti vulg Ex. 32,4) et Hier hic conflatile ; et v. 20 *gloriam suam*, Deum gloriosum suum, Deum suum summae maiestatis et gloriae ; Ier. 2,11 num mutat gens deos suos ? populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum ; cf. Rom. 1,23 ; et haec fecerunt v. 21.22 post prodigia decem in Aegypto, post miraculum potentiae Dei in mari algoso. Eos voluit Deus perdere v. 23, Ex. 32,10 ; Moyses pro eis intercessit ; se Deo opposuit, *in confractione* cf. Ez. 13,5 et 22,20 ; coram Deo, Deut. 9,25-29. Aliam rebellionem commiserunt, cum explorata terra nollent ad eam occupandam procedere ; Num. 13.14 ; v. 24 despexerunt *terram desiderabilem* (Hier) ; vide Ier. 3,19. Zach. 7,14, v. 25, Deut. 1,27 ; v. 26 manu sublata iuravit (*Ag. Gen.*), Num. 14, 28 vivo ego, ait Dominus, in solitudine hac iacebunt cadavera vestra. Sequitur in v. 27 comminatio pro posteris, vide Ez. 20,23 ; *ut deiiceret*, ut eos prosterneret, humiliaret in medio gentium, *et dispergeret* ; ita duae comminationes hoc loco enuntiantur : clades et dispersio inter gentes ; quae duae poenae etiam enuntiantur Lev. 26,30.32 et Deut. 28,25 et 36. Cum hisce locis duae poenae clare distinguantur, non opus erit להפיל coniectura mutare secundum Ez. l. c. in להפיץ ut *Baethgen* vult, et tautologiam inferre. Tangitur in v. 28 idololatria Num. 25,3 ;

epulas sacrificales *mortuorum* i. e. idolorum celebrabant ; *ruina* v. 29, Num. 25,4.5.9. occisi sunt viginti quattuor millia hominum.

Phinees v. 30. Num. 25,6-13 « et expiavit scelus filiorum Israel » ; hic erat effectus eius zeli et iudicii quod exercuit ; hebr bene vertit Hier : stetit autem Phinees et diiudicavit i. e. iudicium exercuit ; *cessavit* plaga, Num. 25,11 avertit Phinees iram meam a filiis Israel, ut non ipse delerem eos in zelo meo. Praemium zeli sui tulit Phinees v. 31 ; cf. Gen. 15,6 ; Num. 25,12.13. Eccli. 45,28-30. 1 Mach. 2,54. Demum commemoratur v. 32 murmuratio Num. 20,12.13, et male cessit Moysi propter eos, Deut. 1.37 mihi quoque Dominus iratus est propter vos et 3,26. Num. 20,12 ; 27.12 Moyses ab ingressu in terram prohibitus est. In v. 33 redditur causa peccati populi et Moysis : populus erat rebellis contra spiritum Domini, contra eius voluntatem ; et Moyses effutiebat labiis suis (hebr) seu inconsiderate locutus est, scil. Num. 20,10 et Num. 27,14 et Deut. 32,51. Hebr בטא bene explicat *Gen.* effutiit, temere, inconsiderate est locutus ; cf. Lev. 5,4. Prov. 12, 18. LXX διέστειλεν, vulg *distinxit*, explicat *Theod.* οὐκ ἀναμφιβόλως λόγοις ἐχρήσατο, non citra dubitationem locutus est ; ambiguitate quadam verbis adiuncta saxum percussit ; eodem modo explica quod habet Sym τὴν διαστολὴν ἐν τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ et Aq διέκρινεν, alluditur ad Num. 20,10 : num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere ?

34. *Non disperdiderunt gentes,* | *quas dixit Dominus illis.* | 35. *Et commisti sunt inter gentes* | *et didicerunt opera eorum ;* | 36. *et servierunt sculptilibus eorum,* | *et factum est illis in scandalum ;* | 37. *et immolaverunt filios suos* | *et filias suas daemoniis ;* | 38. *et effuderunt sanguinem innocentem,* | *sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum,* | *quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan,* | *et infecta est terra in sanguinibus,* | 39. *et contaminata est in operibus eorum,* | *et fornicati sunt in adinventionibus suis.* | 40. *Et iratus est furore Dominus in populum suum,* | *et abominatus est hereditatem suam ;* | 41. *et tradidit eos in manus gentium ;* | *et dominati sunt eorum qui oderunt eos.* | 42. *Et tribulaverunt eos inimici eorum,* | *et humiliati sunt sub manibus eorum.* | 43. *Saepe liberavit eos ;* | *ipsi autem exacerbaverunt — eum : in consilio suo ;* | *et humiliati sunt in iniquitatibus suis.* | 44. *Et vidit, cum tribularentur,* | *et audivit orationem eorum ;* | 45. *et memor fuit testamenti sui,* | *et poenituit eum secundum multitudinem misericordiae suae.* | 46. *Et dedit eos in misericordias* | *in conspectu omnium qui ceperant eos.*

47. *Salvos nos fac Domine Deus noster,* | *et congrega nos de nationibus :* | *ut confiteamur nomini sancto tuo,* | *et gloriemur in laude tua.*

48. *Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo et usque in saeculum, et dicet omnis populus : fiat, — fiat :*

Israelitae iussi quidem erant delere nationes idololatras Ex. 23,33. Num. 33,55 ; Deut. 7,1 etc. ; at partim dicitur : non poterant eos delere Ios. 15,63 ; 17,12.16. Iud. 1,19 ; et non interfecerunt eos Ios. 16,10.

Iud. 1,21.27.29.30 etc. ; semel etiam postquam confortatus est Israel fecit eos tributarios et delere noluit. Cum superstitibus autem foedus inire prohibiti erant Ex. 23,32 ; 34,12-16. Deut. 7,2. Nihilominus v. 35 *commisti sunt*, Iud. 3,5-7 ; servierunt idolis v. 36, Iud. 2,17. Is. 2,8. Ier. 2,27. Ez. 8,10 etc. ; *immolaverunt* v. 37, Ier. 7,31. Ez. 20,31. 4 Reg. 16,3 ; 17,17.31 ; 21,6. 2 Par. 33,6 ; שדים daemoniis, ita LXX Hier, vulg ; cf. Deut. 32,17 ; assyr. schedu, deus taurus, daemon. In v. 38 in medio repetitur duobus stichis quod iam v. 37 dictum est ; iunge iis omissis : *et effuderunt sanguinem innocentem, et infecta est terra sanguinibus*, 4 Reg. 21,16 ; 24,4. Is. 59,7. Ier. 19,4 ; 22,17 ; et *contaminata* v. 39, Ier. 2,7 ; 3,9 ; 16,18 ; *fornicati sunt*, Os. 4,2.14. Iud. 8,27.33. 1 Par. 5,25. 2 Par. 21,11. Pro hisce sceleribus *iratus est* v. 40, Iud. 2,14.20 ; 3,8 ; 10,7. 4 Reg. 13,3 ; 17,18 ; v. 41 *tradidit eos*, Iud. 2,14 ; 3,8 ; 4,2 ; 10,7. 1 Reg. 12,9. 4 Reg. 17,20 ; *saepe liberavit eos* ; iudices excitavit, suscitavit salvatores Iud. 3,9 ; at illi contumaces erant in consilio suo (hebr), iterum iterumque defecerunt a Domino ; ideo *humiliati sunt*. Quodsi ad Dominum clamabant v. 44. Deus fidelis eis opem tulit — cuius rei testes sunt libri historici, praesertim liber Iud., historia Samuel, David, Ezechiae. Hanc suam fidelitatem etiam ostendit in captivos et exsules v. 46, id iam efflagitasse scribitur Salomon : dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis 3 Reg. 8,50, et impletum est, « quando immisit Deus in cor Cyri regis et postea Darii et Artaxerxis, ut benigne agerent » (*Eus.*). Verum in ipso exsilio prospere habitabant ; cf. Ier. 29,5-7 ; 24,5-7. Bar. 1,12 ; idque elucet ex historia Tobiae (1,13 sq.), Daniel 13,1 sq.

Populus et psaltes versantur adhuc in exsilio ; unde petunt v. 47, Deut. 30,3 rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit ; cf. 1 Par. 16,35 ; cum fiducia petere possunt ; nam prophetae non solum exsilium praedixerant, verum etiam reditum et instaurationem ; petitionem commendant, *ut confiteamur*, ut laudemus nomen sanctum tuum et ut possimus gloriari quod laudem tuam praedicamus. Si enim Deus eos reducit, gloriam Domini coram gentibus extollere possunt.

Tamquam conditionem reditus et praeparationem ad eum assignaverant iam antea prophetae poenitentiam esse agendam de peccatis, de culpa nationali ; cf. Mich. 7,9. Ier. 3,21-25 ; 31,9. Ez. 16,61-63 ; 20, 43. Hac eadem via incedit psaltes ; praeit populo confessione peccatorum v. 6 ; memoriam rerum gestarum ita proponit, ut sit accusatio populi et annuntiatio misericordiae Domini ; quare apte conformatur, ut et poenitentia et spes excitetur et tandem psalmus desinere possit in petitionem v. 47.

Quod in v. 48 adscribitur, doxologia est eademque subscriptio ab eo qui psalmos in varios distinxit libros; cf. Ps. 40,14; 71,19.20; 88, 53.

Ps. 106.

Alleluia.

1. *Confitemini Domino, quoniam bonus,* | *quoniam in saeculum misericordia eius.*—2. *Dicant qui redempti sunt a Domino,* | *quos redemit de manu inimici* | *et de regionibus congregavit eos,* | 3. *a solis ortu et occasu,* | *ab aquilone et mari.*

4. *Erraverunt in solitudine in inaquoso,* | *viam civitatis habitaculi non invenerunt;* | 5. *esurientes et sitientes,* | *anima eorum in ipsis defecit.* | 6. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur,* | *— et : de necessitatibus eorum eripuit eos;* | 7. *et deduxit eos in viam rectam,* | *ut irent in civitatem habitationis.* | 8. *Confiteantur Domino misericordiae eius,* | *et mirabilia eius filiis hominum;* | 9. *quia satiavit animam inanem,* | *et animam esurientem satiavit bonis.*

10. *Sedentes — in : tenebris et umbra mortis,* | *vinctos — in : mendicitate et ferro,* | 11. *quia exacerbaverunt eloquia Dei,* | *et consilium Altissimi irritaverunt;* | 12. *et humiliatum est in laboribus cor eorum,* | *infirmati sunt, nec fuit qui adiuvaret.* 13. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur,* | *— et : de necessitatibus eorum liberavit eos;* | 14. *et eduxit eos de tenebris et umbra mortis,* | *et vincula eorum disrupit.* | 15. *Confiteantur Domino misericordiae eius,* | *et mirabilia eius filiis hominum;* | 16. *quia contrivit portas aereas,* | *et vectes ferreos confregit.*

17. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum;* | *propter iniustitias enim humiliati sunt;* | 18. *omnem escam abominata est anima eorum* | *et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* | 19. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur,* | *— et : de necessitatibus eorum liberavit eos;* | 20. *misit verbum suum et sanavit eos,* | *et eripuit eos de interitionibus eorum.* | 21. *Confiteantur Domino misericordiae eius,* | *et mirabilia eius filiis hominum;* | 22. *et sacrificent sacrificium laudis* | *et annuntient opera eius in exsultatione.*

23. *Qui descendunt mare in navibus,* | *facientes operationem in aquis multis;* | 24. *ipsi viderunt opera Domini* | *et mirabilia eius in profundo.* | 25. *Dixit et stetit spiritus procellae,* | *et exaltati sunt fluctus eius;* | 26. *ascendunt — usque : ad coelos et descendunt — usque : ad abyssos,* | *anima eorum in malis tabescebat;* | 27. *turbati sunt et moti sunt, sicut ebrius,* | *et omnis sapientia eorum devorata est.* | 28. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur,* | *et de necessitatibus eorum eduxit eos;* | 29. *— et : statuit procellam — eius : in auram,* | *et siluerunt fluctus eius.* | 30. *Et laetati sunt, quia siluerunt,* | *et deduxit eos in portum voluntatis eorum.* | 31. *Confiteantur Domino misericordiae eius,* | *et mirabilia eius filiis hominum;* 32. *et exaltent eum in ecclesia plebis,* | *et in cathedra seniorum laudent eum.*

Reduces ex exsilio laudent Dei misericordiam v. 1-3. Inde psaltes capit occasionem Deum celebrandi adiutorem clamantium ad se; quattuor exemplis eodem modo conformatis id explicat: errantium in deserto v.

4-9, captivorum v. 10-16, aegrotantium v. 17-22, navigantium v. 23-32; et primo quidem exponitur periculum; dein versu intercalari: ad clamorem periclitantium liberavit eos (vv. 6.13.19.28) subiungitur modus liberationis; altero versu intercalari (vv. 8.15.21.31) admonentur ad gratias agendas, additur in prioribus duobus exemplis descriptio beneficii collati, in aliis duobus adiungitur modus agendi gratias seu Deum opitulantem laudandi.

Psalmus videtur arcte adnecti ad praecedentem; quod enim 105,47 efflagitatum est, hic celebratur impletum; *redempti a Domino* (hebr redempti Iahve, Is. 62,12) *de manu inimici*, seu de angustia; congregavit de regionibus; cf. 105, 27.47; *ab aquilone et mari;* eodem modo iungitur septentrio cum mari Is. 49,12; et propterea fortasse hoc loco retinendum erit, quamvis occasus (regio maris) iam nominatus sit et facilis esset coniectura scribendi pro מים regionem meridionalem מימין: a meridie. Quae subiunguntur quattuor species calamitatum, videntur significare in universum, Deum esse adiutorem suorum invocantium se in quavis rerum conditione. Uti iam targum, ita alii quoque quattuor illas calamitates explicare tentarunt de Israelitis vel pressius de exsulibus; quae applicatio tamen magis coacta evadit; alii maluerunt reperire sensum typicum de variis regni Dei, seu Ecclesiae, seu animae periculis. Utique ex notione generali Dei adiutoris, quae hic quattuor exemplis adumbratur, faciles consequuntur applicationes quas hic prosequi non erit necesse.

Primum exemplum est errantium in deserto, in solitudine, qui viam ad civitatem ubi habitaculum seu domicilium invenirent, non reperiebant; iam fame et siti exhausti sunt; ad Dominum clamarunt; en ope Dei directi sunt in viam rectam; unde: laudent, gratias agant Deo pro misericordia, pro mirabilibus quae facit filiis hominum, quia v. 9 indigentibus succurrit. Textus latinus *confiteantur* ita intelligendus erit: laudibus celebrent Dominum beneficia et mirabilia hominibus praestita, per modum alicuius prosopopoeiae (*Gen.*), uti *Theod.* graecum accepit: « hymnum sane gratiarum actionis non misericordia Deo offert, nec etiam mirabilia, sed ii qui tot bona perceperunt ». Postulat Deus remunerationem verborum et ut mirabilia eius enarrent (ita *Chrys.* in catena).

Alterum exemplum petitur e captivis; in versione LXX, vulg ponitur accusativus καθημένους, *vinctos*, quasi hoc membrum adhuc pertineret ad *satiavit*; verum: alii sunt *sedentes in tenebris*, vincti miseria et ferro, *quia* contumaces erant contra Dei mandata et contempserunt consilium Altissimi; sed superbia eorum laboribus, miseriis carceris, fracta est — lapsi sunt, nemo eos iuvit — etiam hi calamitatibus salubri-

ter edocti *clamaverunt*, v. 14 Deus eos solvit e carcere; laudent itaque ipsum, *quia* v. 16 aperuit eorum carcerem; cf. Is. 45,2.

Tertium exemplum est aegrotantium. Ex hebr initium respondet v. 10, sunt stulti, ob viam praevaricationis eorum et ob iniquitates afflicti sunt; LXX vulg *suscepit eos* v. 17 adiuvit eos, liberavit eos *de via iniquitatis*, ne per illam viam ducerentur ad interitum (*Ag.*); nam propter iniquitates afflicti sunt; in tantum auctus est morbus, v. 18 ut omnis cibus eis esset fastidio et iamiam viderentur morti proximi. Etiam hos clamantes ad se exaudivit; v. 20 *misit verbum*, iussu suo eos sanavit (*Ag.*) et salvavit de interitu (Hier). Hi v. 21 offerant sacrificia in gratiarum actionem et enarrent opera Dei cum iubilatione.

Quartum exemplum sumitur ex periculis navigantium, qui negotiationem exercent iter facientes per aquas multas v. 23; isti *viderunt* v. 24 quaenam *opera* et *mirabilia*, exponitur in sequentibus, ut bene *Ag.* notat et idem iam indicavit *Theod.*; v. 25 iussu Dei exoritur procella, hebr dixit et fecit adstare ventum procellae (ex punctatione mass.), sed LXX, Hier ἔστη, surrexit ventus tempestatis et elevavit gurgites eius; in v. 26 et navigantes undis turbulentis modo *ascendunt usque ad coelos*, modo *descendunt* usque ad fundum maris; per hyperbolen tempestas undis in sublime suspensis et mox depressis describitur; similiter poeta latinus: tollimur in coelum curvato gurgite, et idem — subducta ad manes imos descendimus unda. Ipsi navigantes prae metu quasi exanimantur; v. 27 ipsi titubant (iactantur), et nutant *sicut ebrius*; quomodo se salvent, plane impotes sunt; *omnis sapientia eorum*, tota ars humana, quasi undis *devorata est*, periit. In defectu omnis industriae et subsidii humani v. 28 *clamaverunt*, v. 29 statuit turbinem in tranquillitatem (Hier), εἰς γαλήνην Sym, εἰς αὔραν LXX, Aq, Theod; et nautae *laetati sunt* quod fluctus *siluerunt*, quieverunt (Hier) et Deus duxit eos ad portum quem voluerunt (Hier). Pro salute concessa gratias agant v. 31 et Dei laudes et potentiam exaltent in coetu populi, in comitiis publicis, et in consessu seniorum, senatorum, magistratuum.

33. *Posuit flumina in desertum* | *et exitus aquarum in sitim;* | 34. *terram fructiferam in salsuginem* | *a malitia inhabitantium in ea.* | 35. *Posuit desertum in stagna aquarum* | *et terram sine aqua in exitus aquarum;* | 36. *et collocavit illic esurientes* | *et constituerunt civitatem habitationis;* | 37. *et seminaverunt agros et plantaverunt vineas* | *et fecerunt fructum nativitatis.* | 38. *Et benedixit eis et multiplicati sunt nimis* | *et iumenta eorum non minoravit.* | 39. *Et pauci facti sunt et vexati sunt* | *a tribulatione malorum et dolore.* | 40. *Effusa est contemptio super principes.* | *et errare eos fecit in invio et non in via;* | *et adiuvit pauperem de inopia* | *et posuit sicut oves familias.* | 42. *Videbunt recti et laetabuntur* | *et omnis iniquitas*

oppilabit os suum. | *43. Quis sapiens et custodiet haec ? et intelliget misericordias Domini ?*

In quinta hac parte psalmi magis in genere describitur exemplis illustrata divina providentia et gubernatio ratione habita bonorum et malorum. Ad hoc enim fere singula referuntur. Ad hanc providentiam et gubernationem in variis vicissitudinibus exhibitam etiam optime congruunt duo versus finales.

Propter peccata hominum Deus subtrahit fertilitatem terrae v. 33. 34 flumina siccantur ; cf. Is. 50,2 ponam flumina in siccum, et canales, *exitus aquarum* in terram aridam, et *terram fructiferam* in terram salsam, plane sterilem. Ita regio amoenissima quae fuit olim pentapoleos Sodomae aliarumque urbium mutata est in mare salsum et bituminosum. E contra v. 35 repetuntur promissiones iam ab Isaia annuntiatae 35,7 et quae erat arida erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. Piis reddit terram frugiferam, ut ibi seminent et plantent et uberem faciant proventum. Et si quando v. 39 oppressione et tyrannide *pauci facti sunt*, imminuta est eorum prosperitas, *vexati*, prolapsi a tribulatione mala et dolore, tum Deus « effundit contemptum super principes et facit eos errare in invio, ubi non est via » cf. Iob 12, 21. 24 b. Deus eos vindicat ab oppressoribus ; eos iterum v. 41 elevat et familias eorum ponit *sicut oves*, i. e. egrediuntur quasi oves, parvuli eorum (Iob 21, 11).

Hanc providentiam et gubernationem iusti videntes laetantur ; *iniquitas* autem obmutescet, iniqui obstupescent confusi ; cf. Iob 4, 16 erit egeno spes ; iniquitas autem oppilabit os suum. In v. 43 habetur conclusio epiphonetica (*Gen.*) ; *quis sapiens* ? i. e. pauci sunt qui hanc Dei gubernationem in variis rerum vicissitudinibus rite observent et aestiment et in calamitatibus quoque *misericordias Domini* intelligant : cf. Os. 14, 10.

Ps. 107.

Canticum Psalmi ipsi David.

De hoc psalmo sufficiet addere notam *Bellarm.* : « hic psalmus non eget explicatione, constat enim ex parte extrema Ps. 56 et 59. Cur autem hic additus sit ad alios, cum nihil novi contineat, ratio videtur fuisse, ut compleretur numerus 150 psalmorum, nisi forte subsit aliqua ratio magis recondita, quam mihi fateor notam non esse ». Davidi

auctori recte inscribitur, quatenus carmen hoc ex duabus partibus psalmorum davidicorum contextum est.

Prior pars 107, 1-6 effert 56, 8-12 ; altera pars 107, 7-14 effert 59, 6c-14. In priore parte celebratur Dei gratia et fidelitas ; in altera parte efflagitatur impletio oraculi antiqui de terrae possessione et subiectione Moab, Edom, Philisthiim. Ceterum vide Ps. 56.59. In v. 1 alterum *paratum cor meum* obelo seu veru signatur, cum in hebr non legatur.

Ps. 108.

1. *In finem, Psalmus David.*

2. *Deus laudem meam ne tacueris,* | *quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.* | 3. *Locuti sunt adversum me lingua dolosa* | *et sermonibus odii circumdederunt me,* | *et expugnaverunt me gratis.* | 4. *Pro eo ut *me : diligerent, detrahebant mihi ;* | *ego autem orabam.* | 5. *Et posuerunt adversum me mala pro bonis* | *et odium pro dilectione mea.*

6. *Constitue super eum peccatorem,* | *et diabolus stet a dextris eius ;* | 7. *cum iudicatur, exeat condemnatus,* | *et oratio eius fiat in peccatum.* | 8. *Fiant dies eius pauci,* | *— et : episcopatum eius accipiat alter.* | 9. *Fiant filii eius orphani* | *et uxor eius vidua.* | 10. *Nutantes transferantur filii eius et mendicent,* | *et eiiciantur de habitationibus suis.* | 11. *Scrutetur faenerator omnem substantiam eius,* | *et diripiant alieni labores eius.* | 12. *Non sit illi adiutor ;* | *nec sit qui misereatur pupillis eius ;* | 13. *fiant nati eius in interitum,* | *in generatione una deleatur nomen eius.*

14. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini,* | *et peccatum matris eius non deleatur ;* | 15. *fiant contra Dominum semper,* | *et disperéat de terra memoria eorum ;* | 16. *pro eo quod non est recordatus facere misericordiam ;* | 17. *et persecutus est hominem inopem et mendicum,* | *et compunctum corde mortificare.* | 18. *Et dilexit maledictionem et veniet ei,* | *et noluit benedictionem et elongabitur ab eo ;* | *et induit maledictionem sicut vestimentum,* | *et intravit sicut aqua in interiora eius,* | *et sicut oleum in ossibus eius ;* | 19. *fiat ei sicut vestimentum, quo operitur,* | *et sicut zona qua semper praecingitur.* | 20. *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum* | *et qui loquuntur mala adversus animam meam.*

21. *Et tu, Domine, Domine fac mecum propter nomen tuum ; quia suavis est misericordia tua ; libera me,* | 22. *quia egenus et pauper ego sum,* | *et cor meum conturbatum est intra me.* | 23. *Sicut umbra cum declinat ablatus sum,* | *et excussus sum sicut locustae ;* | 24. *genua mea infirmata sunt a ieiunio,* | *et caro mea immutata est propter oleum.* | 25. *Et ego factus sum opprobrium illis ;* | *viderunt me ; — et : moverunt capita sua.* | 26. *Adiuva me Domine Deus meus,* | *salvum me fac secundum misericordiam tuam.* | 27. *Et sciant, quia manus tua haec,* | *— et : tu Domine fecisti eam.* | 28. *Maledicent illi et tu benedices,* | *qui insurgunt in me confundantur,* | *servus autem tuus laetabitur.* | 29. *Induantur qui detrahunt mihi pudore,* | *et operiantur sicut diploide confusione sua.* | 30. *Confitebor Domino nimis in ore meo,* | *et in medio multorum laudabo eum ;* | 31. *quia astitit a dextris pauperis,* | *ut salvam faceret a persequentibus animam meam.*

David opem Dei implorat contra adversarios dolosos, calumniatores, qui pro bono et amore reddunt mala et odium (v. 2-5). Quare contra inimicum et filios eius (v. 6-13), imo propter parentes multiplicem poenam invocat, quam ille ob duritiem et maledictionem apud Deum meruit (v. 14-20). Dein sibi auxilium Dei efflagitat misera sua conditione descripta, quam ut Deus ad inimicorum confusionem auferat precatur actione gratiarum promissa (v. 21-31).

Psalmum, qui ex titulo ad Davidem refertur, plerique pronuntiari censent contra Doeg, ceterosque inimicos, Saulis familiares, vel contra Achitophel, suasorem Absalomis; addunt rationem typicam, qua Iudas proditor, Iudaei, adversarii Messiae propheticis poenis onerentur. Talia vaticinia de Christi passione, Iuda proditore et Iudaeorum furore directe hic proponi alii voluerunt, uti *Eus. Theod. Aug. Euthym.*, in qua sententia *Bellarm.* acquiescit. Bene advertit *Calmet* : « Historicam Psalmi explicationem de Davidis hostibus et criminatoribus prosequemur, sublimiorem de Iuda et Iudaeis Christi inimicis... Eidem Iudae S. Petrus versiculum septimum tribuit : Fiant dies eius pauci et episcopatum eius accipiat alter (Act. 1,20). Post tanti viri auctoritatem quis dubitet, quo Psalmi sensus sit convertendus » ? Cf. *Ag.* : « Potest fieri ut David in hac generali accusatione aliquos proprie notet, a quibus ipse sit laesus. Nam cum ab eiusmodi hominum genere violatus esset David et in eo figuram Christi praetulisset, nil mirum si aliqua de Christo in eius verbis accipiantur, aliqua ad ipsum dicentem proprie pertineant ». Apposite notat *R. Cornely* (Psalmorum Synopses, 1899, p. 77) : « Psalmum messianicum esse ex Act. 1,20 constat, ubi v. 8^{b} allegatur; eodem autem modo messianicus est, quo Ps. 68, cuius verba quaedam S. Lucas vel potius S. Petrus versiculo huius Psalmi praemisit ».

De imprecationibus, quae in hoc Psalmo uti alias quoque in s. litteris leguntur, advertit *Chr. Pesch*, De inspiratione S. Scripturae, 1906, n. 447 : « Attendere oportet statum lyricum. Poeta non considerat privatum aliquem inimicum, sed eos, qui despecta lege divina contra ipsum Dei dominium rebellant et indurati sunt in iniquitate sua. Deus pro fideli legis observantia multa bona promiserat, in pertinaces vero transgressores gravissimas poenas constituerat (Lev. 26). Rogat igitur psalmista, ut Deus insurgat in peccatores et stet promissis suis (Ps. 108, 21.27). Simul haec oratio est prophetica, indicans quid Deus facturus sit. Itaque affectus psalmistae est petitio et praedictio humiliationis futurae inimicorum Dei. Conferri potest Ps. 72, quo eadem res non per modum petitionis, sed per modum considerationis proponitur (Ps. 72, 12.18). Desiderare autem et praedicere humiliationem inimicorum Dei non est inhonestum. Locutiones ad speciem durae Psalmi 108 non sunt aliae, nisi quibus Deus ipse in sancienda lege saepius usus est. Est autem praeterea notandum non omnia honesta esse aeque perfecta, et cum temporibus Veteris Testamenti cognitio religiosa et moralis creverit usque ad Novum Testamentum, posse in Vetere Testamento esse et revera esse,

quae non conveniant excellentori statui religioso et morali a Christo introducto ». Ceterum cf. *S. Thom. Aq.* 2,2, q. 83, a. 8 ad 1 et etiam q. 25, a. 6 ad 3. Insuper bene notare oportet, in vetere foedere potissimum proponi normam retributionis temporalis et ad regnum peccati destruendum peccatoribus corrigendis intentari eiusmodi poenas temporales, egestatem, res adversas, morbos, opprobria, perniciem, mortem immaturam, uti praeter Lev. 26 et Deut. 28 praecipue enuntiatur, proponitur, postulatur in libro Proverbiorum ; cum haec norma spatio vitae terrestris experientia teste non perficiatur, eo ipso indirecte necessario postulatur norma iustae retributionis in altera vita post mortem perficiendae (vide quae notavi in Comment. Prov. p. 3 sq. 7).

Qui offensus est et calumniis oppressus, clamat ad Deum, ne taceat Deus, ne Deus permittat malos manere impunitos ; Deus enim tacere, quiescere censetur, cum opem non ferat, peccatores non puniat. Secundum LXX, vulg petitur, ne Deus iustitiam vel bonam famam petentis sinat obrui, sed ut eam palam faciat coram hominibus ; sed ex hebr, Aq, Sym, Hier, syr, targum : Deus laudis meae, ne taceas, vel Deus laudabilis mihi (Hier), Deus, laus mea, ne taceas (targum), Deus in cuius laude occupor, ne sinas me proscindi calumniis ; *os apertum* vehementiam et frequentiam designat ; eloquia dolosa, sermones ex odio nati, mendacia proferuntur quasi machinae bellicae ad deiiciendum innoxium, *gratis*, sine causa innocentem impugnant. Et quidem v. 4 pro mea dilectione (pro eo quod eos diligebam, Hier) mihi adversantur, LXX ἀντὶ τοῦ ἀγαπᾶν με, etiam Graeci (*Eus. Chrys. Theod. Hesychius* in catena) explicant, ut vulg, *pro eo ut me diligerent*, quamvis graecum omnino possit intelligi sicut hebr (*Ag.*) — inimicitiis ipse opponit orationem : ego autem oratio (hebr) cf. 120,7 ego autem pax (vulg pacificus), quasi dicat : ego totus sum in oratione : ego ad Deum confugio eius opem continuo implorans (*Chrys.*). Pro bonis mihi retribuunt mala v. 5, pro dilectione quam exhibui illis me odio habent.

Primum quod eiusmodi obduratis peccatoribus continget in poenam, ut exsurgat contra eum accusator in iudicio forensi v. 6 *constitue*, manda contra eum impium et *diabolus*, adversarius, accusator *stet a dextris eius*, uti stat v. g. Zach. 3,1 ; dein v. 7 causa cadat ; *exeat*, declaretur reus ; et si in angustia ad Deum preces dirigit, *oratio fiat in peccatum*, non magis audiatur oratio eius quam si esset peccatum (*Gen.*), cum iudicem oraverit, illi magis odiosus fiat (*Calm.*) ; at hebr תפלה est oratio ad Deum ; optime *Ag.* recurrit ad notionem primitivam חטא, oratio eius ne id assequatur quod expetit, sit frustra, scopum non attingat. Alia poenae species est v. 8 mors immatura, et amissio dignitatis, *episcopatum eius*, τὴν ἐπισκοπὴν LXX, explicat *Chrys.*

τὴν ἐκείνου τιμήν, honorem eius alius accipiat ; munus quod gessit non alicui propinquo relinquatur, neve in familia maneat, sed ad alium transeat (*Ag.*) ; inde Petrus ansam capit monendi eligendum esse alium in sortem ministerii, ex quo excidisset Iudas proditor (Act. 1, 20) ; ad notionem muneris, negotii, ministerii etiam פקדה congruit ; cf. 1 Chr. 26,30. Num. 3,36 ; 4,16. Porro poena non sistat apud ipsum, verum extendatur in eius familiam v. 9 ipse moriatur, unde filii iam sunt orphani, uxor vidua ; ipsa conditio orphanorum, viduae iam notionem suggerit miseriae, quia toties orphani et viduae miserationi aliorum commendantur. Porro filii eius vagi sint, *mendicent*, expellantur ex ruinis suis v. 10, ne in ruinosis quidem sinantur habitare ; ex LXX ἐκβληθήτωσαν emendetur textus hebr. Possessiones plane pereant v. 11, *labores eius* ea quae laborando acquisivit rapiant alieni ; nemo misereatur pupillis eius ; tota eius posteritas deleatur, et ita ut iam in altera generatione nomen eius exstinguatur — quae nominis excisio magna reputatur poena ; lex leviratus data erat, ne cuius nomen ob sterilitatem pereat ex populo Dei.

Imo ei quoque imputetur et in eo puniatur iniquitas maiorum, patrum ; matris peccatum ne deleatur, scil. ut puniatur continuo in filio (cf. Ex. 20.5) ; haec iniquitas et hoc peccatum v. 15 *fiant*, seu sint coram Domino semper et Deus disperdat, deleat de terra memoriam eorum ; huius igitur stirpis seu familiae nullum vestigium, nulla maneat memoria. Et cui talia infligentur ? quis merito in illa incurret supplicia ? v. 16 vir sine misericordia, qui prosequitur miserum et pauperem, et afflictum corde, ut eum occidat ; v. 17 qui *dilexit maledictionem*, ei quoque obveniat ; dicitur dilexisse maledictionem, quatenus ea scelera, quibus adiuncta est et debetur maledictio, vitare neglexit ; et eodem modo noluit benedictionem, quia ea sequi noluit quorum praemium est benedictio (*Ag.*) ; qui *noluit benedictionem*, ab eo etiam recedat ; eodem modo concipe v. 18 qui *induit maledictionem sicut vestimentum*, qui continuo vivit in peccatis, in eius interiora introeat sicut aqua maledictio, et olei instar in ossa eius ; quam maxime repleatur maledictione interius et totus quasi obvolvatur maledictione v. 19 : sit ei instar vestimenti operientis et cinguli, zonae. Talis itaque sit merces et retributio *apud Dominum* v. 20 pro iis qui mihi adversantur et male loquuntur contra me.

Contra adversarios supplex Deum adit v. 21 *fac mecum*, sicut nomen tuum, gloria tua et titulus tuus (quo es Deus meus, protector, largitor bonorum) exigit ; quae petitio fulcitur spe, *quia suavis*, benigna est gratia tua ; parumper aliter legit targum : secundum bonitatem tuam ; quod verbis in v. 21 efflagitatur, est : *libera me*,

serva me ; *quia* miser sum et *pauper* ; *cor meum conturbatum est* ; cf. 55,5 hebr (יחיל), Hier : vulneratum est (חָלָל). Alia ratio qua Deum flectat ad misericordiam est : vita mea in eo iam est, ut evanescat ; si umbra extenditur, sol versus occasum properat ; v. 23 ita ego ingredi cogor quasi umbra inclinata ; vergo ad mortem ; Hier abductus sum ; *excussus sum sicut locustae*, quae vento arreptae propelluntur in mare (cf. Ex. 10,19 ; Ioel 2,20), ita ego expellor de terra, morti obviam rapior (cf. Iob 38,13), extorris factus sum. In quanta versatus sit tristitia, declaratur v. 24 longo ieiunio quo iam debilis factus est, ut nequeat firmiter incedere ; et declaratur luctus omissione unctionis, quam etiam diu neglexit, ita ut caro sit *immutata* deficiat a pristino vigore et splendore ; cf. 103,15 ut exhilaret faciem in oleo ; Hier vertit : absque oleo, Sym ἀπὸ ἀνηλειψίας (cf. *Theod.*) ; alii vertunt hebr caro mea defecit a pinguedine (שמן pingue, oleum). Ad tristem habitum quem prae se fert, accedunt opprobria et irrisiones de eius misera conditione v. 25.

Quare instantius ad Deum clamat v. 26 ; opem petit, sed ita ut *sciant quia manus tua haec*, ut adversarii cognoscant auxilium sibi a Deo collatum esse, Deum igitur edidisse documentum suae potestatis, eum solum potuisse tot malis afferre remedium. Ergo in suo auxilio simul spectat gloriam Dei ; v. 28 maledicant illi — nil curo, si illi maledicunt, dummodo tu benedicas ! si illi confusi fuerint, servus tuus laetabitur ; cf. 57,11 ; et ad v. 29 vide v. 18 ; 34,26 ; 70,13. Opem vero a Domino expertus multiplicem gratiarum actionem se persoluturum spondet v. 30, et palam coram multis Dei praeconia annuntiabit, v. 31 *quia* pauperem iuvit, sustinuit ; *a dextris stare*, paratum esse ad opem ferendam ; LXX, Theod, sexta, vulg *a persequentibus animam meam*, hebr et alii : a iudicibus animae eius, ut Deus opem praestet contra eos qui animam eius iudicare (morti adiudicare) volunt ; vel ut eum liberet a condemnantibus vitam eius (*Pannier*).

Ps. 109.

1. *Psalmus David.*

Dixit Dominus Domino meo: | *sede a dextris meis,* | *donec ponam inimicos tuos* | *scabellum pedum tuorum.* | 2. *Virgam virtutis tuae* | *emittet Dominus ex Sion ;* | *dominare in medio inimicorum tuorum.* | 3. *Tecum principium in die virtutis tuae* | *in splendoribus sanctorum ;* | *ex utero ante luciferum genui te.*

4. *Iuravit Dominus et non poenitebit eum :* | *Tu es sacerdos in aeternum* | *secun-*

dum ordinem Melchisedech. | 5. *Dominus a dextris tuis* | *confregit in die irae suae reges;* | 6. *iudicabit in nationibus, implebit ruinas,* | *conquassabit capita in terra multorum.* | 7. *De torrente in via bibet;* | *propterea exaltabit caput.*

Brevis hic psalmus omnium frequentissime in Novo Testamento allegatur. Eo utitur Christus, ut pharisaeos reddat attentos ad altiorem Messiae dignitatem (Matth. 22, 43-45. Luc. 20,42); sedere a dextris Dei sibi Christus attribuit (Matth. 26,64. Marc. 14,62; Luc. 22,69), et ei attribuitur Act. 2,34; Eph. 1,20; Col. 3,1; Hebr 1,13; 8,1; 10,12. 1 Petr. 3,22; Apoc. 3,21; oportet Christum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius 1 Cor. 15,25; Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Hebr 5,6.10; 6,20; 7, 17-22 et sacerdos ex iureiurando in aeternum 7,20.21.24.28.

Primum breviter dicendum est de auctore et argumento psalmi. In textu hebr. et omnibus veterum versionibus hoc carmen Davidi ascribitur. Ad hoc unanime textuum testimonium accedit suffragium Christi Domini, qui non solum obiter psalmum ut davidicum commemorat, sed ex ipsa eius origine davidica in quaestione de Messiae natura ac dignitate argumentum sumit « docens in templo » (Marc. 12, 35), ubi ait : « *Ipse David* dicit in Spiritu sancto : Dixit Dominus domino meo etc. *Ipse ergo David* dicit eum dominum » (ib. 36 sq.; item Luc. 20, 42. 44. Matth. 22, 43). Nec aliter die pentecostes Petrus, Israelitas et peregrinos instruens, argumentatur : « Non enim David ascendit in coelum ; dixit autem *ipse* : Dixit Dominus domino meo etc. » (Act. 2, 34). Neque tacendum est, ipsa illa Christi et Petri argumenta, si psalmus revera non esset Davidis, omni vi probandi destitui et redigi in ordinem merorum argumentorum ad hominem, propter ignorantiam auditorum fortasse efficacium, sed in se erroneorum ac falsorum : id quod in his casibus admitti non posse certum est. Cf. quae notavi in meis commentariis ad Matth. 22, 44 sq. Marc. 12, 36 sq. Luc. 20, 42 sq. Act. 2, 34-36. Ex iisdem his rationibus et ex omnibus Novi Test. locis, ubi hic psalmus citatur, atque ex universali Christianorum traditione constat, eum de quo psalmus agit et quem in psalmo psalmista et Deus alloquitur, esse Messiam. Iudaeos quoque olim itidem sensisse, ex eo concludi potest, quod Christus et apostoli, Iudaeos docentes, hoc ab iis sciri et admitti supponunt neque iis contradicitur. Christiana religione propagata et vaticiniis huius psalmi haud mediocriter suffulta, Iudaei psalmum aut de Ezechia rege (v. *Iustin.* dial. c. Tryph. n. 83) aut de Abrahamo (in targumim) exposuerunt. Multi recentes protestantes Davidi abiudicarunt et in tempus Machabaeorum transtulerunt; eum ab ignoto poeta aiunt in honorem alicuius principis Machabaeorum seu Hasmonaeorum esse compositum qui de

genere sacerdotali erant, sive Hyrcani II. pontificis (*Flav. Ios.* Ant. 16, 6, 2) sive Ionathae (1 Mach. 10, 20 sq.) sive Alexandri Iannaei sive Simonis (1 Mach. 14, 41) : haec ultima opinio praesertim propagata est, ex quo aliquibus placuit sententia contineri in v. 1-4 acrostichon שׁבעון Simeon ; ita Bickell, G. Margoliouth, Duhm, Expositor VI, vol. 6, p. 61 ; quam opinionem bene refutavit *Zenner,* ostendens ex collocatione stichorum nullatenus tale acrostichon haberi (cf. Zeitschr. f. kath. Theologie 1900, p. 578-584) et vide etiam Revue biblique 1905, p. 47 (annotatio 5). Obstat tali sententiae etiam quod illi Machabaei fuerunt sacerdotes nati ad principum dignitatem evecti, dum psalmistae menti obversatur rex cui Deus sacerdotium tribuit, et quod auctor psalmi ut propheta loquitur (נאם יהוה), dum Machabaeorum tempore nullus propheta exstitit (1 Mach. 14, 41).

In duas pares strophas psalmus dividitur, quarum utraque ab effato seu oraculo divino ad Messiam directo incipit (v. 1-4), quo nuntiato psalmista, ut videtur, eum alloqui pergit ; fortasse etiam finis alterius strophae (v. 7), in textu LXX, vulgatae et versionis syriacae etiam finis prioris strophae (v. 3) velut ex ore Dei Patris profertur.

David igitur « in spiritu » videt Messiam, suum futurum filium, ad duplicem summum honorem a Deo evectum, scil. ad sessionem in dextra Dei et ad munus sacerdotis, atque ipse iubetur hoc Messiae futuro vaticinari. Quare ad humillimam reverentiam erga hunc suum filium se componens ac demittens scribit : *Dixit Dominus* i.e. Iahve *domino meo* i.e. tibi, mi domine ; hebr. ad litteram : Effatum Iahve domino meo, i.e. sic iubet me Iahve vaticinari tibi, mi domine : hoc enim titulo אדני « dominus meus » apud Hebraeos subditi regem designare atque alloqui solebant, ita ut pronominis *tu* casibus casus huius tituli substituerent (1 Sam. 22, 12 ; 25, 25 ; dativ. 25, 30 sq.) : *Sede a dextris meis.* Iste igitur Davidis dominus invitatur a Iahve, ut sedeat a dextris Iahve, ut summum honoris locum occupet, ut in throno sedeat exaltatus in gloria, assumptus a Deo in participationem gloriae et potestatis ; cf. Apoc. 3,31 qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius. Huic consorti gloriae ac dominationis fit eloquium Dei de subiectione inimicorum ; *scabellum* cf. Ios. 10, 24 iubet : ite et ponite pedes super colla regum istorum ; qui cum subiectorum colla pedibus calcarent, ait : sic faciet Dominus cunctis hostibus vestris. Expeditio illa ad inimicos subiiciendos initium habet a Sion v. 2 sceptrum tuae potentiae *emittet Dominus ex Sion* ; in Sion scil. est thronus Iahve 1 Par. 28,5 ; 29,23 ; et ibi regnum eius consistit ; inde igitur concipitur originem ducere sacrum bellum, cuius effectus aliis ora-

culi verbis declaratur; *dominare in medio inimicorum tuorum*. Quanta vero gloria et maiestate haec dominatio seu haec victoria ornetur, v. 3 indicatur : tecum ἡ ἀρχή principatus *in die virtutis tuae*, potentiae seu roboris in ornamentis sacris ; principatus declaratur ex duobus : ex potentia et ex ornamentis sacris ; est itaque principatus insignis potentia, splendore, sanctitate.

Huius autem dominationis et principatus ultima ratio est : *ex utero ante luciferum genui te* ; uti rex theocraticus vocatur : ipse erit mihi in filium (2 Reg. 7,14. 1 Par. 22,10 ; Ps. 88, 28), ita Messias dominator multo excellentiore modo debet esse filius ; iste modus excellentior concipi potest describi generatione divina et ea quidem ante creationem facta. Quoad generationem divinam possunt facem praeferre illa apud Isaiam Dei verba : numquid ego qui alias parere facio, ipse non pariam? si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? (Is. 66,9) ; de quo dominatore Messia etiam apud Michaeam legitur : et egressus eius ab initio et a diebus aeternitatis. Duo itaque illa : generatio divina et exsistentia Messiae antequam in terra manifestetur, prophetis non erant incognita. Quare seposita quoque revelatione particulari immerito negaretur potuisse ea verba sacrum vatem de Messia edicere. Sed insuper attende vatem provocare ad oraculum Iahve ; unde (textu genuino supposito) non opus est quaerere, quid vates intellexerit, sed quid verba per se ex Dei oraculo edicant. Ceterum iam in ps. 2,7 idem dicitur : Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Notat *Chrys.* : « satis fuit dicere : *genui te*, sed propter eos qui humi serpunt, ut veram ostenderet generationem, huius quoque dictionis meminit. Et sicut cum dicit manum, non id dicit ut manum suspicemur, sed ut intelligamus creandi potestatem, ita etiam uteri meminit, ut veram esse generationem ostendat » (*M.* 55,276) ; et ut eandem esse substantiam Patris Filiique demonstret (Hier, ep. 65; *M.* 22, 626).

Aliam Messiae dignitatem pandit vates v. 4 iuramento inviolabili constitutus est *sacerdos in aeternum* ; est itaque *ad modum Melchisedech* (Gen. 14) rex et sacerdos. Messiam tamquam sacerdotem etiam Ieremias designat ; describitur scil. ut dux et princeps : et applicabo eum et accedet ad me Ier. 30,21) ; etenim « applicare (הקריב accedere facere) ad Dominum » est terminus technicus de constituendo aliquo in munere sacerdotis (cf. meum comment. in l.c. et F. de Hummelauer in Num. 16, 5) ; similiter apud Zachariam : dominabitur super solio suo et erit sacerdos super solio suo (Zach. 6,13) ; nam duo haec affirmantur de uno illo de quo ibi dicitur : ecce vir germen nomen eius.

In v. 5 oritur quaestio, quis sit ille *Dominus a dextris tuis* : si

iungitur ad antecedentia, *tuis* est allocutio ad Messiam, dominatorem et sacerdotem ; ergo Dominus est Iahve ; sed quomodo Iahve a dextris Messiae, cum v. 1 Messias iubeatur sedere a dextris Iahve ? Sed animadverte ac distingue « a dextris alicuius sedere », qui est summus honor a principe alicui concessus (3 Reg. 2, 19), et « a dextris alicuius esse », quod valet i.q. aliquem protegere, fulcire, iuvare (Ps. 15, 8 ; 120, 5) : qua dictionum proprietate observata nullam ex eo derivare poteris difficultatem, quod in v. 1 Christus a dextris Dei sedere iubetur, et hic dicitur Iahve esse a dextris eius i.e. esse ei adiutor. Quae dicuntur vv. 5. 6, de Deo facile intelliguntur, qui supra promisit : ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, et hic describitur ut exsequens id quod pollicitus est. Solum v. 7 *de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* minus commode de Iahve dici posse videtur : quod si tamen facies, dices describi Deum ut infatigatum et invictum bellatorem, quem robur ad persequendos hostes nunquam deficiat (ut militem vires non deficiunt, si habet unde se bibendo refocillet) : in poeta enim orientali ne talis quidem comparatio nimis audax est. Ceterum etiam postquam vv. 5.6 de Deo explicavimus (id est ita ut psalmista v. 5 Christum alloquatur : Dominus, i.e. Deus, a dextris tuis nempe te protegens, confregit i.e. certissime confringet — perfectum propheticum ! — in die irae suae reges etc.), possumus, ut secundum LXX, vulg, syr ultima verba primae partis a Deo proferuntur, in v. 7 rursus Deum facere de Christo dicentem : *de torrente in via bibet* etc., vel possumus supponere psalmistam, postquam de Deo plura dixit, nunc sine transitu (quia ex ipsis verbis facile eruitur, de quo alio nunc agatur) de Messia dicere : *de torrente in via bibet* etc. Haec ultima psalmi verba, Christo applicata, varie exposita sunt. De humilitate Christi qua suam gloriam meruerit, Graeci explicant, ut *Chrys.* : hic ostendit humilem ac vilem eius vivendi rationem, quod sine fastu fuit, tenuem victum ducens atque adeo tenuem, ut ex torrente biberet ; deinde, ostendens quod sit huius vitae praemium, subiecit : *propterea exaltabit caput* ; ad ineffabile eum humilitas et austera vita evexit praemium. Sic etiam *Prosper* exponit : Sicut torrens est omnis iste cursus mortalitatis humanae ; de hoc ergo torrente, de hoc strepitu transeunte, de hac mortalitate bibit filius David, dignatus propter nos nasci et mori. Magis de ipsa Christi Domini passione interpretatur Hieronymus et multi alii post eum : « Via per quam ambulavit, saeculum istud dicitur. Torrens non habet aquas semper fluentes, sed habet aquas de tempestatibus, de pluviis, de turbine, de procellis. Vultis scire, quomodo de torrente turbido biberit ? Ipse dicit : tristis est anima mea usque ad mortem. Si Dominus

bibit de torrente mundi istius, quanto magis Sancti ! Ipse bibit et calicem de torrente Cedron [utpote ibi passionem exorsus]. Quia erga bibit Dominus de torrente et gustavit mortem propterea eum exaltavit Pater ». I. K. Zenner (Zeitschr. f. kath. Theol. 1900, p. 583) contra hanc communem fere explicationem animadvertit, « aquam de torrente bibere » viatori in Oriente non suggerere ideam passionis et humiliationis, sed optatae prorsus in siti, deficientibus iamiam viribus, refocillationis ac refectionis ; unde censet explicandum : Messiae semper praesto erit auxilium ac solatium divinum, unde non deficiet, sed erecto semper capite procedet et vincet.

Longe aliter atque in LXX, textus mass. habet v. 3 ; vertit Hier : populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuae ; in montibus sanctis (lectio הדרי pro altera הדרי) quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiae tuae ; recentiores vertunt : ex vulva (gremio) aurorae tibi ros iuventutis tuae i. e. magna multitudo bellatorum, sicut mane ex vulva aurorae copia roris oritur ; explicant : iuventa, iuvenes bellatores ; sed quomodo oritur ros iuvenum bellatorum ex vulva aurorae ? Est evidenter, si textus incorruptus supponitur, comparatio abbreviata, qua milites mane in monte congregati, ut in bellum proficiscantur, quorum arma in sole splendent, comparantur innumerabilibus roris guttis mane per herbam montis splendentibus. Ac si diceret : ut mane guttae roris ex utero aurorae natae innumerabiles splendent, ita tibi in montibus sanctis prope Ierusalem parata ad bellum stabit multitudo iuvenum. Rorem adolescentiae concipiunt *Gen. Bellarm.* de flore et vigore adolescentiae, in suavitate ac dulcedine adolescentiae. Hanc metaphoram quae intelligi potest etiam adoptavit *Duhm*, qui partim assumpta lectione LXX vertit v. 3 : tecum est sublimitas (bei dir ist Hoheit) in die roboris tui, ex vulva aurorae tibi erit ros iuventutis tuae, i. e. aurora huius diei, quo scil. sceptrum potentiae capessit et regnare incipit, ei quasi iuventutem (Eccle. 11,9 sq.) restituit, sicut ros lucis mortuos quoque ad vitam revocat (Is. 26,19).

Quod textum attinet v. 3 μετὰ σοῦ Aq, quinta, ὁ λαός σου Sym, Hier ; in ornamentis cum LXX, Aq, Theod, quinta ἐν δόξῃ, ἐν ὄρεσιν Sym, Hier ; in reliqua parte textus mass. fideliter refertur ab Aq, Theod, quinta ; sexta praebet ἐκ γαστρὸς ζητήσουσί σε, Sym habet ὡς κατ'ὄρθρον σοι δρόσος ἡ νεότης σου ; etiam Hier quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiae tuae.

Syr hunc in modum habet : populus tuus laudabilis in die roboris. In splendoribus sanctitatis ex utero ab initio te puerum ילידא genui te. De ratione textuum inquisivit *Peters* (Theol. Quartalschrift 1898, p. 615) et secundum eum textum primitivum praebent LXX, ex textu hoc oritur syr cum addito te puerum לך בליא, ex hoc textu efformatus est textus mass. לך טל tibi ros : consonantes textus mass. ילדתך facile legi possunt genui te.

Veterum aliqui v. 3 ad nativitatem temporalem virgineam Christi retulerunt. Ita iam *Iustinus* martyr, qui semel quidem in dialogo c. Tryph. n.

45 verba de Christo. Dei filio qui ante luciferum erat intellexisse videtur, at alias n. 63.76 de generatione ex virgine accipit ; verbis quippe illis edici καὶ διὰ γαστρὸς ἀνθρωπείας ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τῶν ὅλων γεννᾶσθαι αὐτὸν ἔμελλε n. 63 ; genui te ei videtur idem esse ac gignere te decrevi ex utero virginis. Idque etiam *Tertullianus* docet explicans : ante luciferum nocturna nativitate ex utero solo sine viri semine te genui. Eadem est explicatio *Eus.* qui in commentario de textu LXX nihil dicit, sed adductis versionibus Aq Sym quinta pergit : hisque videtur generationis eius carnalis oeconomiam significare ; hisque arbitror declarari, non ex semine viri, sed ex Spiritu sancto carnalem generationem constitui, idque comparatione roris coelitus defluentis illustrat. Alii utramque explicationem adoptarunt ; ita *Aug.* in enarratione n. 16 qui putat verba ex ipso ore David quoque posse intelligi de Christo nato noctu ex utero virginis ducentis propaginem ex carne David ; unde Christus natus est tamquam ex utero genitus a David. Similem explicandi modum etiam sequitur paraphrasis anonymi : vult dicere : antequam essent creaturae genui te, secundum divinitatem scilicet, vel secundum praedefinitionem (κατὰ τὸν προορισμὸν) nativitatis ex virgine ; unde subdit : iuravit Dominus etc.

Ps. 110.

Alleluia.

א *Confitebor — tibi : Domine in toto corde meo,* | ב *in consilio iustorum et congregatione.* | 2. ג *Magna opera Domini,* | ד *exquisita in omnes voluntates eius.* | 3. ה *Confessio et magnificentia opus eius,* | ו *et iustitia eius manet in saeculum *saeculi :* | 4. ז *Memoriam fecit mirabilium suorum.* | ח *misericors et miserator Dominus :* | 5. ט *escam dedit timentibus se.* | י *Memor erit in saeculum testamenti sui.*

6. כ *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo,* | 7. ל *ut det illis hereditatem gentium ;* | מ *opera manuum eius veritas et iudicium.* | 8. נ *Fidelia omnia mandata eius,* | ס *confirmata in saeculum saeculi,* | ע *facta in veritate et aequitate.* | 9. פ *Redemptionem misit populo suo ;* | צ *mandavit in aeternum testamentum suum ;* | ק *sanctum et terribile nomen eius.* | 10. ר *Initium sapientiae timor Domini ;* | ש *intellectus bonus omnibus facientibus eum ;* | ת *laudatio eius manet in saeculum saeculi.*

Dicuntur Deo laudes ob opera eius magnifica et beneficia populo praestita (v. 1-5), in quibus ostendit potentiam suam, foederis fidelitatem et sanctitatem ; unde adoratio et laus ei persolvatur in perpetuum (v. 6-10).

Psaltes celebrare vult Dominum primo apud se, sed quam maxime, *ex toto corde*, dein eius laudes publice praedicare in coetu iustorum et in ecclesia, in synagoga in sacro conventu. Nam v. 2 *magna opera Domini*, digna quae omni studio inquirantur et perpendantur secundum omnia illa consilia, *voluntates eius*, secundum cuncta quae Deus

iis manifestare et docere voluit; hebr vertes : expendenda omnibus cupientibus (amantibus) ea. Est enim omne opus Dei v. 3 gloria et *magnificentia*; *memoriam fecit*, dies festos in memoriam et in sacrum cultum *mirabilium* suorum operum institui iussit; pascha, festum tabernaculorum, sabbatum; cf. Ex. 12,14. Lev. 23,43; praeterea iussit patres narrare filiis vetera illa facta 77, 3-7; Ex. 13,8; 16,33; *escam dedit* v. 5 manna in deserto Ex. 16. Num. 11; carnes quoque Num. 11,31; Ps. 77,26.27, terram fluentem lac et mel, fertilem frumento, vino, oleo : vere *misericors* et *memor foederis*.

Praeprimis v. 6 robur et potentiam operum suorum annuntiavit populo suo eo quod dedit illis *hereditatem gentium*, possessiones et regiones, quas variae gentes in Chanaan occupaverant et partim etiam has gentes illis fecit tributarias; cf. Ex. 23, 27-31. Deut. 7,1 sq; 9, 1-6. Quidquid Deus fecit v. 7. in omnibus manifesto apparuit *veritas*, eius veracitas et fidelitas in complendis promissionibus, et *iudicium*, iustum et rectum; *omnia mandata*, dispositiones eius et ordinationes, normae administrationis eius sunt certae, constantes, fidae; v. 8 *confirmata*, stabilia et firma in perpetuum, et *facta* et exsecutioni mandantur normae illae divinae in rerum populorumque gubernatione *in veritate* fideliter et *in aequitate*, sicut rectum est et probum. Populum suum v. 9 ex multis periculis et oppressionibus redemit, in perpetuum enim foedus suum stabilivit et firmum esse voluit; cf. Ier. 33, 20-26. In hac foederis custodia et exsecutione se seu nomen suum demonstrat *sanctum*, postulat a suis multiplicem sanctitatem, munditiem, observationem, et punit transgressiones ac delicta; *terribile* in hostes et inimicos populi sui.

Quid consequitur, quia opera Dei talia sunt, uti descriptum est et Deus ipse sanctus ac terribilis? v. 10 *timor Dei*, cultus Dei, est *initium sapientiae* est primum et primarium sapientiae et *intellectus bonus*, intelligentia salutaris omnibus qui illum Dei cultum ac religionem fovent. In cultu Dei consistit ac continetur sapientia et intelligentia salutaris. Quare is cultus et laudatio Dei in perpetuum consistere debet. Ceterum ad v. 10 vide Iob 28,28. Prov. 1,7; 9,10. Eccli. 1,16.

Ps. 111.

Alleluia. — Reversionis Aggaei et Zachariae :

1. א *Beatus vir qui timet Dominum*, | ב *in mandatis eius volet nimis.* | 2. ג *Potens in terra erit semen eius*, | ד *generatio rectorum benedicetur.* | 3. ה *Gloria et divitiae*

in domo eius, | ו *et iustitia eius manet in saeculum — saeculi :* | 4. ז *Exortum est in tenebris lumen rectis,* | ח *misericors et miserator et iustus.* | 5. ט *Iucundus homo qui miseretur et commodat;* | י *disponet sermones suos in iudicio.*

6. כ *Quia in aeternum non commovebitur;* | 7. ל *in memoria aeterna erit iustus;* | מ *ab auditione mala non timebit ;* | נ *paratum cor eius sperare in Domino ;* | 8. ס *confirmatum est cor eius, non commovebitur,* | ע *donec despiciat inimicos suos.* | 9. פ *Dispersit, dedit pauperibus,* | צ *iustitia eius manet in saeculum — saeculi ;* | ק *cornu eius exaltabitur in gloria.* | 10. ר *Peccator videbit et irascetur,* | ש *dentibus suis fremet et tabescet ;* | ת *desiderium peccatorum peribit.*

Psalmus hic arcte adnectitur ad antecedentem ; exsequitur enim quod ibi ultimo loco dictum erat : quanta bona afferat timor Domini. Describitur beatitudo timentis Deum : posteritas erit potens et felix, bonis abundat domus eius, inter pios eminet misericordia et iustitia (v. 1-3). Securus est et tutus firma sua in Deum confidentia, triumphat de inimicis, eminet liberalitate, iustitia, potentia, gloria, ita ut peccator prae invidia fremat (v. 6-10). Arcte ad antecedentem adiungitur etiam eadem conformatione quoad ordinem stichorum alphabeticum ; utrimque v. 9 et 10 tristichis constituuntur. Insuper deprehenditur magna quoque similitudo sententiarum, ita ut quae dicta sunt in Ps. 110 parva quadam inflexione denuo usurpentur ad beatitatem iusti delineandam, sicut prius ad Dei laudes describendas inservierunt. Confer 110,1 toto corde, 111,1 volet nimis ; 110,2 magna opera, 111,2 potens ; 110,3 et 111,3 ; item v. 4 ; v. 5 escam dedit — miseretur et commodat ; 110,7 b iudicium et 111,5 b ; 110,8 confirmata, 111,6.8 ; 110,9 in aeternum foedus, 111,7 memoria aeterna ; 110,10 laudatio eius, 111,9 cornu eius in gloria, etc.

Exhibitio timoris Domini, reverentiae et cultus eius etiam eo cernitur, quod quis in mandatis Dei sibi magnopere complaceat, ea intime cupiat ac diligat ; cf. חפץ et 110,2 ubi verti potest : perpendenda cupientibus ea. Tota familia et generatio viri religiosi v. 2 erit *potens*, strenua in operatione, valens et valida virtute, recta agendi ratione : *generatio rectorum*, proborum, fortunabitur, felix erit (*Gen.*) ; cf. Is. 65,23. Quae benedictio describitur v. 3 *gloria*, hebr הון (Prov. 8,18, opes), Hier substantia, Aq, Sym ὕπαρξις possessio et *divitiae in domo eius, et iustitia eius*, status eius ac conditio in felici probitate, status rectus ; ut *Chrys.* ait, alius explicavit : ἡ ἐλεημοσύνη, φιλανθρωπία, *manet* stabilis est in perpetuum et constans ; Ez. 18,20 iustitia iusti super eum erit. Ipse v. 4 *in tenebris*, in calamitatibus rebusque adversis, tamquam *lumen*, consolator et opifer, oritur *rectis*, probis ; eos erigit, iis praestat favorem, reddit laetitiam ; cf. de metaphora lucis 26,1 ; 30,17 ; 35,10 ; 43,4 ; 66,2 ; 79,4 ; 96,11. Is. 58,10 : et ut

talis exsistet, quia est *misericors et miserator et iustus* ; en, exhibetur tamquam viva imago Dei; cf. 110,4. Haec viri timentis Deum attributa explicantur in eius agendi ratione v. 5 *iucundus*, bonus (Hier), seu bene et iucunde habet, beatus est, *qui miseretur* et mutuum dat; cf. 36,21 ; et iustum se praestat, eo quod *disponit* res suas *in iudicio*, recte et iuste, secundum normam iuris, Sym οἰκονομῶν τὰ πράγματα αὐτοῦ μετὰ κρίσεως, in qua re etiam refert imaginem Dei 110, 5. 7 : Deus memor est foederis, fidelis ; qui timet Deum memor est iuris; res ordinat iuste.

Explicatur ulterius eius conditio felix ac beata (v. 5) ; *in aeternum* non vacillabit ; firmiter stabit, protegetur a malo ; cf. 110,8 ; sui memoriam posteris relinquit ; etiam ipse sibi facit memoriam operum suorum iustorum ; cf. 110,4. Cur non commoveatur (v. 6), declaratur v. 7 *ab auditione mala*, a nuntio malo (qualis repetito allatus fuit ad Iob) *non timebit* ; non est cur timeat, ne quando rumor, nuntius perniciosus sibi afferatur ; nam *paratum*, firmatum cor eius, confisum in Domino, Sym ἑτοιμία ἡ καρδία αὐτοῦ ἀμέριμνος ἐν Κυρίῳ firmum sine sollicitudine. Etsi quando adversarios experiatur, v. 8 *confirmatum* suffultum est cor eius, non timebit, *donec despiciat*, donec cum gaudio videat *inimicos suos*, donec videat ultionem fieri ; 57,11 laetabitur iustus, cum viderit vindictam.

Vir ille timens Deum etiam in liberalitate et largitate imitatur Deum (110,5) v. 9 *dispersit*, abunde largitus est, *dedit pauperibus* ; *iustitia eius* vide ad v. 3 ; insuper *cornu eius*, dignitas, auctoritas eius et potentia eminet *in gloria*, in aestimatione et honore apud alios ; cf. 1 Reg. 3,1 ; Ps. 74,11 ; 88, 18.25. Plane diversa est sors impii ; v. 10 *peccator*, רשע opponitur timenti Deum, *videbit* conditionem felicem et honoratam probi viri (cornu eius exaltatum v. 9) et *irascitur*, stomachatur, fert indigne ; imo agitur furore, quem prodit : *dentibus suis* frendet (Hier) *et tabescit*, ira et invidia quasi rumpitur et consumitur, perit ; *desiderium peccatorum peribit* ; cf. 1,5 iter impiorum peribit. Timens Deum exaltabitur in gloria — impius peribit ; cf. 36, 12.13. Iob 8,13.

De psalmi forma advertit Hier (Commentarioli) : longitudinem versus hebraici qui in 118 psalmo texitur, in his duo explent versiculi, ut quod ibi una efficit littera, hic duae diversae efficiant secundum ordinem se sequentes.

Ps. 112.

Alleluia.

1. *Laudate pueri Dominum;* | *laudate nomen Domini.* | 2. *Sit nomen Domini benedictum,* | *ex hoc nunc et usque in saeculum.* | 3. *A solis ortu usque ad occasum* | *laudabile nomen Domini.* | 4. *Excelsus super omnes gentes Dominus,* | — *et: super coelos gloria eius.*

5. *Quis sicut Dominus Deus noster,* | *qui in altis habitat,* | 6. — *et: humilia respicit* | *in coelo et in terra?* | 7. *Suscitans a terra inopem,* | *et de stercore erigens pauperem,* | 8. *ut collocet eum cum principibus,* | *cum principibus populi sui;* | 9. *qui habitare facit sterilem in domo,* | *matrem filiorum laetantem.*

Laudandus est Deus excelsus ac gloriosus semper et ubique (v. 1-4). Cunctis excellentior tamen minima quoque curat, inopem erigit, sterilem laetificat (v. 5-9).

Admonentur *pueri* i. e. servi (hebr, Hier) Domini, pii Dei cultores, ut laudent *nomen Domini*, Dominum, qui nomen suum, se, populo suo manifestavit; sit nomen eius celebratum amodo et usque in aeternum, *ex hoc nunc* ἀπὸ τοῦ νῦν (LXX, ad litteram translatum); laudibus celebretur semper v. 2 et v. 3 ubique, in universo orbe terrarum; nam omnes gentes ei subduntur, v. 4 cf. 98,2 maiestate sua omnibus dominatur, sublimitate longissime super omnes eminens, cuius gloria *super coelos*, coelos excedit, longe excellentior est ac splendidior, quam omnis coelorum splendor et pulchritudo. Quare cum admiratione maiestatis omnia superantis exclamat psaltes v. 5 respiciens deos quos gentes iactant: quis ut Iahve Deus noster? cuius naturae sublimitatem et rerum omnium curam et providentiam effert, quia hisce duabus rebus divinitas maxime agnoscitur (*Ag.*); thronum suum in altis habet — altum fecit habitare — v. 6 *et humilia respicit*, hebr profundum facit, demittit τὸ videre: quamvis in altis thronum habeat, tamen in profunda quaeque et humilia quae sunt *in coelo et in terra* suum dirigit aspectum (cf. *Gen.*); res quam quis videt potest hebr particula ב vestiri, unde verti potest: profundum facit τὸ videre coelum et terram, in profundum debet oculos dirigere ut videat coelum et terram; hisce ingeritur notio throni in altissimis positi et maiestatis supereminentis; cf. Is. 57,15 (*Ag.*).

Deus adeo sublimis sese demittit: suscitans ex pulvere *inopem*, humilem, *et de stercore erigens pauperem*; cf. 1 Reg. 2,8; Iob sedens in sterquilinio ex conditione humili et afflicta est erectus (Iob 2,8; 5,11); Ioseph in Aegypto e carcere eductus et exaltatus est (Gen. 41).

Sententia est generalis. Explicant quidem de populo Israel (vel abiecto et humiliato in Aegypto ; cf. Ez. 16,4 sq. vel in exsilio ; cf. Is. 52,2), qui ex conditione humili saepius a Deo sit erectus, *ut collocet eum cum principibus*, cum nobilibus, ut denuo constituatur in statu populo Dei digno ; sed quod additur cum nobilibus *populi sui*, haud congruit, si ipse populus e vili conditione intelligitur erigendus. Aliud paternae eius curae exemplum ad consolandos miseros datur v. 9 ; sterilitas considerabatur maledictio et poena, Ex. 23,26 ; Deut. 7,14 ; Deus etiam quae longo tempore sterilis erat tandem efficit matrem filiorum laetam, 1 Reg. 2,5. Habet haec sententia multiplicem applicationem.

Psalmus iste primus est ex iis quibus Hallel constituitur, qui sunt Ps. 112-117 (hebr 113-118) ; et quidem Ps. 113 et 114 hebr canebantur ante coenam paschalem, 115-118 coena finita (cf. Matth. 26, 30 hymno dicto exierunt in montem Oliveti). Istud Hallel cantari solebat in neomenia, festo dedicationis templi, paschate, pentecoste, festo tabernaculorum ; cf. Buxtorf, Lexicon chaldaicum, talmud. p. 613 et p. 615 assignatur Hallel magnum, quod complectitur Ps. 118-137 hebr ; vulg 117-136.

Ps. 113.

Alleluia.

1. *In exitu Israel de Aegypto,* | *domus Iacob de populo barbaro ;* | 2. *facta est Iudaea sanctificatio eius,* | *Israel potestas eius.* | 3. *Mare vidit et fugit,* | *Iordanis conversus est retrorsum ;* | 4. *montes exsultaverunt ut arietes — et : colles sicut agni ovium.*

5. *Quid est tibi : mare, quod fugisti ?* | *et — tu : Iordanis, quia conversus es retrorsum ?* | 6. *Montes exsultastis sicut arietes,* | *— et : colles sicut agni ovium ?* | 7. *A facie Domini mota est terra,* | *a facie Dei Iacob ;* | 8. *qui convertit petram in stagna aquarum,* | *— et : rupem in fontes aquarum.*

In exitu ex Aegypto populus assumptus est a Domino in peculium de cunctis populis (Ex. 19, 5). Hanc populi elevationem et maiestatem Dei annuntiarunt ipsae res naturales insolitis commotionibus (v. 1-4). Poetica prosopopoeia et apostrophe miraculorum stupor et admiratio declaratur (v. 5-8).

Hic quoque hymnus beneficia commemorat Iudaeis a Deo collata et Dei potentiam enarrat (*Eus.*). Aegyptii dicuntur populus barba-

rus, quatenus qui linguam mihi ignotam loquitur, mihi barbarus esse dicitur ; Aq ἀπὸ λαοῦ ἑτερογλώσσου, Sym ἐκ λαοῦ ἑτεροφώνου de populo alterius linguae, vocis ; *facta est Iudaea*, hebr Iuda in sanctuarium eius, Israel dominationes eius, alluditur ad Ex. 19, 5. 6 : eritis mihi in peculium, in *regnum sacerdotale* et gens sancta. Nominatur Iuda, tribus Iuda, quae tribus iam eminet in vaticinio Iacob (Gen. 49, 10), quae in collocandis castris per gyrum tabernaculi foederis prima iubetur ad orientem tentoria figere et in profectione prima movere castra agmenque ducere (Num. 2, 3 ; 10, 13. 14) ; quaerentibus : quis erit in exercitu nostro princeps certaminis, responsum est : Iudas sit dux vester (Iud. 20, 8), de stirpe Iuda principes germinati sunt (1 Par. 5, 2) ; in ditione et tribu Iuda Dominus erexit sanctuarium suum. Quare intelligitur, cur poeta Iudam, sicut Israel pro toto populo ponat ; populus factus est proprietas, possessio Dei, uti saepe enuntiatur Ex. 15, 16. Deut. 4, 20 ; 7, 6 ; 14, 2 ; 26, 18 ; 32, 9 ; pars Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius. Ratio theocratica, uti declaratur per regnum sacerdotale, ita hic effertur per sanctuarium et dominium Dei.

Huius electionis excellentia depingitur miraculis ; in transitu per mare rubrum (Ex. 14), per Iordanem (Ios. 3) ; *fugit* quasi ab increpatione Domini, cf. 17, 16 ; 76, 17 ; 103, 7. Hab. 3, 10 ; *conversus retrorsum*, aquae inferiores decurrent, quae desuper veniunt, in una mole consistent (Ios. 3, 13. 16). De montibus et collibus (poetica hyperbole) v. 4 saltantibus vide Ex. 19, 18 hebr et tremuit (ויחרד) totus mons valde ; Ps. 67, 9 terra mota est ; Iud. 5, 5 ; de comparationibus vide Ps. 28, 6. — Legitur in vulg Ex. 19, 18 erat omnis mons terribilis, LXX ἐξέστη, ceterum verbum חרד vertit Hier alias obstupescere, expavescere, timere.

Ut modo sensum terroris aut exsultationis dedit rebus sensu carentibus, quo magnitudo miraculi indicaretur, sic ut rei admirabilitatem declaret, interrogat v. 5. 6 (*Ag.*), et v. 7 omnino recte ita factum esse asserit : *a facie Domini* commota est terra, utique opera Dei talia sunt, ut omnia terrore et stupore sint commovenda ; hebr contremisce, affirmat et consentit terrae, omnem inveniri rationem ad reverentiam et admirationem manifestandam ; et quanta sit Dei potestas, alio ostenditur in exemplo v. 8, Ex. 17, 6 et Num. 20, 11 ; de dictionibus vide Deut. 8, 15 eduxit rivos de petra durissima, et Is. 41, 18 et 48, 21.

In vulgata secundum LXX adiungitur eidem psalmo 113, at nova versuum numeratione, psalmus qui hebr sub numero 115 habetur. Atque alium revera esse psalmum, neque cum antecedente cohaerentem, ex diversitate argu-

menti et conditionis apparet. Id quod iam bene advertit *Ag.* : « novum autem argumentum in hac parte tractatur ; nam orat ut universo populo laboranti succurrat atque benedicat, non quod ipsi meriti sint, sed ne gloria eius apud gentes minuatur ». Eandem argumenti diversitatem, indeque novum psalmum, etiam agnoscit *de Muis* ; esse psalmum scriptum in gravi et publica calamitate ; orare vatem v. 2 ne patiatur Deus suum nomen haberi ludibrio inter gentes. Simili modo censet *Calm.* quoque, qui Ps. 112 et 113 in unum coniungi vult (ut duplex illud *eius* 113, 2 habeat quo referatur), at a vocibus : *Non nobis* novum incipere psalmum. Refert *Eus.*, in quibusdam exemplaribus hanc partem distingui ac separari a psalmo 113 et constituere psalmum 114 ; at inspecto hebraeo libro reperisse se ibi coniungi idque sequendum esse sibi videri. Aliquos codices hebraeos iungere hanc partem cum antecedentibus, sicut LXX, Theod., syr, Hier, utique certum est. Etiam in Commentariolis sub numero 113 affert Hier versum : coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Nolim tamen negare, hac ratione duos psalmos in unum carmen componi posse, ut Israelitas in magna afflictione versantes faciamus precantes : Deus, qui olim patres nostros ex servitute aegyptiaca tam potenter liberasti (113 a, 1-8), nunc quoque ita succurre nobis (113 b, 1-18). Vestigium unitatis carminis in eo quoque cernitur, quod etiam in textu hebraico inter ps. 114 et 115 (vulg. 113 et 114) vox הללויה *alleluia* non ponitur, quae ceteroquin a ps. 110 usque ad 118 inter psalmos semper inseritur.

1. *Non nobis, Domine, non nobis,* | *sed nomini tuo da gloriam!* | 2. *Super misericordia tua et veritate tua ;* | *ne — quando: dicant gentes : ubi est Deus eorum?* | 3. *Deus autem noster in coelo ;* | *omnia quaecumque voluit, fecit.* | 4. *Simulacra gentium argentum et aurum,* | *opera manuum hominum.* | 5. *Os habent et non loquentur ;* | *oculos habent et non videbunt ;* | 6. *aures habent et non audient ;* | *nares habent et non odorabunt ;* | 7. *manus habent et non palpabunt ;* | *pedes habent et non ambulabunt ;* | *non clamabunt in gutture suo.* | 8. *Similes illis fiant qui faciunt ea,* | *— et : omnes qui confidunt in eis.*

9. *— Domus : Israel speravit in Domino ;* | *adiutor eorum et protector eorum est ;* | 10. *domus Aaron speravit in Domino ;* | *adiutor eorum et protector eorum est ;* | 11. *qui timent Dominum speraverunt in Domino :* | *adiutor eorum et protector eorum est.* | 12. *Dominus memor—fuit : nostri ;* | *—et : benedixit—nobis :* | *benedixit domui Israel,* | *benedixit domui Aaron :* | 13. *benedixit—omnibus : qui timent Dominum,* | *pusillis cum maioribus.*

14. *Adiiciat Dominus super vos ;* | **super vos : et super filios vestros.* | 15. *Benedicti vos a Domino,* | *qui fecit coelum et terram.* | 16. *Coelum coeli Domino ;* | *terram autem dedit filiis hominum.* | 17. *Non mortui laudabunt—te : Domine,* | *neque omnes qui descendunt in infernum ;* | 18. *sed nos—qui vivimus : benedicimus Domino* | *ex hoc nunc et usque in saeculum.*

Afflictus populus expetit opem Dei, ne gentes Deum Israel ludibrio habeant. Irrisioni gentium respondent Deum creatorem et simulacra gentium describentes (v. 1-8). Quare suam profitentur fiduciam auxilii

divini et benedictionis ; neque enim mortui, sed vivi laudant Dominum (v. 9-18).

Gentes miserae populi conditioni, exsulibus, irrident cum cachinnis inter se dicentes : ubi est Deus eorum, ubi protector eorum ? Iahve non potest suo populo succurrere. Clades enim gentis censetur clades dei gentis. Et propter populum exsulem nomen Iahve fuisse apud victores ludibrio habitum, testatur Dominus : iugiter tota die nomen meum blasphematur (Is. 52, 5 ; cf. Ez. 36, 20. 21). Populus itaque opprobriis onustus et, uti gentes ei exprobrant, a Deo suo quasi derelictus et abiectus, opem petit : *non nobis*, non nostrae gloriae cura et sollicitudine angimur ; non petimus restitutionem nostrae gloriae ; sed agitur Dei gloria : nomini tuo, tibi ipsi procura gloriam et agnitionem potentiae. Atque hanc gloriam sibi parare debet v. 2 *super misericordia*, propter gratiam suam, propter *veritatem*, fidelitatem suam ; petunt igitur, ut gratiam suam et fidelitatem glorificet ; quae est petitio pia, sed etiam valde prudens et utilis ; nam gratia Dei et fidelitas glorificatur in salute et liberatione et felicitate populi. Idem enuntiat Dominus : non propter vos faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus ; sanctificabo nomen meum magnum, ut sciant gentes quia ego Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis ; tollam quippe vos de gentibus et congregabo vos de universis terris et adducam vos in terram vestram (Ez. 36, 22-24). En, haec est gloria nominis eius.

Et populus fulcit petitionem, efferens irrisionem qua gentes Domi num impetunt : *cur dicant gentes* : *ubi est deus eorum* (hebr), non habent deum qui possit iuvare ; in exsilium abducti sunt, Deo eos puniente pro peccatis ; ita Israel polluit nomen Iahve in gentibus (Ez. 36, 22. 23) ; gentes autem hanc cladem impotentiae dei Israel adscribunt. Verum irrisioni opponitur maiestas et potentia Domini : v. 3 *Deus autem noster in coelo*, omnipotens, quodcumque vult, quodcumque sibi complacet, hoc facit ; opponitur alia irrisio, scil. idolorum ; dii gentium, ubi sunt ? quid efficiunt ? v. 4-7 ibi sunt, ubi sunt simulacra ; quid efficiunt ? v. 5 *os habent et non loquentur*, etc. ; cf. Is. 40, 18 sq. 44, 9-20. Ier. 10, 3-11. Bar. 6, 7 sq. ; eadem leguntur Ps. 134, 15-18. *Similes illis fiant*, sicut ista erunt facientes ea ; qui faciunt simulacra et *in eis confidunt*, sunt ratione, intelligentia et sensu carentes, sicuti statuae deorum suorum ; sunt vani et inanes, sicuti dii eorum ; habent adiutores et protectores invalidos, sicut sunt idola.

Verum aliter Israel v. 9 *domus Israel sperat* (textus mass. spera — sed cum in membro parallelo tertia adhibeatur persona, lectio LXX est retinenda) *in Domino*, adiutorium eorum est et scutum eorum ; item

domus Aaron, sacerdotes v. 10 ; *timentes Dominum*, proselyti ; textus mass. praebet ubique : sperate ; Hier : confidet, confidunt. Enumeratione et repetitione magna emphasi contra irrisionem gentium asserunt fidem Dei veri, qui revera sit adiutorium et scutum, iuvans ac protegens. Quam certam spem etiam affirmant v. 12. 13 Dominus recordatus nostri benedicet, benedicet domui Israel, benedicet domui Aaron, benedicet timentibus Dominum, parvis cum magnis (hebr, Hier) ; mirum quod LXX praebent εὐλόγησεν, *benedixit* vulg ; tandem in v. 14 rite habent προσθείη *adiiciat Dominus*, augeat Deus populum ; cf. Deut. 1, 11. Contra inania idola efferunt certam confidentiam fore, ut Dominus non solum benedicat populo suo, sed etiam proselytis omnibus, parvis cum magnis (vel plebeiis cum nobilibus ?) ; inde concluseris etiam in exsilio apud extraneos cultum Dei propagatum esse ; cf. Is. 56, 3. 6. Insuper populum etiam maius incrementum capturum esse illis persuasum est ; id quod psaltes singulis familiis adprecatur v. 14 ; cf. Gen. 24, 60 ; 30, 24. 2 Reg. 24, 3. Hac spe fultus eos nominat v. 15 *benedicti vos* ; Dei potentiam laudat : *qui fecit coelum et terram* ; eius maiestatem quoque designat v. 18 *coelum coeli Domino*, hebr coeli sunt coeli Domino, habitatio peculiaris Domini sunt coeli ; coeli immensi, coeli tot splendoribus ornati ; humani generis habitatio est terra.

Deinde precantur, ut sibi adhuc superstitibus contingat felix illud tempus, quo Deus nomini suo det gloriam coram gentibus, quo scil. populum suum ab exsilio solvat ; nam v. 17 *non mortui laudant te* neque omnes descendentes in silentium (hebr, Hier) in regionem ubi omnia silent ; cf. 6, 6 ; 29, 10 ; 87, 11 ; דוּמָה hic et 94, 17 ; *sed nos benedicemus Domino* ; cf. 112, 2 ; addunt LXX οἱ ζῶντες, cf. Is. 38, 19. Textus hebr. solum oblique innuit quod LXX addiderunt : nos qui vivimus solum possumus Deum laudare ; ergo contingant nobis ea, quorum occasione summae laudes Deo sint persolvendae.

Ps. 114.

Alleluia.

1. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus* | *vocem orationis meae ;* | 2. *quia inclinavit aurem suam mihi ;* | *et in diebus meis invocabo.* | 3. *Circumdederunt me dolores mortis,* | *et pericula inferni invenerunt me ;* | *tribulationem et dolorem inveni ;* | 4. *et nomen Domini invocavi :* | *o Domine libera animam meam !*

5. *Misericors Dominus et iustus* | *et Deus noster miseretur.* | 6. *Custodiens parvulos Dominus ;* | *humiliatus sum et liberavit me.* | 7. *Convertere anima mea in*

requiem tuam, | *quia Dominus benefecit tibi ;* | 8. *quia eripuit animam meam de morte,* | *oculos meos a lacrimis. pedes meos a lapsu.* | 9. *Placebo Domino in regione vivorum.*

Psaltes profitetur suam in Deum caritatem ; Deus enim audit eum, cum in periculis auxilium Dei exposcit (v. 1-4). Celebrat Dei misericordiam qua liberatur et se exhortans ad animae quietem coram Deo se ambulare promittit (v. 5-9).

Pro *dilexi* explica : diligo, « quem porro, nisi Dominum Deum » (*Eus.*) ? cf. 17, 2 ; 27, 6 ; quare recentiores etiam emendant : diligo Iahve, quia audit deprecationem meam magna voce prolatam ; et certa spe animatus Deum iam promptum esse profitetur v. 2 ; nam *inclinavit aurem suam mihi*, quare profitetur : in vita mea, quamdiu vivam, invocabo. In quibus angustiis versetur exponit v. 3, verba sunt 17, 5, funes mortis (Hier) et angustiae orci me invenerunt ; si talia contingunt, v. 4 nomen Domini invoco : *libera animam meam* ; secundum syntaxin hebr v. 3 est protasis : si me circumdederunt, et si angustiam et dolorem invenio, tum clamo cum nomine Iahve, etc.

Quanta cum fiducia clamet ad Dominum, declaratur v. 5 clemens Dominus (hebr, Hier) *et iustus*, ergo servans fidelitatem, promissis suis fideliter stans, *et Deus noster misericors* (hebr, Hier) ; hoc Dei attributum laudatur eo quod v. 6 *parvulos*, simplices singulari cura custodit ; et si ego attenuatus sum, me adiuvat, me salvat. Cum Deus talis sit, psaltes se exhortatur v. 7 : redi anima mea ad quietem tuam ; Dominus enim tibi bene facit ; v. 8 : ipse amovet pericula : animam eripit de morte, oculos de lacrimis, pedes de offensa (Hier) ; dabit vitam securam et laetam. Quare spe confortatus concludit v. 9 : ambulabo coram Domino in terris viventium (hebr, Hier) ; cf. 55, 14. Cum in v. 9 sequatur ambulabo, Hier bene sensum in v. 8 declarat versione sua : eruet animam meam de morte etc. De LXX, vulg *placebo*, vide quae ad 34, 14 dicta sunt. Notat Hier (Comment.) : in hebraeo habet deambulabo ; quod etiam in Genesi de Henoch scribitur : ambulavit cum Deo et translatus est ; non « placuit Deo », sicut in nostris codicibus legitur.

Ps. 115.

Alleluia.

10. *Credidi, propter quod locutus sum :* | *ego — autem : humiliatus sum nimis.* | 11. *Ego dixi in excessu meo :* | *omnis homo mendax.* | 12. *Quid retribuam Domino,* |

pro omnibus quae retribuit mihi ? | 13. *Calicem salutaris accipiam,* | *et nomen Domini invocabo ;* | 14. **vota mea Domino reddam* | *coram omni populo eius :*

15. *Pretiosa in conspectu Domini* | *mors sanctorum eius.* | 16. *O Domine, *quia : ego servus tuus,* | *ego servus tuus — et : filius ancillae tuae,* | *dirupisti vincula mea ;* | 17. *tibi sacrificabo hostiam laudis* | **et nomen Domino invocabo :* | 18. *Vota mea Domino reddam* | *in conspectu omnis populi eius ;* | 19. *in atriis domus Domini* | *in medio tui Ierusalem. *Alleluia :*

A solo Deo, non ab hominibus auxilium praestatur ; quare Deo laudes et vota persolvere oportet (v. 10-14). Deus suorum vitam magni aestimat ; quare salutem mihi concedit, pro qua vota persolvam (v. 15-18).

Monet *Theod.* : « Hebraeus ceterique interpretes atque etiam syrus hunc psalmum praecedentibus connectunt, quandoquidem eundem sensum habet, καὶ γὰρ τῆς αὐτῆς ἔχεται διανοίας », etiam *Eus.* notat *credidi* referri ad antecedentia ; in Breviario in psalmos dicitur : « hunc psalmum quinta et sexta editio cum superioribus copulant, Symmachus vero et Septuaginta interpretes dividunt ». Idem dicit Hier in Commentariolis. Pariter cum superiore iungendum esse iudicant *Ag. Bellarm. Calm.* et recentiorum plerique. Alii separant et duo statuunt carmina similis tamen argumenti. Atque haec sententia mihi videtur praeferenda. Nam si immediate iunguntur in unum carmen, mirum est post v. 7-9 in v. 10-11 fieri regressum ad eundem affectum iam expressum in v. 1-3 ; item v. 15-16 repetitur idem quod in v. 5-6 dictum est. Quare secundum seriem affectuum potius duo carmina sunt de eodem argumento ; cf. R. Cornely, Psalmorum Synopses, Paris 1899, p. 80.

Profitetur psaltes v. 10 (sicuti in v. 1) firmam suam fidem et fiduciam : *credidi* explica tempore praesenti ; credo, confido, quia (כִּי) loquor. LXX διό propter quod loquor ; ipsum hunc psalmum vult esse testimonium ac documentum fidei ac fiduciae (cf. R. Cornely ad 2 Cor. 4, 13). Ita quidem prius suam pandit afflictionem : ego afflictus sum valde ; et in hac trepidatione mea ego dico : omnis homo mentitur (hebr) ; *in excessu meo* vide ad 30, 23 ; Hier : omnis homo mendacium uti Aq διάψευσμα, Theod ἐκλείπει, deficit ; Sym διαψεύδεται ; i. e. spes et auxilium hominum est fallax ; vide 33, 16 ; 43, 4. 7 ; 59, 13 vana salus hominis ; 61, 10. Spem non ponere in hominibus, sed in uno Deo, hoc est illud *credo* psalmistae. Et quanta fide et fiducia relictis hominibus ad Deum confugiat, praeclare enuntiat in v. 12 quia adeo certus est de exauditione et liberatione ab afflictione, ut iam de actione gratiarum deliberationem instituat et quaerat : *quid retribuam*, vel quomodo retribuam ? Dei in me beneficia ; et sibi respondet v. 13 *calicem salutis accipiam* ποτήριον σωτηρίου ; quo sensu ? aliqui metaphora consueta calicis retenta

explicant partem salutis mihi porrectam accipiam (*Hoberg*) — quae explicatio minime placere potest ; esset enim mira actio gratiarum solum non recusare salutem oblatam — ; *Chrys.* « nos historiam sequentes dicimus eum hic dicere libamina et sacrificia et hymnos gratiarum actionis » ; alludi ad caerimonias legis, ad libationes vini in sacrificiis alii etiam monent (*Ag. Gen. Calm.*) ; sed de libationibus solitariis extra sacrificia nihil aliunde innotescit, nisi provocare volueris ad 1 Reg. 7, 6 convenerunt in Masphath hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu Domini et ieiunaverunt. Ibi itaque effusio aquae ritus effertur orationis et ieiunii. Unde non erit improbabile simili ritu libationis etiam declarari actionem gratiarum ; ad quod confer : at David noluit bibere, sed libavit eam (aquam) Domino (2 Reg. 23, 16). Demum monent quoque de laetis conviviis : convivialem et laetum calicem elevabo, commemorans salutem a Deo mihi datam (*Ag. Gen. Calm.*), uti narratur in 3 Mach. 6, 31 Iudaei periculo erepti ἀντὶ πικροῦ καὶ δυσαιάκτου μόρου κώθωνα σωτήριον συστησάμενοι, convivium salutare instruxerunt.

Quod sequitur v. 14 *vota mea* non legitur apud LXX (in edit. Swete), neque apud Aug. Cypr. Cassiod. psalterium romanum etc. (cf. Sabatier) ; videtur assumptum ex v. 18. Cur iam gratias agat quasi ereptus ex omni periculo mortis, rationem reddit ex eo quia Deo cordi est vita suorum v. 15 *pretiosa*, i. e. res perdifficilis et gravis apud Dominum, quam non temere evenire sinit, *est mors sanctorum eius* ; tanti suos cultores aestimat, ut eos necari ab impiis raro permittat (ita bene *Ag. Gen. Calm.* et recentiores) ; similem locutionem et notionem habes 48, 9 et cf. 71, 14. Cum itaque Deus in universum suos cultores, sibi consecratos, tanti faciat, psaltes monet, se quoque esse unum ex illis v. 16 obsecro, Domine (Hier), eia, Iahve, profecto *ego servus tuus, filius ancillae tuae*, verna tuus ; vide 85, 16, tuus vernaculus ; addunt quandoque : sum ex progenie cultorum tuorum ; maiores mei erant servi tui (*Ag. Gen.*) ; subtilius explicat *Calm.* filius sum servae ; ex eo servorum genere, quibus nulla libertatis spes est ; quam vero illustris est utilisque mihi haec servitus, quippe cuius causa me inter tot mala servaveris ! Quia itaque vita sanctorum Deo cara est, ideo magna confidentia enuntiat : *dirupisti*, solvis *vincula mea* ; esse, uti dicunt, perfectum confidentiae, patet ex petitione v. 15. 16 cum exclamatione dolorosa אנה eia, eheu ; vel si malueris, explica tamquam protasin : si solveris, *tibi sacrificabo hostiam laudis* et gratiarum actionis ; et alte praedicare vult nomen Iahve ; vota persolvere Deo publice ; Dei praeconia annuntiare in atriis domus Domini, in ipsa media urbe Ierusalem. Talis est eius fides ac fiducia ; hanc loquitur cf. v. 10.

Ps. 116.

Alleluia.

1. *Laudate Dominum, omnes gentes,* | *laudate eum omnes populi* ; | 2. *quoniam confirmata est super nos misericordia eius,* | *et veritas Domini — manet : in aeternum.*

Psalmi argumento spectari tempus messianum, ex eo patet, quia omnes gentes et omnes nationes ad Deum laudandum provocantur (cf. Is. 11, 9). Materia et ratio laudis est, quia *misericordia*, gratia eius ac benevolentia potens est, potenter dominatur *super nos*, cf. 102, 11 גבר, et *veritas eius*, fidelitas eius in servandis promissis, manet inconcussa et firma in aeternum. Ad hunc locum cf. Rom. 15, 8-11. Misericordia et veritas, seu gratia Dei et fidelitas sunt duo illa, quibus omnis spes et salus nostra innititur, consistit, perficitur; cf. 24, 10 universae viae Domini misericordia et veritas ; 25, 3 ; 35, 6 ; 39, 11. 12 ; 56, 4. 11 ; 60, 8 ; 68, 14 ; 83, 12 ; 84, 11 ; 87, 12 ; 88, 15, 25-34 ; 91, 3 ; 99, 5 ; 107, 5, 113 b, 2, etc., en quoties iunguntur misericordia et veritas ! Cfr. etiam dicta ad ps. 39, 11. 12.

Ps. 117.

Alleluia.

1. *Confitemini Domino, quoniam bonus ;* | *quoniam in saeculum misericordia eius.* | 2. *Dicat nunc Israel, — quoniam bonus ;* | *quoniam in saeculum misericordia eius.* | 3. *Dicat nunc domus Aaron :* | *quoniam in saeculum misericordia eius.* | 4. *Dicant nunc, qui timent Dominum :* | *quoniam in saeculum misericordia eius.*

5. *De tribulatione invocavi Dominum,* | *et exaudivit me in latitudine* * *Dominus :* | 6. *Dominus mihi — adiutor :* | *non timebo quid faciat mihi homo ;* | 7. *Dominus mihi adiutor ;* | *et ego despiciam inimicos meos.* | 8. *Bonum est confidere in Domino,* | *quam confidere in homine ;* | 9. *bonum est sperare in Domino,* | *quam sperare in principibus.*

10. *Omnes gentes circuierunt me,* | *— et : in nomine Domini,* * *quia : ultus sum — in : eos ;* | 11. *circumdantes circumdederunt me,* | *— et : in nomine Domini,* *quia : ultus sum in eos ;* | 12. *circumdederunt me sicut apes,* | *— et : exarserunt sicut ignis in spinis,* | *— et : in nomine Domini* * *quia : ultus sum — in : eos.* | 13. *Impulsus eversus sum ut caderem,* | *et Dominus suscepit me.*

14. *Fortitudo mea et laus — mea : Dominus ;* | *et factus est mihi in salutem.* | 15. *Vox exsultationis et salutis,* | *in tabernaculis iustorum.* | 16. * *Dextera Domini fecit virtutem :* | *dextera Domini exaltavit — me :* | *dextera Domini fecit virtutem.* |

17. *Non moriar sed vivam,* | *et narrabo opera Domini.* | 18. *Castigans castigavit me Dominus,* | *et morti non tradidit me.* | 19. *Aperite mihi portas iustitiae,* | *ingressus in eas confitebor Domino.* | 20. *Haec porta Domini ;* | *iusti intrabunt in eam.*

21. *Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me,* | *et factus es mihi in salutem.* | 22. *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes,* | — *hic : factus est in caput anguli ;* | 23. *a Domino factum est istud,* | — *et est hoc : est mirabile in oculis nostris.* | 24. *Haec est dies quam fecit Dominus ;* | *exsultemus et laetemur in ea.* | 25. *O Domine salvum me fac,* | *o Domine bene prosperare !* | 26. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* | *Benediximus vobis de domo Domini :* | 27. *Deus Dominus, et illuxit nobis.* | *Constituite — diem : sollemnem in condensis* | *usque ad cornu altaris.* | 28. *Deus meus — es : tu, et confitebor tibi ;* | *Deus meus — es tu : et exaltabo te.* | — *Confitebor tibi, quoniam exaudisti me :* | — *et factus es mihi in salutem :* | 29. *Confitemini Domino, quoniam bonus ;* | *quoniam in saeculum misericordia eius.*

Adhortatione ad bonitatem Dei laudandam praemissa (v. 1-4) agnoscit populus se semper invenisse auxilium a Domino, in quo omnis fiducia reponenda sit (v. 5-9). Hanc opem divinam modo experti sunt insigniter circumdati a gentibus inimicis contra quas praevaluerint (v. 10-13). Quare Dominum salvatorem cum laetitia exaltant; pompa sollemni ad templum ascendunt Deum laudantes, quod spreti a gentibus tamen fiunt lapis angularis divini aedificii in terris erigendi ; unde cum exsultatione et optima spe festum diem agunt (v. 14-29).

« Laetum carmen est atque dramaticum » (*Ag.*). Carmen ascendentium ad templum indicari videtur v. 19.20 ; dramaticum cernitur in mutua exhortatione et responsione (v. 1-4. 20.26.27). Carmen spectare festum tabernaculorum videtur v. 27. Templum iam est reaedificatum v. 19 ; festum tabernaculorum celebratum esse a reducibus legitur completis moenibus et fuit laetitia magna nimis et terror gentium, ita ut timerent universae gentes quae erant in circuitu nostro et conciderent intra semetipsos et scirent quod a Domino factum esset opus hoc (Neh. 6,15.16 ; 8,14-18). Alii psalmum ad festum dedicationis templi (1 Mach. 4,37.59. 2 Mach. 10,1-7), ad festum tabernaculorum vel ad diem festum Nicanoris referunt (1 Mach. 7,49. 2 Mach. 15,36). Imo *Duhm* in v. 10-18 deprehendere vult carmina militaria Machabaeorum. Sed usque ad hanc periodum descendere minime opus est. Quae in psalmo proponuntur, conditioni illi Neh. 8,14 bene congruunt ; insuper monet *Baethgen* Neh. 1,11 alludi ad v. 25.

Uti 113 b, 9-11, hic quoque populus, sacerdotes, proselyti admonentur, ut celebrent divinam bonitatem ; cf. 105,1 ; 106,1. In quibus experti sint, quoniam bonus Dominus, declarant v. 5 ex angustia clamavi Iah et exaudivit me εἰς πλατυσμόν LXX, Sym εἰς εὐρυχωρίαν, me educens ex angustia in campum latissimum ; cf. 4,2 ; 17,20 ; 30,9. Unde v. 6 Deum sibi adstare scientes firma fiducia confitentur : non

timeo ; quid enim homines facere seu contra me moliri possent ? cf. 55,12 ; et cum emphasi repetunt v. 7 : Iahve pro me inter adiutores meos, et ego pascam oculos meos de odientibus me ; scil. cum oblectatione videbo eorum consilia mala concidisse ; cf. Neh. 4,15 ; 6,16. Re vera experti sunt v. 8 melius esse (unice utile esse) confidere in Domino, quam in homine ; cf. 32,16 ; 43,4.7 ; 61,10 ; 114,11.

Iam quibus tribulationibus expositi fuerint et quomodo in nomine Domini omnes incursus disiecerint, cum gradatione et emphasi triumphantium in modum efferunt v. 10-12 ; est quasi conspectus generalis infestationum praecipue ex tempore reditus ; vide Esdr. 4,4-24 ; 5,3. Neh. 1,3 ; 4,7 Arabes et Ammonitae et Azotii congregati sunt omnes pariter, ut venirent et pugnarent contra Ierusalem et molirentur insidias ; 6,16. Sed horum impugnationes feliciter averterunt : *quia ultus sum in eos* in nomine Domini, Deo praestante opem ; ultus sum, etiam vertit Hier ; hebr אמילם concido eos ? *Duhm* emendat אפילם facio eos cadere ; LXX et Aq ἠμυνάμην αὐτούς, Sym διέθρυψα αὐτούς. Multitudo infestantium et molestia declaratur comparatione v. 12 *sicut apes*, apum more circumvolantium, furiose impetentium, aculeis pungentium, LXX ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον sicut apes favum ; multitudinem et fervorem agendi comparatio innuit. Vehementem impetum et tumultum etiam in alia comparatione videmus expressum et *exarserunt sicut ignis in spinis* ; saevitia eorum et periculum depingitur in v. 13 impulsus pellebar ut caderem et Dominus sustentavit me (Hier) ; Dominus non permisit ut prosternerer ; si me impellebant ad me prosternendum, *Dominus suscepit me*. Cum itaque in v. 13 clare periculum et impugnatio describatur, etiam patet textum mass. in v. 12 : exstincti sunt quasi ignis spinarum (ita etiam Aq Sym syr Hier) non posse esse genuinum, sed sequendum esse textum LXX targum vulg ; in v. 13 fert textus mass. impulisti me דחיתני ad cadendum (allocutio ad quem ? ad Deum, minime congruit — ad gentes ? et subito singularis numerus ?) ; quare scribendum cum LXX syr Hier vulg *impulsus sum*, nisi simpliciter mutata una vocali legere malueris דחיתני impulistis me, id quod ad varios conatus adversariorum impediendi aedificationem templi et murorum urbis apte dicitur.

Unde merito laudant Deum, sicuti olim Ex. 15,2 ; v. 14 *fortitudo mea et laus mea*, carmen, seu hymnus (meus) et cf. Is. 12,2 ; inde v. 15 magna voce exsultatio et salus celebratur : *dextera Domini fecit virtutem*, opus magnum ; cf. Neh. 6,16 ipsae gentes agnoverunt quod a Deo factum esset opus hoc ; *exaltavit me* LXX, syr, nationem oppressam elevavit in libertatem et in prosperam conditionem. Unde confidenter asserunt : *non moriar* v. 17, natio haec non peribit ex albo

nationum, non perdet omnem plane potestatem, ita ut tamquam natio sit mortua ; *sed vivam*, ut natio in libertatem vindicata, cuius erit : *narrabo opera Domini*, qui utique pro peccatis *castigans castigavit me*, gravissima poena exsilii et regni davidici destructione ; *at morti non tradidit me*, exstingui seu plane supprimi nationem non voluit ; reduxit nationem ; iterum constituunt reipublicae corpus.

Quod sequitur v. 19 *aperite mihi* indicare videtur pompam festivam iam consistere ad templi portas et postulare ingressum ; plurali respondet in v. 20 *haec porta Domini* ; portae templi dicuntur *portae iustitiae*, scil. illius iustitiae quam Deus in templo et per templum largiri vult et dare promisit ; sunt itaque portae ad illam iustitiam admittentes ; ingrediar in eas (hebr), celebrabo Dominum. Est itaque apostrophe ad sacerdotes et aedituos, ut aditus patefiat. Isti respondet v. 20 *haec porta Domini*, postulatur conditio ingressus : iusti intrant per eam ; admonentur qua mente oporteat in templum ingredi ; quales merito habitent in tabernaculo Dei, vide 15,1-5 ; 23,3-5.

Et se cultores Dei merito admitti declarant ipsa laude Dei v. 21 laudo, gratias ago quia exaudisti me ; vide v. 14, et quomodo *factus sit in salutem* explicatur v. 22 *lapidem quem reprobaverunt*, bene notat *Calm.* : « proverbii genus est ; is quem ceteri veluti inutilem abiecerant, primus omnium et princeps effectus est ». Populus ille quem gentes despexerant, quem in aedificandis regnis reprobaverant, hic populus *factus est*, destinatus est et fit lapis angularis regni Dei, lapis angularis aedificii Dei, domus illius cuius incolae fieri debent omnes gentes, secundum vaticinia : et ibunt populi multi et dicent ; venite ascendamus ad domum Iacob et docebit nos vias suas (Is. 2,3. Mich. 4,2). Ad locutionem vide Ier. 51,26 de ruina perpetua regni Babel : et non tollent de te lapidem in angulum et lapidem in fundamentum, sed perditus in aeternum eris, ait Dominus. Idem significatur, quod alibi dicitur v. g. Ps. 86 de Sion matre populorum ; Is. 2,3 de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem ; 14,1 adhaerebit advena domui Iacob ; 45,14 nationes te deprecabuntur : tantum in te est Deus ; 60,12 gens et regnum quod non servierit tibi peribit ; Mich. 5, 7 etc. et uti ipse Christus dicit : salus ex Iudaeis est (Ioan. 4,22). Quodsi populus propter vaticinia messiana comparatur lapidi angulari, quanto magis haec designatio propria esse debebit ipsi Messiae ? vide Is. 28,16. Matth. 21,42. Marc. 13,10. Luc. 20,17. Act. 4,11. 1 Petr. 2, 7 ; v. 23 *a Domino factum est istud* et *est mirabile in oculis nostris*, cf. Neh. 6,16 ; est opus potentiae Dei v. 16 ; *mirabile*, Sym παράδοξον ἐφάνη ἡμῖν, ad quod confer 1 Cor. 1,21-25. Id quod hominibus vile et infirmum videtur, seligit Deus ad maxima efficienda.

Ingressi in templum Deum laudant v. 21, populi conditionem miro modo a Deo esse elevatam et in perpetuum stabilitam v. 22-23 agnoscunt, et in huius mutationis documentum ista celebratur festivitas ; quare v. 24 *haec est dies quam fecit Dominus*, hanc sollemnitatem Deo referimus acceptam, *exsultemus* ; cf. Neh. 8,17 et fuit laetitia magna nimis. Potest v. 24 considerari quasi responsum sacerdotum ad verba ingredientium v. 21-23. Quorum admonitioni ipsi respondent laeta exclamatione v. 25 *o Domine*, σῶσον δή, obsecro, Domine, salva, obsecro, Domine, prosperare (Hier), fac prospere eveniat, da prosperitatem ; cf. Neh. 1,11. Exclamatio hosanna hoc loco habetur ; unde aliquod indicium merito habetur festi tabernaculorum, cui nomen est Hosanna rabba, Hosanna magnum (cf. Buxtorf, Lexicon chald. c. 992).

Sacerdotes appropinquantes salutant v. 26 *benedictus qui venit in nomine Domini* ; ita acclamatum fuisse pompae, vel peregrinantibus ad templum, etiam narratione evangelica (Matth. 21,9. Marc. 11,10. Luc. 19,38) innuitur ; et sacerdotes benedicunt appropinquantibus templo : *benedicimus vobis ex domo Domini* ; benedictio fit in nomine Domini cf. Num. 6,27. 2 Sam. 6,18 ; quare explica : quisquis venit, sit benedictus in nomine Domini ; cf. Deut. 21,5. Ps. 128,8. Et huic benedictioni respondet coetus advenientium : v. 27 Deus est Iahve, *et illuxit nobis*, cf. Ex. 13,21 ; ex nocte tribulationum in lucem, felicitatem nos eduxit ; cf. 17,29 ; 26,1 ; 30,17 ; 33,6 ; 35,10 nobis propitius favorem praestitit. Quare iis respondetur, ut pro gratiarum actione sollemnitatem agant ; textum hebr recentiores explicare solent : date (nectite) choream cum ramis usque ad cornua altaris ; saltantes ramos manibus tenebant (cf. Lev. 23,40. 2 Mach. 10,7) iisque cornua altaris tangebant (?) ; veteres de chorea nihil habent ; Sym συνδήσατε ἐν πανηγύρει πυκάσματα ἕως τῶν κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου, colligate in die festo condensa usque ad cornua altaris ; LXX vulg *constituite diem sollemnem in condensis*, coronis et ramis, densis frondibus ac sertis templum ornate (cf. *Chrys. Ag. Gen. Calm.*) ; quae explicatio ad verba et ad sensum satis apta est et certe multo melior quam alia : ligate victimam festi funibus ad cornua altaris. De notione אסר cf. 1 Reg. 20,14 vulg quis incipiet proeliari, LXX τίς συνάψει τὸν πόλεμον ; et *Chrys.* exponit στεφανώματα καὶ κλάδους ἀνάψατε τῷ ναῷ.

Si chorea instituitur, accedit cantatio, quae v. 28.29 proponitur ; cf. v. 21. LXX addit v. 21, qui versus apud alios non repetitur. Concluditur laudatione repetita divinae bonitatis v. 1.

Ps. 118.

Hoc psalmo continetur meditatio de lege Dei vel de revelatione divina, de eius praestantia, laudibus, utilitate cum variis affectibus et animi sensibus. Argumentum psalmi etiam ad tempus exsilii babylonici congruere indicant Origenes (in cat. Cord.), Theodorus heracl. (ad v. 23), anonymus graecus (in cat. passim ad v. 36.39.49-54.69.70.78.85.95.119.155.163), Beda. Atque profecto tempus exsilii, cum pii degerent inter idololatras, oppressi, desiderantes et sperantes reditum, dolentes de poenis peccatorum, quam maxime aptum erat, ut in dies magis amore, aestimatione, meditatione legis occuparentur. Aliis visum est tempus Esdrae et Nehemiae praeprimis aptum esse ad talem meditationem legis commendandam.

Carmen est alphabeticum et ita quidem ut unicuique litterae alphabeti octo assignentur versus, in quibus fere octo illa nomina synonyma recurrunt, quibus divina revelatio appellatur : lex, testimonium, iustitia, iudicium, iustificatio, via (verbum), praeceptum, eloquium. Haec nomina fere iam usurpata sunt Ps. 18,8 sq. in illo encomio revelationis divinae et hic continuo recurrunt. In textu hebr octo haec synonyma reperiuntur sub litteris ב ה ו ח י כ ע פ, in aliis parva quaedam mutatio deprehenditur, ut unum synonymum bis ponatur, et ita unum ex octo illis ea in sectione omittatur. In versibus 176 talis discrepantia deprehenditur 22 vicibus. Attamen censent critici has varietates amanuensibus et scribis esse attribuendas ; psaltem autem in singulis octonariis octo illa synonyma posuisse, eamque normam critice esse restituendam. Qui tamen consideraverit, in 8 strophis haberi legis nomina 8, et in 2×7 strophis haberi nomina 7, in 22 strophis haberi discrepantias 22 et occurrere nomen יהוה 22ies, ab amanuensibus negligentibus formam originalem carminis esse multum corruptam vix credere audebit. Talia enim artificia oscitantia scribarum oriri non solent. Nomina hebr ad designandam legem synonyma sunt haec : תורה, פקודים, עדות, משפטים, ביצות, חקים, דבר, אמרה.

Psaltes mihi in persona piorum loqui videtur. Conditio populi cernitur satis dura et afflicta ; patiuntur ignominiam et irrisionem, plerumque a gentibus, a principibus 22.23.25.28.39.41.49.83-87 etc. ; sed etiam ab impiis Iudaeis 21.53.113.126.139. Praeclare elucet pietas ac devotio quae in animis verorum Israelitarum recondita est ; ferventes proponuntur preces, animi promptitudo ad legis observationem asseritur et efflagitatur, amor legis, horror peccati, dolor de culpis, zelus gloriae Dei, indignatio de apostasia, aversio ab illecebris peccatorum aliaque graviter exponuntur. Sententiae illae certo quodam ordine minime sunt dispositae ; plerumque singuli versus sensum planum et eo versu conclusum exhibent ; saepius tamen duo vel plures aliqua ratione inter se cohaerent. Praecipuum vinculum est ordo alphabeti ; seu habes strophas viginti duas distichorum seu versuum octonorum.

Alii censent auctorem carminis suo solius nomine loqui et esse personam variis indiciis satis determinatam : iuvenem (vv. 9 sq. 99 sq. 141), impiorum

malis exemplis (51.53.61.101.115), sollicitationibus (69.110), contumeliis (22.39.42), vexationibus (87.95.122 al.) impetitum, a principibus seu magistratibus pressum et exagitatum (23.46.161), in vincula coniectum (61), cui mortem minantur (109), qui a Deo et auxilium solatiumque (76.81 sq. 173) et gratiam in iustitia perseverandi (8.29.34.36.73.80.133 al.) efflagitet. Unde psalmum hunc esse compositum a Ieremia, in periodico Revue du Clergé français (1. Nov. 1908, t. 56) suadebatur.

— Alleluia :

א *Aleph*

1. *Beati immaculati in via,* | *qui ambulant in lege Domini.* | 2. *Beati qui scrutantur testimonia eius ;* | *in toto corde exquirunt eum.* | 3. *Non enim qui operantur iniquitatem,* | *in viis eius ambulaverunt.* | 4. *Tu mandasti mandata tua* | *custodiri nimis.* | 5. *Utinam dirigantur viae meae* | *ad custodiendas iustificationes tuas.* | 6. *Tunc non confundar,* | *cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* | 7. *Confitebor tibi in directione cordis,* | *in eo quod didici iudicia iustitiae tuae.* | 8. *Iustificationes tuas custodiam,* | *non me derelinquas usquequaque.*

ב *Beth*

9. *In quo corrigit adolescentior viam suam?* | *in custodiendo sermones tuos.* | 10. *In toto corde meo exquisivi te,* | *ne repellas me a mandatis tuis.* | 11. *In corde meo abscondi eloquia tua,* | *ut non peccem tibi.* | 12. *Benedictus es Domine,* | *doce me iustificationes tuas.* | 13. *In labiis meis pronuntiavi* | *omnia iudicia oris tui.* | 14. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum,* | *sicut in omnibus divitiis.* | 15. *In mandatis tuis exercebor,* | *et considerabo vias tuas.* | 16. *In iustificationibus tuis meditabor,* | *non obliviscar sermones tuos.*

Praedicantur *beati* quorum vitae ratio ac conversatio, *via* est integra, sincera ; est autem talis eorum solum, *qui ambulant in lege Domini*, quorum vitae norma inviolabilis est lex Domini. Huius legis *testimonia*, mandata et admonitiones qui custodiunt (hebr, Hier), et qui *toto corde* Dominum quaerunt, in omnibus eius voluntatem ac beneplacitum exquirunt studio ac meditatione legis, isti sunt *beati* v. 2 ; adnectitur v. 3 : nec operantur iniquitatem, in viis eius ambulant. Tribus primis his versibus describitur homo qui vere *beatus* dici mereatur ; in una re consistit beatitudo : fac legem ; ad id unum singulae notiones convergunt. Et in v. 4 declaratur quam serio Deus hoc praeceperit. Inde enascitur desiderium ac petitio v. 5 *utinam dirigantur*, hebr firmentur *viae meae*, rationes vitae meae, in observatione mandatorum tuorum. Quando mihi promittere possum felicem vitae statum ? quando *non confundar* deceptione, miseria, iniquitate ? si firmiter intueor, menti constanter obtendo omnia mandata tua v. 6. Deum

v. 7 laudabo, ei gratias agam corde recto et sincero ; haec cordis *directio*, rectitudo (hebr) adest, si iustas tuas ordinationes diligenter discere studeo. Haec tua statuta v. 8 custodiam ; sed opus est, ut tu me nunquam derelinquas. Sola enim ope Dei, non viribus naturae, lex Dei ab homine lapso servatur.

Psalmum hunc etiam quasi carmen didacticum ad docendos iuvenes inservisse concludo ex v. 9 *in quo* puram servat (hebr, Sym λαμπρυνει) *adolescentior viam suam*, vitam suam ? « indiget duce qui eum ad portum dirigat ; hoc autem est proprium divinorum oraculorum ; quod enim est equino pullo frenum et domitor, hoc est adolescentibus divinus sermo » (*Theod.*). Petitur in v. 10 ne errare (aberrare) me facias a mandatis tuis (hebr, Hier) ; petitio eadem : et ne nos inducas in tentationem. Et remedium contra peccatum assignatur in v. 11 meditatio sedula : *in corde meo abscondo eloquia tua*, in animo alte ea repono, ne peccem contra te. Hanc vero meditationem fructiferam petit psaltes a Domino v. 12 *benedictus*, celebratus, laudatus sis ; *doce me* statuta tua ; cf. Is. 54,13 universi docti a Domino (Ioan. 6,45). Haec statuta v. 13 enarro, enumero *labiis meis* sermonibus illa laudo et commendo ; ignorantes docebo (*Theod.*). Illa amplectitur cum cordis gaudio v. 14 delector de *via testimoniorum*, de via quam admonitiones tuae mihi ostendunt et praescribunt ; sicut de omni opulentia et ubertate. De illis meditatur, *exercebor*, Hier meditabor, contemplabor vias tuas ; respiciam vias tuas (hebr) ; iisque delector v. 16 hebr.

ג *Gimel*

17. — *Re : tribue servo tuo, vivifica me ;* | *et custodiam sermones tuos.* | 18. *Revela oculos meos,* | *et considerabo mirabilia de lege tua.* | 19. *Incola ego sum in terra ; non abscondas a me mandata tua.* | 20. *Concupivit anima mea desiderare* | *iustificationes tuas in omni tempore.* | 21. *Increpasti superbos ;* | *maledicti qui declinant a mandatis tuis.* | 22. *Aufer a me opprobrium et contemptum,* | *quia testimonia tua exquisivi.* | 23. *Etenim sederunt principes — et : adversum me loquebantur ;* | *servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.* | 24. *Nam et testimonia tua meditatio mea est* | *— et : consilium meum iustificationes tuae.*

ד *Daleth*

25. *Adhaesit pavimento anima mea,* | *vivifica me secundum verbum tuum.* | 26. *Vias meas enuntiavi et exaudisti me ;* | *doce me iustificationes tuas.* | 27. *Viam iustificationum tuarum instrue me ;* | *et exercebor in mirabilibus tuis.* | 28. *Dormitavit anima mea prae taedio :* | *confirma me in verbis tuis.* | 29 *Viam iniquitatis amove a me ;* | *et de lege tua miserere mei.* | 30. *Viam veritatis elegi ; iudicia tua non*

sum oblitus. | 31. *Adhaesi testimoniis tuis, Domine;* | *noli me confundere.* | 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri,* | *cum dilatasti cor meum.*

Bene secundum hebr vertit Hier v. 17 tribue, i. e. si tribuis servo tuo ut vivam, tum *custodiam sermones tuos*; item v. 18 *revela*, retege, aperi *oculos meos*, ut videam mirabilia ex lege tua; caecitas nostra naturalis auferenda est a Domino, ut cernere possimus miros thesauros revelationis divinae. Ad v. 19 vide 38, 13; *incola*, advena, peregrinus multis exponitur periculis si ignorat quae ex legibus regionis facere debeat vel omittere; tales peregrini sumus in terra Domini; quare petimus ad amovenda pericula notitiam legis. Summum desiderium eius cognitionis describitur in v. 20 consumitur (tabescit) anima mea desiderio quo fertur in ordinationes tuas. Quomodo iudicet psaltes de apostatis Iudaeis, videmus v. 21 *increpasti*, increpas superbos maledictos, *qui declinant a mandatis tuis*; sunt insolentes, maledicti, contra quos comminationes Dei in medium affert. Pii irrisionibus apostatarum et alienigenarum exponuntur; populus ab hostibus affligitur; unde v. 22 *aufer a me* ignominiam et contemptum; nam mandata tua servavi — servus tuus fidelis sum, cuius conditio tibi domino cordi esse debet. Ad v. 23 confer quod a propheta scribitur : dominatores eius inique agunt, dicit Dominus (Is. 52, 5); *etenim sederunt*, imo (etsi) sedent principes et contra me loquuntur, Israel meditatur de tuis statutis; etiam admonitiones tuae v. 24 sunt mea delectatio, viri consiliarii mei (hebr); in rebus agendis monita divina sunt consiliarii mei; inde quaero consilia.

Quasi interitui proximus conqueritur populus v. 25 : *adhaeret pulveri anima mea*; *vivifica me secundum verbum tuum*, i. e. suppliciter in pulverem prostratus rogo (secundum alios : summopere humiliatus ac velut in pulverem proiectus rogo) : fac ut valeam vivere secundum verbum tuum, iuxta sacram legem tuam. Semper tibi v. 26 *vias meas*, negotia, necessitates exposui, et tu *exaudisti me*, nunc tu *doce me* statuta tua. Bene declaratur v. 27 opus esse institutione divina, ut rite meditari possimus de mirabilibus Dei : *instrue me et exercebor* i. e. si me instruxeris de *via*, de ratione et modo mandatorum tuorum, tum meditabor in mirabilibus tuis. In quanta tristitia quandoque versetur populus, collige ex v. 28 lacrimatur anima mea prae moerore, erige me secundum verbum tuum, promissionem tuam (hebr); LXX, vulg *confirma me* eloquiis tuis; effata tua sint mea confortatio. Serva me a peccato; v. 29 viam mendacii amove a me i. e. viam qua fierem tibi mendax et infidelis, periculum apostasiae aufer a me; unde petit : legem tuam misericorditer tribue mihi : efflagitat gratiam ut doctrinâ

legis servetur ab impietate ; v. 30 *viam veritatis* (in oppositione ad viam mendacii), cultus et servitii Dei *elegi* ; praecepta tua seu iudicia tua proponebam (Hier) ; emenda hebr iudicia tua desidero. Intime v. 31 adhaereo monitionibus tuis, ne permittas me confundi i. e. eripe me ex miseria et afflictione. Quando mandata Dei suavia fiant ac facilia declaratur v. 32 *viam mandatorum* curram, quoniam tu dilatas, latum facis, cor meum ; cf. Is. 60, 5 ; dilatare cor est animos addere, confidentem et bene sperantem reddere, vires addere et quasi alas adiungere animo (*Ag.*).

ה *He*

33. *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum,* | *et exquiram eam semper.* | 34. *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam,* | *et custodiam illam in toto corde — meo :* | 35. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum,* | *quia ipsam volui.* | 36. *Inclina cor meum in testimonia tua,* | *et non in avaritiam.* | 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem,* | *in via tua vivifica me.* | 38. *Statue servo tuo eloquium tuum,* | *in timore tuo.* | 39. *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum,* | *quia iudicia tua iucunda.* | 40. *Ecce concupivi mandata tua ;* | *in aequitate tua vivifica me.*

ו *Vau*

41. *Et veniat super me misericordia tua, Domine ;* | *salutare tuum secundum eloquium tuum.* | 42. *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum,* | *quia speravi in sermonibus tuis.* | 43. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque,* | *quia in iudiciis tuis supersperavi.* | 44. *Et custodiam legem tuam semper,* | *in saeculum et in saeculum saeculi.* | 45. *Et ambulabam in latitudine,* | *quia mandata tua exquisivi.* | 46. *Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum :* | *et non confundebar.* | 47. *Et meditabar in mandatis tuis,* | *quae dilexi.* | 48. *Et levavi manus meas ad mandata tua, quae dilexi ;* | *et exercebar in iustificationibus tuis.*

Petitiones ponuntur pro intelligentia et observatione legis v. 33-38. Et v. 33 doce me viam praeceptorum tuorum et custodiam eam semper ; עקב LXX διὰ παντός ; sed v. 112 propter retributionem ; item v. 34 *da mihi intellectum*, ut observem legem tuam et custodiam illam in toto corde ; item v. 35 *deduc me*, quia in ea mihi complaceo : v. 36 *et non in avaritiam*, quae bonis altioris ordinis maxime opposita est et plurimorum peccatorum radix fecunda ; cf. 1 Reg. 8, 3. Petit, ut cohibeatur concupiscentia oculorum v. 37 *averte oculos meos* ab aspectu vanitatis ; sensus internos v. 36 et externos Deus regere debet, ne in perversas et malas concupiscentias homo prorumpat ; cf. Iob 31, 1.7 ;

in via tua, in vita secundum legem tuum *vivifica me* fac me vivere, fac me promptum ac vigentem ; v. 38 *statue* suscita *servo tuo eloquium tuum* quod timori tuo (hebr), cultui tuo seu pietati congruit ; ea quae Deus promisit fidelibus suis cultoribus, ut sibi quoque exhibeantur flagitat ; ita bene *Gen.* praesta tuum promissum mihi qui servus tuus et cultor tuus sum, item *Ag.* quae timentibus te pollicitus es, mihi re et factis exhibe ; cf. Lev. 26. Et statim unum distincte postulat ex promissis v. 39 *amputa*, averte (hebr idem verbum, quod v. 37) *opprobrium meum* quod timeo, vide v. 22 ; irrisiones inimicorum et contemptus ; cf. Is. 42, 22, et vermis Iacob 41, 14 ; *iudicia tua iucunda*, quia statuta tua ego amo, mei curam gere et averte ignominiam ; idque repetito petit v. 40 *ecce*, desidero mandata tua ; iustitia tua *vivifica me* i. e. exercitio iustitiae tuae in oppressores et in servos tuos, in illos iusta punitione, in servos tuos iusta impletione promissionum, *vivifica me*, ad novam vitam me revoca.

Eadem petitio recurrit v. 41 optantis in modum : *veniat*, *secundum eloquium* i. e. secundum promissionem tuam, ut respondere possim exprobrantibus mihi, conviciatoribus meis ; accepta ope tua firmiter potero obsistere et me defendere contra obtrectatores ; hanc opem mihi confer, *quia speravi* in verbo tuo. Hanc spem ut sibi conservet, petit quoque a Deo v. 43 *ne auferas de ore meo*, hoc *verbum veritatis*, eloquia Dei et promissiones sint in ore meo ad meam in miseriis consolationem, etiam ad respondendum obtrectatoribus, ad eorum irrisiones repellendas ; nam iudicia tua exspecto (hebr) ; quae tu statuisti ac promisisti, haec exspecto. Dein renovat propositum v. 44 *custodiam legem*, et v. 45 concede mihi, ut ambulem *in latitudine*, in loco lato remotis impedimentis ; in hebr est forma cohortativa imperf. item in v. 46-47 ; LXX vulg efferunt formam narrativam : ambulabam, loquebar etc. ; bene Hier : ambulabo, loquar, delectabor, levabo. Optat ambulare, vitam agere in spatioso (Hier), sine molesta angustia, libere ac tuto ; idque petit Deo proponens assiduum studium legis : *quia mandata tua exquiro* ; neque confunditur gloriari de lege etiam coram regibus et nobilibus gentium v. 46 *loquar*, *et non confundar* ; quanti aestimet beneficium legis declarat hac voluntate gloriandi de lege Dei libere etiam coram regia maiestate (cogita de prophetis et de septem martyribus 2 Mach. 7) ; v. 47 et delectabor in mandatis tuis quae diligo ; v. 48 levabo manus meas ; levare manus alias est gestus orantis, iurantis (27, 2 ; 62, 5) ; hic erit gestus desiderantis complecti legem, nam subditur : quae diligo et meditabor de tuis statutis.

ז *Zain*

49. *Memor esto verbi — tui : servo tuo,* | *in quo mihi spem dedisti.* | 50. *Haec me consolata est in humilitate mea,* | *quia eloquium tuum vivificavit me.* | 51. *Superbi inique agebant usquequaque ;* | *a lege — autem : tua non declinavi.* | 52. *Memor fui iudiciorum tuorum a saeculo,* | *Domine, et consolatus sum.* | 53. *Defectio tenuit me pro peccatoribus* | *derelinquentibus legem tuam.* | 54. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuae* | *in loco peregrinationis meae.* | 55. *Memor fui nocte nominis tui, Domine,* | *et custodivi legem tuam.* | 56. *Haec facta est mihi,* | *quia iustificationes tuas exquisivi.*

ח *Heth*

57. *Portio mea, Domine, dixi,* | *custodire legem tuam.* | 58. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde — meo :* | *miserere mei secundum eloquium tuum.* | 59. *Cogitavi vias meas,* | *et converti pedes meos in testimonia tua.* | 60. *Paratus sum et non sum turbatus,* | *ut custodiam mandata tua.* | 61. *Funes peccatorum circumplexi sunt me ;* | *— et : legem tuam non sum oblitus.* | 62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi,* | *super iudicia iustificationis tuae.* | 63. *Particeps ego sum omnium timentium te,* | *et custodientium mandata tua.* | 64. *Misericordia tua, Domine, plena est terra ;* | *iustificationes tuas doce me.*

Domine v. 49 memor esto verbi ad servum tuum, promissionis quam populo tuo dedisti, quia me fecisti exspectare (hebr). Istud verbum promissionis est *mea consolatio in humilitate mea* v. 50, in mea miseria et afflictione scil. hoc eloquium tuum me vivificat, mihi dat vitam : animum meum et spem mihi servat et erigit. Et quantum eiusmodi confortatione opus sit, collige ex v. 51 *superbi*, insolentes, procaces derident me nimis (hebr, Hier) ; at *a lege tua non declinavi* ; consolationem contra ludibria invenit in cogitatione et memoria legis v. 52. Verum v. 53 *defectio*, aestus irae, horror, *tenuit me* propter apostatas. Hi legem spernunt ; at mihi v. 54 cantiones sunt tua statuta in domicilio peregrinationis meae ; cf. ad v. 19. Neque die solum, verum nocte quoque v. 55 *memor sum nominis tui*, ut custodiam legem tuam. Quod sequitur v. 56 *haec*, hoc factum est mihi, veteres referunt ad antecedentia : tui esse memorem die ac nocte, mihi contigit, *quia iustificationes tuas exquisivi* ; recentiores *hoc* referunt ad membrum subsequens, et *quia* explicat, quid ei factum sit : hoc mihi factum (tributum) est, ut praecepta tua servem ; observare tua mandata, haec est pars mea ; uti in v. 57.

Amor et aestimatio legis eximie significatur v. 57 *portio mea*, pars mea, quasi thesaurus et peculium meum (15, 5 ; 72, 26) est : *custodire*

legem tuam ; id firmiter asseritur : *dixi*, dico. Ad id efflagitat favorem Dei v. 58 *deprecatus sum faciem tuam*, gratiam tuam exquiro et imploro ; v. 59 considero *vias meas*, meas agendi rationes, et *pedes meos* converto, dirigo ad tuas admonitiones, ut secundum eas cursum vitae instituam. In v. 60 zelus et promptitudo in hebr exprimitur : festino, et non tardo, ad custodienda mandata tua ; *paratus sum* ; insidiis impiorum opponit piam memoriam ac recordationem legis v. 61 *funes* (17, 6) *peccatorum*, impiorum implicaverunt me (Hier) ; *legem tuam non sum oblitus*. Item demonstratur fervor v. 62 *media nocte* surgo ad gratias agendas tibi propter iustas tuas leges et ordinationes. Et v. 63 *particeps*, socius sum et amicus *omnium timentium te* qui pie te colunt ; *misericordia tua* v. 64 gratia tua et benignitate, *plena est terra* ; cf. 32, 5 ; 103, 24 ; nullos terrae incolas pateris esse expertes misericordiae ; ubique terrarum lucet Dei bonitas (*Gen.*) ; ex hac plenitudine tamquam praecipuum sibi exposcit : statuta tua *doce me*, fac me discere.

ט *Teth*

65. *Bonitatem fecisti cum servo tuo,* | *Domine, secundum verbum tuum.* | 66. *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me,* | *quia mandatis tuis credidi.* | 67. *Priusquam humiliarer, ego deliqui ;* | *propterea eloquium tuum custodivi.* | 68. *Bonus es tu,* | *et in bonitate tua doce me iustificationes tuas.* | 69. *Multiplicata est super me iniquitas superborum,* | *ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.* | 70. *Coagulatum est sicut lac cor eorum ;* | *ego — vero : legem tuam meditatus sum.* | 71. *Bonum mihi quia humiliasti me,* | *ut discam iustificationes tuas.* | 72. *Bonum mihi lex oris tui* | *super millia auri et argenti.*

י *Iod*

73. *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me ;* | *da mihi intellectum et discam mandata tua.* | 74. *Qui timent te videbunt me et laetabuntur,* | *quia in verba tua supersperavi.* | 75. *Cognovi Domine, quia aequitas iudicia tua ;* | *et — in : veritate — tua : humiliasti me.* | 76. *Fiat misericordia tua ut consoletur me,* | *secundum eloquium tuum servo tuo.* | 77. *Veniant mihi miserationes tuae et vivam,* | *quia lex tua meditatio mea — est :* | 78. *Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me :* | *ego autem exercebor in mandatis tuis.* | 79. *Convertantur mihi timentes te,* | *et qui noverunt testimonia tua.* | 80. *Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis,* | *ut non confundar.*

Agnoscit populus v. 65 se expertum esse, quod Deus ei bona praestiterit. In v. 66 hebr bonum sensum (טעם, gustum, intellectum, prudentiam) et cognitionem doce me ; nam mandatis tuis credo. Agnos-

cit v. 67 peccatum meruisse poenam, sed ex poena exstitisse salutarem emendationem : *priusquam humiliarer*, ego delinquens, errans; at nunc eloquium tuum custodio. In v. 69 vertit Hier : applicabant mihi mendacium superbi, proprie : agglutinant mihi mendacium ; populus calumniis exponitur ; contra quas affirmat : ego toto corde servo mandata tua. Illos superbos calumniatores spectare videtur descriptio in v. 70 hebr obtusum sicut adeps cor eorum ; *coagulatum*, constrictum est cor eorum ; « induratum cor habent, sicut induratur caseus ex lacte coagulato confectus » (*Bellarm.*) ; vertit Hier : incrassatum est velut adeps cor eorum ; et ego in lege tua delectabar ; explica tempore praesenti : meditor, hebr delector lege tua. In v. 71 agnoscitur iterum, ut v. 67, utilitas afflictionis ; cf. Is. 28, 19 sola vexatio intellectum dabit. Quanti lex sit aestimanda, innuitur v. 72 *super millia auri et argenti*, « amplius diligat caritas legem Dei, quàm diligit cupiditas millia auri et argenti » (*Aug.*) ; hac aestimatione lex aequiparatur sapientiae ; cf. Prov. 3, 14. 15 ; 8, 11. Iob 38, 15-19. Sap. 7, 9.

Imploratur v. 73 Deus creator, ut det intellectum ad discenda mandata ; cf. Iob 10, 8 ; v. 74 *qui timent te, videbunt me*, quando me viderint ereptum ex hisce malis, laetabuntur ; vel simpliciter : veri tui cultores videntes me laetantur, quia exspecto verbum (promissionis) tuum ; spes mea omnes pios erigit et confortat. Omnia iudicia Domini v. 76 sunt iustitia, LXX δικαιοσύνη, *aequitas* ; et quia sunt iustitia, ideo *in veritate humiliasti me*, veritas Dei (qua comminationes poenarum contra delicta debet in opus deducere) postulabat, ut ego affligerer. Nunc autem poenâ inflictâ *fiat misericordia* v. 76 ; sicut minas, ita et promissiones imple, quas servo tuo dedisti. Si venerint v. 77 *mihi miserationes tuae*, tunc *vivam* ; vel veniant, ut vivam ; tunc ad novam vitam resurgam, ad prosperitatem perveniam ; id autem mihi continget, *quia lex tua* delectatio mea est (hebr, Hier). Oppressores mei *superbi confundantur* v. 78, *quia iniuste* mendaciter, sine causa, me contriverunt (Hier) ; Deus in veritate me afflixit, superbi non iuste, cf. Is. 52, 4 Assur absque ulla causa calumniatus est eum ; ita שקר opponitur voci אמונה in v. 75. Ad me autem *convertantur* v. 79, mihi adiungantur, qui cultores tui tuam legem norunt ; *fiat*, seu sit *cor meum* v. 80 perfectum in praeceptis tuis (Hier), *ut non confundar* ; confusio et ignominia erit transgressoribus, honor et pax observantibus ; cf. v. 5. 22. 31. 39.

כ *Caph*

81. *Defecit in salutare tuum anima mea,* | *— et : in verbum tuum supersperavi.* |
82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum,* | *dicentes : quando consolaberis me ?* |

83. *Quia factus sum sicut uter in pruina,* | *iustificationes tuas non sum oblitus.* | 84. *Quot sunt dies servi tui,* | *quando facies de persequentibus me iudicium?* | 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes,* | *sed non ut lex tua.* | 86. *Omnia mandata tua veritas;* | *inique persecuti sunt me, adiuva me.* | 87. *Paulo minus consummaverunt me in terra,* | *ego autem non dereliqui mandata tua.* | 88. *Secundum misericordiam tuam vivifica me,* | *et custodiam testimonia oris tui.*

ל *Lamed*

89. *In aeternum Domine,* | *verbum tuum permanet in coelo.* | 90. *In generationem et generationem veritas tua;* | *fundasti terram et permanet.* | 91. *Ordinatione tua perseverat dies;* | *quoniam omnia serviunt tibi.* | 92. *Nisi quod lex tua meditatio mea — est:* | *tunc forte periissem in humilitate mea.* | 93. *In aeternum non obliviscar iustificationes tuas,* | *quia in ipsis vivificasti me.* | 94. *Tuus sum ego, salvum me fac,* | *quoniam iustificationes tuas exquisivi,* | 95. *Me exspectaverunt peccatores, ut perderent me;* | *testimonia tua intellexi.* | 96. *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.*

Maxime desiderat v. 81 *salutare*, opem divinam, consolationem, liberationem a miseria; exspectat *verbum* i. e. impletionem verbi promissionis. Ardenti ea exspectatione ipsi *oculi deficiunt* prae desiderio v. 82, consumuntur, tabescunt; miseram explicat conditionem, qua rationem reddit gemitus illius *quando consolaberis me*? v. 83 *quia factus sum* sicut uter in fumo (hebr), targum: sicut uter suspensus ad fumum, quo uter constringitur, rugosus fit et niger; ita ego miseria quoque constringor et amissa venustate prae dolore vultus meus corrugatur; miserum ac deformem praebeo aspectum. Item uter *pruina* (LXX, Sym, syr, Hier) quoque rugas contrahit. Textus hebr etiam concipi potest cum Hier et recentioribus: cum essem, vel etsi sum velut uter in fumo, tua statuta non obliviscor. Nescio fueritne in more positum apud Hebraeos quod de Romanis notum est, utres vino impletos in fumario esse suspensos, quo vinum citius inveterasceret et crudum novi vini saporem deponeret. Anxie quaerit v. 84, quando tandem Deus in persecutores velit iudicium devolvere. Videntur intelligi impii Iudaei; nam in v. 85 hebr dicitur: foderunt mihi foveas superbi, qui non secundum legem tuam (vivunt); foderunt foveas praebent Aq Sym quinta syr Hier targum; LXX vulg *narraverunt fabulationes*, ἀδολεσχίας, LXX שיח cf. 104, 34 hebr, ubi eam vocem LXX vertunt ἡ διαλογή, fovea שוחה, « exigua vocis mutatione nunc foveas significat, nunc fabulationes et cantilenas » (*Ag.*). Dei *mandata sunt veritas* v. 86; at adversarii mei me persequuntur mendacio, vide v. 69 hebr; Hier: falso persecuti sunt me. Et in quantam inciderit calamitatem, indicatur v. 87

paululum abfuit quin me perderent; at *ego non dereliqui mandata tua*; in extrema miseria pii fidem ac spem firmiter retinuerunt: quare merito petunt v. 88 pro tua gratia et secundum tuam benignitatem serva vitam meam, me eripe ex miseria ad novam vitam ut custodiam monita tua.

Praedicatur inconcussa firmitas verbi Dei v. 89 : *permanet in coelo*, in perpetuum stabilitum apud Deum in coelis; vide 88,3 ; aliqui emendant : sicut coelum; cf. 88, 30. 37 ; eius firmitas et permanentia illustratur permanentia et stabilitate terrae v. 90 et confirmatur v. 91 : ordinatione tua stant (coelum et terra) usque hodie (hebr, Hier), *quia omnia tibi serviunt* (servi tui, hebr). LXX, vulg in v. 91 tertium addunt : sicut *dies perseverat*, sicut Deus ordinavit ut dies diem exciperet, ut dies constanter recurrat, ita lex Dei perennis et constans. Porro v. 92 uni delectationi legis acceptum fert, quod in afflictione eousque non perierit : nisi lex tua delectatio mea (hebr, Hier) esset, periissem in pressura mea (Hier). Inde spondet v. 93 se nunquam legem oblivioni daturum, quia in ea et per eam me in vita conservasti ; legi Dei debetur vita Israel; propter foedus et ordinationes Dei natio Israel non est exstincta. Propter idem foedus unusquisque Israelita dicere potest v. 94 *tuus sum ego* ; et quia tuus, *salvum me fac* et utpote tuus, etiam praecepta tua quaero, quod studium piorum simul ratio est, cur fidenter petant : salva me. En, fidelitatem servavi et servo v. 95 : *peccatores*, impii, me exspectant ad perdendum me, me praestolantur, insidiantur, ut perdant me; ego autem attendo ad testimonia, seu admonitiones tuas. Et quam excellens sit mandatum Dei seu lex, praeclare affirmatur v. 96 *omnis consummationis*, perfectionis, cuiusque rei perfectae, *vidi finem*; omnis perfectio terrena habet finem; vidi finem esse; Sym πάσης κατασκευῆς εἶδον πέρας, res quaecumque, quantumvis perfecta sit, limitem habet et certo quidem limite seu fine concluditur, at *latum mandatum tuum nimis*, habet quandam immensitatem, quia est veritatis et voluntatis Dei imago expressa. Haec summa eius laus est atque commendatio.

מ *Mem*

97. *Quomodo dilexi legem tuam, — Domine :* | *tota die meditatio mea est.* | 98. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo,* | *quia in aeternum mihi est.* | 99. *Super omnes docentes me intellexi,* | *quia testimonia tua meditatio mea — est :* | 100. *Super senes intellexi,* | *quia mandata tua quaesivi.* | 101. *Ab omni via mala prohibui pedes meos,* | *ut custodiam verba tua.* | 102. *A iudiciis tuis non declinavi,* | *quia tu legem posuisti mihi.* | 103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua,* | *super mel ori meo.* | 104. *A mandatis tuis intellexi,* | *propterea odivi omnem viam iniquitatis.*

נ *Nun*

105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* | 106. *Iuravi et statui* | *custodire iudicia iustitiae tuae.* | 107. *Humiliatus sum usquequaque Domine,* | *vivifica me secundum verbum tuum.* | 108. *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine,* | *et iudicia tua doce me.* | 109. *Anima mea in manibus meis semper,* | *et legem tuam non sum oblitus.* | 110. *Posuerunt peccatores laqueum mihi,* | *et de mandatis tuis non erravi.* | 111. *Hereditate acquisivi testimonia tua in aeternum,* | *quia exsultatio cordis mei sunt.* | 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas* | *in aeternum propter retributionem.*

Legem Dei diligit, unde continuo eam meditatur. Dilectio augetur (v. 97 quam diligo, quantopere diligo) ex eius eminentia; nam v. 98 lex tua facit ut sapientior sim quam inimici mei, quam gentes, quarum superstitiones, notiones de diis Israelita pius spernit; et eminentia legis in eo consistit *quia in aeternum mihi est*, est possessio aeterna, thesaurus perpetuo manens, in oppositione ad humana figmenta quae dies delet. In lege reperiri sapientiam talem quam nemo doctorum hominum docere possit, ergo sapientiam omni humana altiorem, videtur declarari v. 99.100 : doctores, senes eminent sapientia naturali inter mortales; altiorem, supernaturalem sapientiam habet is qui custodit mandata Dei. Observantiam huius legis describit v. 101.102, est scil. recedere ab omni malo, sequi praescriptiones Dei *quia tu docuisti me* (hebr, in oppositione ad *docentes* v. 99). Eloquia Dei pia meditatione perpensa *quam dulcia* sunt! cf. 18,11 ; mandatis Dei veram nactus est sapientiam v. 104 ; propterea odio habet omnem viam mendacii (hebr, Hier); via mendacii est idololatria et iniquitas; nam lex Dei est veritas v. 86.

Lex Dei est lux, qua recta via nobis ostenditur v. 105; vide 18,9. Prov. 6,23. Hanc legem, ut custodiat, iuramento tenetur: Hier : iuravi (et perseverabo) ut custodiam; fortasse melius : iuravi, et fideliter praestabo, custodire etc.; promissionem utique populus dedit Ex. 19,8; cf. Neh. 10,29. Nunc quidem v. 107 afflictus sum valde, sed *vivifica me*, ut promisisti; fac ut inter adversitates secundum legem tuam vivere non desinam. Placeant tibi v. 108 *voluntaria oris mei*, oblationes oris, orationes, hymni, actiones gratiarum, et hic ob membrum subiunctum praecipue petitiones. Intelligit *Theod.* ea quae non legis necessitate exiguntur, sed fructus sunt mentis piae ac religiosae. In v. 109 *anima mea* in manu mea semper (hebr, Hier, Aq, quinta) i. e. semper periclitor, in periculo vitae versor; vide Iud. 12,3. 1 Sam. 19,5: periculo mortis est expositus; 18, 21. Iob. 13,14. Et hoc peri-

culum assignat v. 110 *posuerunt* impii laqueum mihi; ut hereditatem accepi testimonia tua, ut hereditatem in aeternum v. 111; ad ea opere facienda inclino cor meum, in aeternum merces, Hier propter aeternam retributionem (ita Sym quoque).

ס *Samech*

113. *Iniquos odio habui, | et legem tuam dilexi.* | 114. *Adiutor et susceptor meus es tu; | — et : in verbum tuum supersperavi.* | 115. *Declinate a me maligni; | et scrutabor mandata Dei mei.* | 116. *Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam, | et non confundas me ab exspectatione mea.* | 117. *Adiuva me, et salvus ero; | et meditabor in iustificationibus tuis semper.* | 118. *Sprevisti omnes discedentes a iudiciis tuis, | quia iniusta cogitatio eorum.* | 119. *Praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae; | ideo dilexi testimonia tua.* | 120. *Confige timore tuo carnes meas; | a iudiciis enim tuis timui.*

ע *Aïn*

121. *Feci iudicium et iustitiam; | non tradas me calumniantibus me.* | 122. *Suscipe servum tuum in bonum; non calumnientur me superbi.* | 123. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum | et in eloquium iustitiae tuae.* | 124. *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam; | et iustificationes tuas doce me.* | 125. *Servus tuus — sum : ego; da mihi intellectum, | ut sciam testimonia tua.* | 126. *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam.* | 127. *Ideo dilexi mandata tua | super aurum et topazion.* | 128. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar; | omnem viam iniquam odio habui.*

In v. 113 voce hebr סעפים designantur titubantes, qui quasi animis divisi inter bonum et malum claudicant in partem utramque; vide 3 Reg. 18,21; tales vacillantes, ambiguos, incertos odio habeo; ipse vero profitetur v. 114 protectio mea et scutum meum tu es (hebr, Hier), verbum tuum exspecto; promissionem tuam exspecto; v. 115 cf. 6,9; 116 confirma, fulci me (in vita) secundum verbum tuum, verbo tuo Aq syr targum, ut vivam; me sustenta in tuis mandatis, ut feliciter vivam, neve permittas ut ab exspectatione seu spe mea cum confusione decidam; v. 118 *sprevisti,* abiicis recedentes a statutis tuis, quia mendacium fraus eorum, i.e. dolus seu fraus eorum erit sine successu, frustra; Hier: quia mendax cogitatio eorum. Sym ματαία γὰρ πᾶσα ἡ δολιότης αὐτῶν vanus omnis eorum dolus. In v. 119 *praevaricantes*, hebr scorias, Hier quasi scoriam computasti omnes impios terrae; secundam personam efferunt Aq Sym Theod quinta, sed cum LXX, vulg *reputavi* recentiores praeferunt primam personam;

v. 120 vertit Hier : horripilavit a timore tuo caro mea, explica : horret caro mea, Sym ὀρθοτριχεῖ ὑπὸ φόβου σου ἡ σάρξ μου, cuius versionem, uti saepe Hier secutus est. LXX, vulg *confige timore tuo*, eandem notionem expressit Aq ἠλώθη ἀπὸ πτοήσεώς σου ἡ σάρξ μου, iam *Bellarm.* monet a verbo מסמר formari nomen מסמר (מִשְׁמָר) *clavus* (cf. Is. 41,7. Ier. 10,4. Eccle. 12,11.1 Chr. 22,3.2 Chr. 3,9); unde voci notio configendi attribui potest (sim. *Ag. Gen.*).

Petit v. 121 ut innocens non derelinquatur *calumniantibus* i.e. oppressoribus, calumniari induit notionem opprimendi apud latinos. In v. 122 hebr sponde (Hier), seu fideiube, Aq Theod ἐγγύησαι pro servo tuo in bonum; LXX Sym vulg *suscipe*; est unicus versus in quo nomen unum ex octo illis pro lege non reperitur. Quare facile errorem suspicaberis; emendant : oppignera *verbum tuum* in bonum, ne me opprimant superbi; quae petitio nititur in norma retributionis. Ad v. 123 vide v. 81. Monet v. 125 en, tuus sum; doce me, ut sciam, cognoscam admonitiones tuas. Et in v. 126 compellatio fit ad Dominum, tempus est ut facias, Domine (Hier), similiter vulg, hebr tempus faciendi (est) Domino, item LXX i.e. tempus est ut Dominus agat ; uti Theod. heracl. refert, alius interpres habet καιρὸς κατορθώσεως, tempus instaurationis; tempus iudicii et instaurationis utique arcte iungitur in visionibus prophetarum. Cur vero tempus agendi adsit Domino, ratio est : *dissipaverunt legem tuam*; imploratur Dominus contra impios ex populo, qui gentium vivendi mores adoptarunt. Aliis placuit acceptio : tempus est ut nos faciamus voluntatem Domini eo fervention. Inveniunt aliqui difficultatem, ad quid referatur v. 127 *ideo*, propterea; at res videtur valde plana; quia alii dissipant et violant legem tuam (*Ag. Bellarm.*), ideo diligo ego et v. 128 universa tua praecepta servo. Quantopere aestimanda sit lex, ostenditur *super aurum et topazion*; topazos, gemma, « est lapis pellucidus aureo quodam splendore refulgens » (Strabo 16,4,6) ; hebr non lapis pretiosus legitur, sed פז aurum purissimum; plura v. apud *M. Hagen*, Lexicon bibl. III, 1204-5 s. v. Topazius et I. 488 s. v. Aurum.

פ, *Phe*

129. *Mirabilia testimonia tua :* | *ideo scrutata est ea anima mea.* | 130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat* | *— et : intellectum dat parvulis.* | 131. *Os meum aperui et attraxi spiritum,* | *quia mandata tua desiderabam.* | 132. *Aspice in me et miserere mei* | *secundum iudicium diligentium nomen tuum.* | 133. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum,* | *et non dominetur mei omnis iniustitia.* | 134. *Redime me a calumniis hominum,* | *ut custodiam mandata tua.* | 135. *Faciem tuam*

illumina super servum tuum, | et doce me iustificationes tuas. | 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, | quia non custodierunt legem tuam.*

ץ, *Sade*

137. *Iustus es, Domine, | et rectum iudicium tuum.* | 138. *Mandasti iustitiam testimonia tua, | et veritatem tuam nimis.* | 139. *Tabescere me fecit zelus meus, | quia obliti sunt verba tua inimici mei.* | 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer, | et servus tuus dilexit illud.* | 141. *Adolescentulus sum ego et contemptus; | iustificationes tuas non sum oblitus.* | 142. *Iustitia tua iustitia in aeternum; | et lex tua veritas.* | 143. *Tribulatio et angustia invenerunt me; | mandata tua meditatio mea — est:* | 144. *Aequitas testimonia tua in aeternum; | intellectum da mihi et vivam.*

Testimonia seu admonitiones Dei pro sapientia, profunditate, sublimitate, utilitate sua admirationem excitant; magni ea aestimare oportet; ideo observat ea anima mea (hebr); in v. 130 ostium sermonum tuorum lucidum est (hebr, Hier), lucet, i.e. sermones sunt ostium per quod intratur ad veram cognitionem et ostium hoc luce sua invitat homines et sese quasi offert; LXX ἡ ἔκλωσις, *declaratio*, explicat metaphoram : porta ad sermones capiendos; docet *parvulos*, simplices. Magnum describitur desiderium v. 131 ore aperto et anhelante, tali desiderio concupisco tua mandata. Ad me v. 132 respice, te converte *et miserere mei secundum iudicium*, secundum normam, qua soles agere et esse propitius iis qui diligunt nomen tuum, te et tuam manifestationem seu revelationem. Vitam et actiones meas, *gressus meos* v. 133 confirma in eloquio tuo, ne qua iniquitas mihi dominetur; Hier : et ne des potestatem in me universae iniquitati; cui petitioni similis est illa in v. 134 *redime me* ab oppressione, seu violentia hominis, et *custodiam mandata tua* : petit, ne impediatur; ceterum in oppressione periculum quoque est : nam 124,3 non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Ad v. 135 vide 4,7; 30,17; 35,10; 43,4; 66,2; 79,4. Vehementi dolore pii prosequuntur contemptum et negligentiam legis : rivi aquarum fluebant de oculis meis (Hier); cf. Ier. 9,1.18; 13,17; 14,17.

In v. 138 sensum rite explicant *Ag. Gen.* mandasti testimonia tua seu statuta vel leges, quae sunt iustitia et veritas; praecepisti ut leges iustissimae et verissimae observarentur; explica iustitiam, veritatem ex hebr adverbialiter : iuste, vere; illud *tuam* neque hebr neque graece legitur. Conficior zelo et indignatione propter transgressores legis v. 139 : absumit me zelus meus; cf. 68,10, LXX Aq ὁ ζῆλός σου, zelus tui causa, zelus pro te. Idque eo magis, quia v. 140 *ignitum*,

purum est *eloquium tuum*, vide 11,7; 17,31. Sunt qui v. 141 non de iuventute psalmistae explicent, sed uti Hier, Sym vertant : *parvus sum ego*, natio parva et contemptui habita; sic צעיר adhibetur, uti Iud. 6,15 ; 1 Sam. 9,21 etc.; v. 143 *tribulatio et angustia invenerunt me* et in hac afflictione delectatio mea (hebr) sunt mandata tua: vide v. 92; v. 144 *aequitas*, iustitia (hebr) LXX δικαιοσύνη sunt admonitiones tuae in aeternum, uti in v. 142; 110,7; doce me et vivam: opus est tua institutione, ut tandem ad vitam felicem perveniam, ad vitam tuae voluntati ac legi congruam.

ק *Coph*

145. *Clamavi in toto corde — meo : exaudi me,* | *Domine, iustificationes tuas requiram.* | 146. *Clamavi ad te, salvum me fac.* | *ut custodiam mandata tua.* | 147. *Praeveni in maturitate et clamavi,* | *— quia : in verba tua supersperavi.* | 148. *Praevenerunt oculi mei — ad te : diluculo,* | *ut meditarer eloquia tua.* | 149. *Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine,* | *et secundum iudicium tuum vivifica me.* | 150. *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati;* | *a, lege — autem : tua longe facti sunt.* | 151. *Prope es tu, Domine;* | *et omnes viae tuae veritas.* | 152. *Initio cognovi de testimoniis tuis,* | *quia in aeternum fundasti ea.*

ר *Res*

153. *Vide humilitatem meam et eripe me,* | *quia legem tuam non sum oblitus.* | 154. *Iudica iudicium meum et redime me;* | *propter eloquium tuum vivifica me.* | 155. *Longe a peccatoribus salus,* | *quia iustificationes tuas non exquisierunt.* | 156. *Misericordiae tuae multae, Domine;* | *secundum iudicium tuum vivifica me.* | 157. *Multi qui persequuntur me et tribulant me ;* | *a testimoniis tuis non declinavi.* | 158. *Vidi praevaricantes et tabescebam,* | *quia eloquia tua non custodierunt.* | 159. *Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine ;* | *in misericordia tua vivifica me.* | 160. *Principium verborum tuorum veritas ;* | *in aeternum omnia iudicia iustitiae tuae.*

Pius psalmista non cessat ex toto corde clamare ad Deum et exauditionem exposcere (tempus perfectum hebr de iis quae fieri solent), quia praecepta Dei custodiet v. 145 hebr: iustis enim ex norma retributionis certa est spes salutis. Quam diligenter confugiat ad Dominum, exponitur v. 147, vertit Hier : surgebam (surgo) adhuc in tenebris et clamo; hebr praevenio crepusculum et clamo, verbum tuum (promissionis) exspectans (ut Hier hunc stichum bene vertit); pariter v. 148 praeveniunt oculi mei vigilias (Hier) seu custodias vigiliarum, ad quod confer v. 62 media nocte surgo et vide 76,5 et Iosue iussus est meditari diebus ac noctibus in lege (Ios. 1,8); in v. 149 et ad miseri-

cordiam (gratiam) Dei provocatur et ad *iudicium*, ad normam illam recti et iusti quam Deus ex promissione sua populo debet; ex hac norma postulat *vivifica me*, vide v. 17.25. 37. 50. 88. 93. 107. Ad me appropinquant qui iniuste persequuntur; hebr (ex punct. mass.): appropinquant prosequentes astutiam: LXX, vulg, Hier appropinquaverunt persecutores mei sceleri; ne timeas si appropinquant; cum enim longe absint a lege Domini, tibi, cultori Dei, v. 151 prope est Dominus, cuius omnia mandata (hebr, Hier) sunt *veritas*; Deus suis praesto est; nam *viae* eius, modi agendi, seu leges et statuta eius quibus omnia regit ac disponit, sunt *veritas*, fidelitas, congruunt eius promissis. Haec autem persuasio piis iam ab *initio* v. 152, a multo tempore ex divinis ordinationibus est cognita, scil. eas pro perpetuitate esse conditas; cf. 104,8 et supra v. 89.90; 99,5; 116,2.

Recurrit v. 153. 154 petitio, ut Deus miseram psaltae conditionem in melius mutet; *iudica iudicium meum*, causam meam age, contra oppressores me defende patrocinium meum suscipiens, meum ius vindicans; *vivifica* vide 149. Provocat ad miserationes Dei multas v. 156; ad has accedit ratio altera : *secundum iudicium tuum*, hebr iudicia tua, secundum normas iusti statutas a te, quibus etiam ius populi constituitur (vide v. 149), *vivifica me*; alia effertur ratio, ut Deus tueatur causam psaltae v. 157, multitudo tribulantium. Persecutores isti non sunt solum alienigenae, verum etiam Iudaei apostatae; v. 158 video perfidos et taedio afficior; v. 159 hebr, Hier iuxta misericordiam (gratiam) tuam; v. 160 *principium* (Hier caput), summa *verborum tuorum veritas*, complexio seu comprehensio eloquiorum est veritas; in cunctis proponitur veritas, uti in singulis: cf. v. 86.151.

ש *Sin*

161. *Principes persecuti sunt me gratis;* | *et a verbis tuis formidavit cor meum.* | 162. *Laetabor ego super eloquia tua,* | *sicut qui invenit spolia multa.* | 163. *Iniquitatem odio habui et abominatus sum;* | *legem autem tuam dilexi.* | 164. *Septies in die laudem dixi tibi,* | *super iudicia iustitiae tuae.* | 165. *Pax multa diligentibus legem tuam;* | *et non est illis scandalum.* | 166. *Exspectabam salutare tuum Domine,* | *et mandata tua dilexi.* | 167. *Custodivit anima mea testimonia tua* | *et dilexit ea vehementer.* | 168. *Servavi mandata tua et testimonia tua,* | *quia omnes viae meae in conspectu tuo.*

ת *Tau*

169. *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine;* | *iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.* | 170. *Intret postulatio mea in conspectu tuo;* | *secun-*

dum eloquium tuum eripe me. | 171. *Eructabunt labia mea hymnum,* | *cum docueris me iustificationes tuas.* | 172. *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum,* | *quia omnia mandata tua aequitas.* | 173. *Fiat manus tua ut salvet me,* | *quoniam mandata tua elegi.* | 174. *Concupivi salutare tuum, Domine,* | *et lex tua meditatio mea — est :* | 175. *Vivet anima mea et laudabit te :* | *et iudicia tua adiuvabunt me.* | 176. *Erravi sicut ovis quae periit;* | *quaere servum tuum,* | *quia mandata tua non sum oblitus.*

Principes, oppressores mei, non habent cur me persquantur ; cf. 68,5. Is. 52, 4.5; sustineo infestationes, quamvis cor meum timeat legem tuam. Quantum nihilominus in afflictione solatium capiat ex lege, in v. 162 enuntiatur : gaudens ego sum in eloquio tuo (hebr. Hier), *sicut qui invenit spolia multa*, laetitiam et thesaurum habet in lege ; cf. Is. 9,4 sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia. In v. 163 hebr mendacium odio habeo et abominor; mendacium opponitur veritati; omne quod veritati Dei opponitur : mores et idololatria gentium hac ratione vocantur mendacium. Et quantopere diligat legem (v. 162. 163) ostenditur v. 164 *septies in die*, saepe, frequenter (πλειστάκις aliquos explicuisse monet *Theod.*), « semper; solet esse quippe iste numerus universitatis indicium » (*Aug.*), te laudo propter iustas tuas ordinationes. Ex dilectione legis consequitur v. 165 *pax multa*, tranquillitas animi (*Gen. Ag.*), quies, laetitia et hilaritas interna; hanc profitetur mediis in persecutionibus estque fructus dilectionis legis eiusque intelligentiae; unde talibus *non est scandalum*, offensio, ira, indignatio de prosperitate impiorum (cf. 36,1 ; 28,3.4 ; 72,3). Bene notat *Ag.* pacem internam, non externam, hic intelligi. In v. 166 exspecto salutare tuum (vide v. 81 ; Gen. 49,18 et mandata tua feci (hebr, Hier). Ratio observationis mandatorum affertur v. 168 Deus inspector omnium actionum : *omnes viae meae*, omnis agendi et cogitandi modus in conspectu est Dei.

Ut Deus admittat deprecationem, repetito petitur v. 169. 170; promittuntur v. 171. 172 laudes et cantica ; canat lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua iusta (hebr, Hier) ; v. 174 salutare tuum desidero, lex tua est delectatio mea (hebr). Extra legem Dei est pernicies ac mors, in observanda lege Dei sola vera vita ; hanc sibi psalmista exoptat v. 175 : *vivat anima mea et laudet te* (hebr, optative), *et iudicia tua*, benigna Dei cura ac providentia qua suis creaturis prospicit *adiuvent me* : nam sine Dei auxilio homo nihil potest, ne in novo quidem foedere, nedum in veteri. Et sic vel piissimus quisque cultor Dei nonnunquam fragilitatem suae naturae experitur et a debita observatione legis Dei deficit : unde humili hac confessione et adnexa prece psalmus absolvitur : *aberravi sicut ovis* procul a grege *devians* (cf. Is.

53,6); talis ovis seipsam salvare non potest nisi bonus pastor misertus eam requirit; quare *quaere servum tuum*, inquit, bone pastor! nam, quamquam paulum deliqui et aberravi, nihilominus te tuaque mandata deserere nolui : *mandata tua non sum oblitus.*

Ps. 119.

Canticum graduum.

1. *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi,* | *et exaudivit me;* | 2. *Domine, libera animam meam* | *a labiis iniquis — et : a lingua dolosa.* | 3. *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi* | *ad linguam dolosam?* | 4. *Sagittae potentis acutae,* | *cum carbonibus desolatoriis.*

5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* | *habitavi cum habitantibus Cedar;* | 6. *multum incola fuit anima mea.* | 7. *Cum his qui oderunt pacem,* | *eram pacificus;* | *cum loquebar illis,* | *impugnabant me — gratis :*

Imploratur auxilium Dei contra calumniatores, quibus severa poena annuntiatur (v. 1-4). Deplorat psaltes, quod diu medius inter tales habitare debeat (v. 5-7).

Psalmi 119-133 eadem inscriptione Canticum graduum exhibentur. Quid sibi velit iste titulus, ex ipsa copia explicationum dubium manet. Istud nomen esse praefixum, quia a levitis, dum starent in 15 gradibus (ab atrio mulierum in atrium virorum erectis), festo tabernaculorum decantati essent; vel quia ab ascendentibus in Ierusalem tempore peregrinationum sacrarum, vel tempore reditus ex exsilio cani soliti essent, vel quod hi psalmi ipsi quasi gradibus quibusdam procedant eo quia sententiae pars ab initio subsequentis repeti atque augeri, ad altiora quasi evehi et ascendere videatur. Et Hieronymus quidem de suo iam tempore scribit (Commentarioli) : « quindecim graduum psalmi per quosdam profectus nos ad summa perducunt; .... et quia a plerisque super his latissime disputatum est, stultum est parva dicere velle pro magnis ». De hisce Psalmis et de variis sententiis amplissime disputavit Alphonsus Schulz : De Psalmis gradualibus, Commentatio, Monast. Guestph. 1897. Brevius recenset varias opiniones Cornely, Introd. 2. ed. II, 2 n. 166, p. 23.

Cum in v. 2 proponatur petitio, illud *clamavi* in v. 1 potius explicabis de tempore praesenti : clamo in afflictione mea; et statim certa exprimitur spes : et exaudit me; vel potest perfectum tempus hebr etiam concipi de eo quod repetito et ex consuetudine, de more fit. Scribit Hier (Comment.) : tres res in uno versiculo velociter expli-

cantur : angustia, preces, exauditio. Conqueritur psaltes de labio mendacii et de lingua, quae sit quasi ipsa fraudulentia seu dolus (hebr). Certus de exauditione iam in v. 3 denuntiat poenam ; et secundum LXX vulg unus aliquis ex calumniatoribus interpellatur : qualis retributio fiet tibi propter linguam dolosam ? seu apponetur tibi ad linguam dolosam? quid tibi eventurum censes? comminatio ei fit in v. 4 *sagittae potentis*, Dei scil., *acutae*, Deus ultor exsistet ; de sagittis Dei vide 17,15 ; *cum carbonibus desolatoriis* LXX ἐρημικοῖς, explicat *Chrys.* ἐρημοποιοῖς, ὀαπανῶσι, καταναλίσκουσιν, qui vastant, perdunt, consumunt ; sagittae acutae, quae secum ferunt carbones, ardores, flammas devastantes. In hebr legitur active : quid dabit aut apponet tibi, lingua dolosa (tibi, mascul. ; constructio ad sensum) ; cum carbonibus genistarum ; dicunt genistis optimos praeberi carbones et ardores magnos ; ceterum Aq ἀρκευθίναις, uti Hier quoque cum carbonibus iuniperorum, Sym μετὰ ἀνθράκων ἐστοιβασμένων cum carbonibus aggestis. Sensum ita concipit *Theod.* : ne animum despondeas ab iniqua lingua percussus ; parata enim sunt supplicia a iusto iudice emissa ; quae sagittarum acumen et carbonum vim imitantur.

Modus loquendi : quid dabit aut apponet est alias forma iurandi, exsecrandi, poenam imprecandi (1 Reg. 3,17 ; 14,44 ; 25,22 etc.) ; unde supplicii infligendi notio hic quoque quasi sponte sua enascitur ; vel cogita de Os. 9,14 da eis, Domine ; quid dabis eis ? da eis vulvam sine liberis. Iam si in v. 3 a Domino petitur poena, in v. 4 hanc enuntiari, videtur esse maxime conveniens ; dabit sagittas et insuper carbones ardentes ; vide 10,7 ; multo minus congruit in sagittis et carbonibus verba linguae dolosae intelligere expressa. Ceterum in acceptione v. 3 et 4 sat magna cernitur varietas ; assumitur ut subiectum lingua : quid tibi prodest, aut nocet lingua dolosa ? et in v. 4 describitur vel effectus vel poena ; alii referunt *tibi* ad Dominum : quid tibi audet dare ? vel per sarcasmum : quam utilitatem tibi affert lingua dolosa, scil. quia permittis eam iniuriam inferre ? et in v. 4 per sarcasmum : en, plurima mala generantur.

Conqueritur quod inter eiusmodi homines vitam degere debeat. Veteres consentiunt in interpretatione de habitatione prolongata ; ita LXX vulg Hier syr ; Aq προσηλύτευσα ἐν μακρυσμῷ advena fui longo tempore, Sym παροικῶν παρείλκυσα habitans tardavi ; ergo משך non de populo Meschech (Gen. 10,2. Ez. 27,13 etc.) interpretati sunt, sed a verbo trahere, prolongare ; solum targum habet : peregrinatus sum cum Ausoniis. Recentiores plerumque retinent Meschech ob membrum parallelum Cedar ; sed duas gentes adeo inter se dissitas nominari solum bene posset explicari, si istae gentes notae essent tamquam

litigiosae. Tum scil. non revera eum apud gentes illas commorari indicaretur, sed gentes illae essent, utpote barbarae, quasi typi et symbolum calumniatorum et litigantium. Uti veteres textum conceperunt, psaltes videtur deplorare quod habitet cum tabernaculis Cedar, μετὰ τῶν σκηνωμάτων LXX, hebr, Hier ; Cedareni Ismaelitae (Gen. 25,13) nomades in deserto syro-arabico, cf. *M. Hagen*, Lexicon bibl. s. v. Cedar et Atlas bibl. Tab. 1 B 2. Conqueritur quod diu iam habitet cum osoribus pacis ; ipse quidem quasi totus est *pax* ; at si loquitur, illi ad pugnam (parati sunt). Sensum rite exprimunt LXX, vulg ; Hier : ego pacifica loquebar, et illi bellantia.

Ps. 120.

Canticum graduum.

1. Levavi oculos meos in montes, | *unde veniet auxilium mihi.* | 2. *Auxilium meum a Domino,* | *qui fecit coelum et terram.* | 3. *Non det in commotionem pedem tuum ;* | *neque dormitet qui custodit te.* | 4. *Ecce non dormitabit neque dormiet,* | *qui custodit Israel.*

5. *Dominus custodit te, Dominus protectio tua* | *super manum dexteram tuam.* | 6. *Per diem sol non uret te,* | *neque luna per noctem.* | 7. *Dominus custodit te ab omni malo ;* | *custodiat animam tuam — Dominus :* | 8. *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ;* | *ex hoc nunc et usque in saeculum.*

Unde mihi auxilium ? A Domino creatore, fideli, custode vigile (v. 1-4). Dominus custodia tua est die ac nocte in omnibus tuis negotiis (v. 5-8).

Psaltes auxilium quaerit et desiderat, uti ex quaestione (hebr) : unde auxilium veniet mihi ? elucet. Itaque hoc desiderium iam continetur et exprimitur : levo oculos meos ad montes — quare *montes* non intelligi possunt montes generatim Palaestinae, qui cum ope divina praestanda nihil commune habent, sed montes illi 86,1, in quibus Ierusalem fundata est, civitas sancta, in qua Dominus residet : vide 124,2. Psaltes fortasse moratur in exsilio ; nam exsules quoque in oratione sese vertebant Ierusalem versus (Dan. 6,10). Quaestioni respondetur omni dubitatione abiecta firma fide v. 2, et ecce quam potens est auxiliator ! Quod in v. 3 sequitur, potest considerari ut apostrophe ad se ipsum, qua se confirmet sibique bene precetur et demum in v. 4 nova vi in Deo, utpote custode Israel, spem ponit et affirmat. Potius tamen videtur mutatio personae ita esse explicanda, ut nunc a v. 3 responsio fiat et allocutio ad loquentem in v. 1 et 2 ; in qua respon-

sione seu in quo alloquio prius alloquens ei bene precatur v. 3, dein in v. 4 eius spem confirmat ex munere fidelis Dei foederis, quod munus in v. 5-8 pluribus ei declarat. Totus quasi coetus sacer, vel sacerdotum collegium fingitur respondere et unum illum quaerentem auxilium et affirmantem opem divinam in hac spe confirmare ampliusque edocere. Ita ex textu tradito res concipi potest.

Verum hoc loco occurit coniectura a *Zenner* et *Wies.* proposita, quae sua se facilitate commendat : in v. 3 non legendum אַל *non*, sed אֵל *Deus* ; esse quendam dialogum : exsuli pio obiicitur : num Deus qui commovet pedem tuum, Deus qui dormitat, est custos tuus ? Scil. qui te migrare fecit in exsilium et nunc quasi dormiens te relinquit in exsilio ? cui obiicienti respondet pius exsul v. 4 non dormitat etc. Ita omne dubium etiam levissimum propter exsilium etiam tum durans abiicit atque se ipsum alloquens in se confortat v. 5 sq. *Dominus protectio tua*, ita certe hebr umbra tua concipi debet — ad dexteram tuam, vide 15,8 a dextris est mihi (Dominus) ne commovear, et 109,5. Tutus erit a nocumentis rerum ; exemplis declaratur v. 6 per diem sol non percutiet te (Hier) ; non damnum patieris nimiis caloribus ; neque luna per noctem scil. te percutiet, tibi nocebit ; vide quae Iacob affirmat : die noctuque aestu urebar et gelu (Gen. 31,40) ; ceterum lunam habitam esse malorum causam, solo iam nomine lunaticorum satis constat. Nomine introitus et exitus tota occupatio vitae, omnia designantur negotia et officia ; vide Deut. 28,6 ; 31,2. 1 Reg. 29,6. 2 Reg. 3,25 ad hoc venit ad te, ut sciret exitum tuum et introitum tuum et nosset omnia quae agis ; 3 Reg. 3,7.

Ps. 121.

Canticum graduum.

1. *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi :* | *in domum Domini ibimus.* | 2. *Stantes erant pedes nostri* | *in atriis tuis Ierusalem :* | 3. *Ierusalem quae aedificatur ut civitas,* | *cuius participatio eius in idipsum.* | 4. *Illuc enim ascenderunt tribus,* | *tribus Domini, testimonium Israel,* | *ad confitendum nomini Domini ;* | 5. *quia illic sederunt sedes in iudicio,* | *sedes — super : domum David.*

6. *Rogate — quae ad : pacem — sunt : Ierusalem,* | *—et : abundantia diligentibus te.* | 7. *Fiat pax in virtute tua,* | *—et : abundantia in turribus tuis.* | 8. *Propter fratres meos et proximos meos* | *loquebar pacem de te ;* | 9. *propter domum Domini Dei nostri* | *quaesivi bona tibi.*

Prospiciens iter ad templum et in urbem psaltes laudat Ierusalem

ut urbem bene munitam, locum cultus et gubernationis pro Israel (v. 1-5). Quare habita ratione populi et templi bona urbi sunt apprecanda (v. 6-9).

Tempore praesenti explica hebr : laetor cum dicunt mihi : in domum Domini ibimus, et quod in v. 2 habetur, bene perspexit *Ag.* capi posse tamquam verba adhuc desiderantium et optantium eousque tendere, quoad in portis eius vestigia ponant. Proin pertinet v. 2 adhuc ad dicunt mihi : ibimus ad templum, stantes erunt pedes nostri in portis tuis Ierusalem ! Iam versatur ob oculos mentis urbs, cuius praeconia celebrantur, et primo quidem οἰκοδομουμένη ὡς πόλις aedificata, munita כעיר *ut civitas*, prout magnam decet urbem ; *cuius participatio*, ἧς ἡ μετοχὴ αὐτῆς ἐπὶ τὸ αὐτό, id explicat *Chrys.* : cohaerentia sibi illius urbis aedificia dicit, et quod nihil in medio desertum est ab aedificiis, sed undique spissa et perfecta et continentibus fabricis coniuncta (cf. *Migne* 55, 348). Hanc notionem etiam exprimere videtur Sym ὡς πόλιν συνάφειαν ἔχουσαν ὁμοῦ. Hebr explicatur : urbs quae in se pariter connexa (conclusa) est, vel quo pariter convenitur, in qua conventio habetur (חֻבָּר, id legisse videntur LXX) ; vulg *cuius participatio*, associatio (*Ag.*), ad quam undique fiat concursus (*Ag.*). Ad quam acceptionem congruit v. 4 ; quo alia urbis dignitas exponitur ; haec in urbem peregrinatio est *testimonium* i. e. stabilis lex in Israel et fit ad Deum foederis laudandum : cf. ter in anno apparebit omne masculinum coram Domino (Ex. 23,17 ; 34,23. Deut. 16,16) ; ibi quoque sedent sedes ad iudicium, sunt tribunalia et iudices ad res graviores diiudicandas ; vide Deut. 17,8 ; ibi sunt sedes, throni, domui David, sunt gubernationes, seu administratio rerum quae pertinet ad posteros David. Ierusalem laudatur tamquam centrum cultus, summa administratio in rebus civilibus et politicis, ibi sunt iudices et principes.

Quare optima quaeque urbi sunt apprecanda : v. 6 petite pacem pro Ierusalem ; bene sit his qui diligunt te (Hier) ; sint tranquilli, felices ; Sym ἠρεμήσουσιν item. Dein praecipuis partibus urbis bene precantur v. 7 sit pax in muris tuis, abundantia in domibus tuis (Hier), pax sit ἐν προτειχίσματί σου Aq, ἐν τῷ περιβόλῳ σου Sym ; etiam aliis in locis חֵיל vertitur προτείχισμα, περίτειχος LXX, antemurale vulg ; apprecantur urbi securitatem a bello, ab oppugnatione et tranquillitatem vitae civium (hebr). Haec pax exoptanda est v. 8 in bonum fratrum et proximorum, in bonum populi Dei ; etiam cumprimis haec tranquillitas et bona rerum conditio et prosperitas omnibus votis est expetenda propter templum, ut sacrosanctum habeatur et ab omni hostili impetu ac profanatione sit tutum et securum. — Laetitia de dignitate urbis (v. 3-5)

fit fervens precatio pro pace et tranquillitate (v. 6-9). Tali animorum dispositione sese accingunt ad peregrinationem sacram : in domum Domini ibimus.

Ps. 122.

Canticum graduum.

1. *Ad te levavi oculos meos,* | *qui habitas in coelis.* | 2. *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum ;* | *sicut oculi ancillae* | *in manibus dominae suae ;* | *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum,* | *donec misereatur nostri.*
3. *Miserere nostri, Domine, miserere nostri,* | *quia multum repleti sumus despectione ;* | 4. — *quia : multum repleta est anima nostra ;* | *opprobrium abundantibus et despectio superbis.*

Exponitur quanto desiderio opem Dei exspectent (v. 1-2) ; precantur misericordiam, utpote misere oppleti irrisione ab inimicis insolentibus (v. 3-4).

Agnoscitur maiestas sublimis Domini : exponitur, unde solum auxilium sit sperandum : *ad te* : in duobus exemplis familiaribus simul depingitur cum spe animi demissio, obedientia, plena dependentia a gratia Domini et propria indigentia et paupertas. Quod in exemplis exhibetur, in v. 3 petitione instanti declaratur, quae fulcitur et graviter inculcatur, *quia multum saturati sumus despectione*, et cum emphasi repetitur : multum sibi saturata est anima nostra irrisione securorum, despectione superborum. — Voces videntur et petitiones exsulum, quibus oggeritur : ubi est Deus tuus ? vide 113 b, 2 et 41, 4. Se sistunt Domino tamquam servos suos quos ne illusionibus et opprobriis relinquat supplices flagitant. Secundum LXX et vulg ultima pars ita concipitur, ut sit exsecratio in inimicos : *opprobrium* sit *abundantibus* τοῖς εὐθηνοῦσιν, *et despectio* eveniat *superbis* : quod in nos coniiciunt, illis ipsis vertatur in caput. Quasi legem talionis invocant. Sed tamen nimis abrupte id proponitur et per modum exclamationis, qua alibi maledicta in inimicos non exponuntur. Quare prior acceptio ex hebr praefertur.

Progressum quendam in hisce deprehendit in Commentariolis Hier : notandum quod per singulos psalmos quidam graduum sunt profectus. Qui in primo dixerat : ad Dominum cum tribularer clamavi, et in secundo oculos ad montes se levasse narraverat, laetatus quoque fuerat, quia sibi ingressus in domum Domini fuerat repromissus, nunc ad maius proficit, ut ad ipsum Deum oculos levet qui habitat in coelo.

Ps. 123.

Canticum graduum.

1. *Nisi — quia : Dominus erat in nobis,* | *dicat nunc Israel;* | 2. *nisi — quia : Dominus erat in nobis,* | *cum exsurgerent homines in nos,* | 3. *forte vivos deglutissent nos,* | *cum irasceretur furor eorum in nos ;* | 4. *forsitan aqua absorbuisset nos ;* | 5. *torrentem pertransivit anima nostra,* | *forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.*

6. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos* | *in captionem dentibus eorum.* | 7. *Anima nostra sicut passer* | *erepta est de laqueo venantium;* | *laqueus contritus est* | *et nos liberati sumus.* | 8. *Adiutorium nostrum in nomine Domini,* | *qui fecit coelum et terram.*

Israel fateri debet : nisi Dominus nobiscum fuisset, plane destructi fuissemus impetu hostium (v. 1-5). Dominus furorem eorum atque insidias ad nihilum redegit ; in eo adiutorium nostrum consistit (v. 6-8).

Psaltes populo (divinam opem forte minus consideranti) explicite proponit tamquam rem certissimam, et vult ut explicite fateantur : nisi fuisset Iahve qui erat nobiscum (hebr), et cum emphasi vult, ut repetant : nisi fuisset Iahve qui erat nobiscum, tunc vivos nos deglutissent, cum exarderet furor eorum contra nos. Vim orationis turbat seu infringit illud *forte*, *forsitan* vulg, quod neque in hebr neque in LXX habetur (perperam enim in vulg ἄν saepius redditur *forte*) : ergo negligatur oportet. Pergitur hebr. v. 4 tunc aquae absorbuissent nos, torrens transisset super animam nostram, v. 5 tunc transissent super animam nostram aquae intumescentes (superbae, Hier). In v. 5 versio LXX et vulg sensum hebr haud attigit ; bene exprimit hebr Hier, solum illud *forsitan* perperam ingessit, ubi *tunc* scribendum erat. Textus itaque hebr v. 4-5 planus est ; magnitudo periculi consuetis imaginibus aquarum inundantium designatur ; vide 17,17 ; 68,2.16. Is. 43,2. Diligenter affert *Chrys.* aliam interpretationem hebraeo textui congruam quam exponit : ἕτερος· τότε ἂν τὰ ὕδατα παρέκλυσεν ἡμᾶς. ὡς φάραγξ παρελθόντα κατὰ τῆς ψυχῆς ἡμῶν, aquae tunc inundavissent nos ut torrens pertranseuntes contra animam nostram ; et pariter ἕτερος· τότε παρῆλθεν ὑπὲρ τὴν ψυχὴν ἡμῶν ὡς τὰ ὕδατα ὑπερήφανοι, tunc transissent super animam nostram tamquam aquae superbi.

In gratiarum actionem pro ope praestita celebratur Dominus. Hostes describuntur velut ferae bestiae : non dedit nos in praedam dentibus eorum (Hier) ; vide 7,3 ; 21,13.14 ; tamquam venatores qui laqueos, retia ponunt ; cf. 90,3 laqueus fractus est hebr ; explicat

Baethgen פח intelligi rete plicatile cum duabus tabulis ligneis, unde notio frangendi bene congruat. Cum quadam iubilatione ad grati animi significationem et laetitiam declarandam repetitur : *laqueus contritus — nos liberati* ; ad v. 8 vide 120,2.

Ps. 124.

Canticum graduum.

1. *Qui confidunt in Domino,* | *sicut mons Sion ;* | *non commovebitur in aeternum* | *qui habitat* | 2. — *in : Ierusalem.* | *Montes in circuitu eius,* | *et Dominus in circuitu populi sui* | *ex hoc nunc et usque in saeculum ;* | 3. *quia non relinquet Dominus virgam peccatorum* | *super sortem iustorum ;* | *ut non extendant iusti* | *ad iniquitatem manus suas.*

4. *Benedic Domine bonis* | *et rectis corde.* | 5. *Declinantes autem in obligationes* | *adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* | *Pax super Israel.*

Comparationibus describitur qualis debeat esse confidentia in Deum in rebus adversis (v. 1-3). Adiungitur petitio, qua simul ostenditur quomodo pax adducatur (v. 4-5).

Quanta firmitate et stabilitate roborari debeat animus vere confidentis in Deo ostenditur comparatione : talis scil. est sicut mons Sion (qui) non commovetur, in aeternum stat (hebr) ; qui vere confidit, firmus, inconcussus manet in variis rerum vicissitudinibus, uti mons manet immotus in serenitate et in tempestate. In verborum coniunctione vulg talis vir in Deo confidens nominatur habitans in Ierusalem, scil. qui sit membrum populi Dei, verus Israelita, civis urbis sanctae Dei. Nominatur Sion, mons templi, cui tot promissa annexa sunt, vide 2,6 ; 9,12 ; 13,7 ; 19,3 ; 47,3 ; 49,2 ; 68,36. Is. 2,3 ; 14,32 ; 26,1 ; 28,16 etc. Ierusalem urbs montibus (collibus) quasi vallo quodam circumdata munitur ; ab oriente adiacet mons oliveti, cuius pars australis est mons scandali ; ab occasu mons ille eminet qui est contra Geennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem (Ios. 15,8 ; 18,16), cuius pars australis est mons mali consilii ; inter aquilonem et occasum sunt colles multum moenia urbis superantes, itemque montes septentrionales, Scopus (cf. *M. Hagen*, Lexicon bibl. II. c. 670.671 et Atlas bibl. Tab. 21 et 22). Quare Ier. 21, 13 Ierusalem vocatur habitatrix vallis. Eodem modo Dominus ipse tamquam munimentum et vallum potentissimum populum suum circumdat et protegit.

Cur populum suum protegat et ab hostibus defendat, affertur ratio

v. 3, qua simul indicatur, calamitatem qua populus prematur non posse esse diuturnam, neque ingruentibus rebus adversis in dubium vocandam esse protectionem divinam ; *virgam* vel plagam, oppressionem, seu potius sceptrum, dominationem impietatis (text. mass., Hier, targ) *non relinquet*, non manere permittet ; hebr quia non manebit, non requiescet (Hier) *super sortem iustorum*, super terram, quae sortito iustis obtigit (*Ag.*), sors populi Dei est terra a Deo illis attributa cf. Ios. 14,2 ; 16,1 ; 17,1 ; 18,11 etc. et vide Ps. 15,6. Imperio enim et tyrannide malorum periculum creatur ; cf. 36,8 ; 72,2.10.13 ; Prov. 30,8.9 ; *extendere*, hebr mittere *manum*, i.e. aliquid aggredi, perpetrare.

Subiungitur petitio,ut tribulatio cedat in bonum iis qui recto corde sint ; cf. 7,11 ; 111,4 ; recti in cordibus suis (hebr), sinceri, sine dolo, tergiversatione ; declinantes autem ad pravitates suas (Hier) ; hebr. declinantes (vias ad) tortuositates suas, qui vias tortuosas sibi eligunt, iis incedunt, hos cum facinorosis puniet Deus ; cf. 17,27 ; Prov. 2,15 ; LXX εἰς τὰς στρογγαλιάς in laqueos, in dolos, Aq διαπλοκάς, Sym σκολιότητας, complicationes, perversitates ; legit *Aug.* declinantes in strangulationem abducet ; vulg *in obligationes*, explicant in nexus (*Ag.*), in nodos, tortuositates (*Bellarm.*), in laqueos, in vinculum *Kaulen* ; Act. 8,23 ponitur in vulg obligatio pro σύνδεσμος : in obligatione iniquitatis te video esse, εἰς σύνδεσμον ἀδικίας, quare sensus esse videtur : qui alios opprimunt. Ita *declinantes in obligationes* ii sunt, qui supra in virga improbitatis designantur.

Benedictione piorum et iudicio in oppressores peracto erit *pax super Israel* ; cf. 127,6 et Gal. 6,16.

Ps. 125.

Canticum graduum.

1. In convertendo Dominus captivitatem Sion | facti sumus sicut consolati. | 2. Tunc repletum est gaudio os nostrum, | et lingua nostra exsultatione ; | tunc dicent inter gentes : | magnificavit Dominus facere cum eis. | 3. Magnificavit Dominus facere nobiscum ; | facti sumus laetantes.

4. Converte, Domine captivitatem nostram, | sicut torrens in austro. | 5. Qui seminant in lacrimis, | in exsultatione metent. | 6. Euntes ibant et flebant, | mittentes semina sua ; | venientes — autem : venient cum exsultatione, | portantes manipulos suos.

Sat multi priorem partem cani putant a reducibus ex exsilio in gra-

tiarum actionem et in significationem laetitiae (v. 1-3), qui dein in altera parte petunt a Deo, ut alii quoque adhuc commorantes in exsilio redire velint (*Eus. Chrys. Theod. Heracl. Origenes* in cat. *Calm.* etc.); alii secundam partem referunt ad tristem conditionem reducum, quae adeo a laetitia reditus discrepet. At in tali acceptione, etsi aliqua unitas servari videatur, non commode explicatur v. 5-6; neque enim ad iam reduces, neque ad alios exsules, sententia haec apte applicatur. Dein tanta est in utraque parte varietas, imo contrarietas affectuum sine certo vinculo unitatis.

Aliam viam nobis indicat alius interpres graecus, cuius mentionem faciunt *Chrys.* et *Heracl.* qui vertit : ὅταν ἐπιστρέψῃ Κύριος τὴν αἰχμαλωσίαν, ἐσόμεθα παρακεκλημένοι, quando averterit Dominus captivitatem, erimus consolati. Etiam *Aug.* monet ad hunc psalmum : quasi de praeterito loquitur, sed solet fieri ut de praeterito loquens futura pronuntiet propheta; et ad v. 4 adnotat : orat de futuris, quae futura tamquam praeterita praecinebat, et v. 1-2 ita a vate dicta esse ait, ut ostenderet se figura praeteriti futura cogitare (*M.* 37, 1663). Et *Ag.* quoque monet v. 1-2 a quibusdam de futura adhuc liberatione accipi et addit : si de futura liberatione intelligatur, omnia cohaerebunt.

Psaltes animo sibi fingit, quanto gaudio omnes exsultaturi sint in gloriosa instauratione. Explica perfecta ut prophetica, vel potius dic futurum confidentiae exprimi perfecto; ergo explica : cum converterit Iahve sortem Sion, tunc erimus sicut consolati. Dictio hebr sensu ampliore adhibetur, non explicite de captivitate solvenda, sed de mutatione sortis in melius : hic ergo de instauratione exspectata. Hebr sicut somniantes; sed חלמים corrige ex LXX in נחמים (Wies.), syr ut ii qui laetantur, targ ut infirmi qui convaluerunt. Et istud gaudium multis modis pandetur : tunc implebitur risu os nostrum (hebr, Hier); cf. Iob 8,21; *et lingua nostra exsultatione*, canticis, iubilationibus; haec sortis commutatio, cuius primus effectus est solutio exsilii, etiam admirationem gentium excitabit v. 2 *tunc dicent*, agnoscere debebunt opus Iahve; impletum iri praedicit psaltes quod propheta iam annutiavit : ponent Domino gloriam, laudem eius in insulis nuntiabunt; efferte usque ad extrema terrae : redemit Dominus servum suum Iacob (Is. 42,12; 40,20), et Deum reductione populi sanctificaturum esse nomen suum, ut sciant gentes, quia ego Dominus, pariter Ezechiel affirmat (36,23). Tunc ipsi quoque Israelitae redempti cum gentibus consentientes et laetabundi exclamabunt v. 3 vere magna nobis praestitit Deus; sumus laetantes, laeta festa agentes.

Talia animo praesagit pro futuro. At quando erit felix illud tempus? Precatur ut Dominus illud adducat : v. 4 verte sortem nostram, sicut

fluenta in regione meridionali (hebr); in regione meridionali torrentes in aestate solis ardore siccantur; iterum aquis implentur pluviis autumnalibus; sicut igitur Deus torrentes reducit, ita vertat sortem nostram; *sicut torrens in austro*, « hoc est, cum magno impetu, cum magna vehementia nos urgens et incitans » (*Chrys.*). Ipsum iam tempus exsilii eiusque afflictio consideratur ut praeparatio ad laetam rerum conditionem v. 5 *qui seminant in lacrimis*, tempus exsilii est tempus poenae; hanc poenam pii non sine dolore et lacrimis sustinent; at (ut Os. 2,14) Deus duxit populum suum in desertum, in exsilium, et ibi loquitur ad cor eius; ex hac poena, ex hoc semine quod spargunt in fletu, exsurget laetus fructus, *in exsultatione metent*; nunc utique : v. 6 eundo vadit (quivis) flens, dum portat ad seminandum sementem (Hier), sparsionem seminis (hebr?); veniendo veniet cum exsultatione portans *manipulos suos*. Hac imagine optime exprimitur quod Deus castigatione exsilii in populo efficere voluit. Et fructus qui ex exsilio exspectandus erit iam describitur a prophetis; vide Ier. 3,21-25. Ez. 16, 61-63. Os. 2,14-17. Mich. 7,7-11 etc.

Ps. 126.

Canticum graduum Salomonis.

Nisi Dominus aedificaverit domum, | in vanum laboraverunt qui aedificant eam. | Nisi Dominus custodierit civitatem, | frustra vigilat qui custodit—eam: | 2. Vanum est vobis ante lucem surgere; | surgite postquam sederitis, | qui manducatis panem doloris, | cum dederit dilectis suis somnum.

3. Ecce hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris. | 4. Sicut sagittae in manu potentis, | ita filii excussorum. | 5. Beatus vir qui implevit | desiderium suum ex ipsis; | non confundetur, cum loquetur | inimicis — suis : in porta.

Inscriptione hebraea psalmus attribuitur Salomoni: non ita in omnibus codd. LXX, nec in versione syriaca.

Graeci interpretes psalmum exponunt ut vaticinium de tempore post reditum quando laborabatur in aedificando templo et in urbe exstruenda (*Chrys. Eus. Theod. Heracl. Anonym, Euthym.*) et explicant sine auxilio Dei nihil posse perfici. Si vero Deus dederit suis quietem ope sua praestita, tunc non solum civitatem aedificabunt, sed multo maiora accipient; pulchra eis augebitur soboles; triumphum agent de inimicis. Ita illi unitatem aliquam psalmi constituere tentant.

Unitatem psalmi recentiores aliqui negant, alii vero iuremerito tuentur monentes, sine auxilio divino nihil prospere procedere, vel omnia a Deo donari, vel omnem successum plane a Deo dependere, in societate domestica et civili condenda (v. 1), labore sustentanda (v. 2), filiorum procreatione in tempus futurum conservanda (3-5).

Sententia in v. 1 est plane generalis, ita ut in duobus exemplis exhibeatur omnem successum tandem repetendum esse ab auxilio divino et sine illo auxilio in vanum laborare homines. Quare minime opus est de aedificatione templi et de laboriosa custodia murorum tempore Nehemiae cogitare, vel in aedificanda domo iam deprehendere sobolem procreandam. Sufficiet ex exemplis adductis decerpere doctrinam omnino universalem. Quae in v. 2 applicatur ad expellendam nimiam sollicitudinem; *vanum*, inane, frustra *est vobis ante lucem surgere*, hebr bene expressit Aq εἰκῇ ὑμῖν ὀρθρίζουσιν ἀνίστασθαι, βραδύνουσι καθῆσθαι, inane et frusta est vobis, qui summo mane surgitis et tarde quiescitis, qui igitur a summo mane usque ad seram vesperam labori incumbitis (scil. nisi Deus vestro conatui opem praestiterit) et in ista sollicitudine manducatis panem dolorum (Hier), panem laborum, panem laboribus acquisitum; cf. Gen. 3, 17.19; in oppositione ad istum laborem et sollicitudinem dicitur: *cum dederit dilectis suis somnum*. Deus suis quibus favet dat quietem, vel dat illis veluti per somnum, sine molestia, aerumna et anxietate bona illa, quae alii frustra sola sua industria sibi comparare student. Cum in hoc membro sermo sit de *dilecto suo* (hebr), oppositio infertur et ostenditur illos carere isto favore divino, et proin *vanum est*, ei autem qui favore Dei potiatur dari successum, dari quietem. Quod in vulg habetur: *surgite postquam sederitis*, refer ad antecedens: vanum est, etsi surgitis quiete habita: iam *Theod.* monet non imperativum, sed infinitivum esse legendum, ergo ἐγείρεσθαι surgere μετὰ τὸ καθῆσθαι etiam est vanum; pro qua lectione etiam *Ag.* valide pugnat, et quam recentiores adoptant.

In altera parte describitur et itidem a Dei benedictione pendere dicitur filiorum generatio: v. 3 *en, hereditas Domini*, hereditas quam Dominus dat, sunt filii; *merces* quoque quam Deus diligentibus se et legem observantibus dat, *fructus ventris*, vide 127, 4. Deut. 28, 4. Ex. 23, 26; sterilitas tamquam poena et opprobrium reputabatur; LXX μισθὸς τοῦ καρποῦ τῆς γαστρός, Chrys. ἕτερος· μισθὸς ὁ καρπὸς τῆς γαστρός. In v. 4 bene vertit Hier: ita filii iuventutis, Sym υἱοὶ τῆς νεότητος, Theod υἱοὶ νεότητος qui a patre iuvene gignuntur (sicut filii senectutis a patre sene), qui igitur, utpote a patre in aetatis vigore

procreati, ipsi quoque viribus valent et adulti patrem iuvare ac defendere valent : *filii excussorum*, scribit Hier in epistola ad Marcellam : excussos consuetudo sermonis humani vegetos, robustos, expeditos[1] vocat (*M.* 22,450; ep. 34); ita textus vulg secundum hanc explicationem vocis congruit cum hebr. Ex comparatione cum sagittis, armis offensionis et defensionis, facile sequitur v. 5 beatus qui pharetram implevit huiusmodi sagittis. Tum si agitur de pugna : *non confundentur* (pluralem LXX apud *Chrys. Theod. anonym.* hebr Hier) *cum loquentur inimicis in porta*, in porta, sat multi intelligunt de litigatione forensi; sed tales lites et iudicia male congruunt cum sagittis, quibus pharetra impleta est, nisi supposueris etiam ad tribunalia iudicum reum accedere cum filiis armatis ad sui defensionem. Portas hostium expugnari saepius dicitur (Gen. 22,17; 24,60. Iud. 5,8 etc); defendetur pater a filiis in bellis (*Gen.*); *armis* loqui et eam linguam claram hic intelligi posse *Baethgen* existimat.

Ps. 127.

Canticum graduum.

1. *Beati omnes qui timent Dominum,* | *qui ambulant in viis eius.* | 2. *Labores manuum tuarum quia : manducabis,* | *beatus es et bene tibi erit.* | 3. *Uxor tua sicut vitis abundans* | *in lateribus domus tuae ;* | *filii tui sicut novellae olivarum,* | *in circuitu mensae tuae.*

4. *Ecce sic benedicetur homo* | *qui timet Dominum.* | 5. *Benedicat tibi Dominus ex Sion,* | *et videas bona Ierusalem omnibus diebus vitae tuae.* | 6. *Et videas filios filiorum tuorum;* | *pacem super Israel.*

Describitur felicitas domestica pii Israelitae (v. 1-3). Haec proponitur ut merces pietatis, quae Dei benedictio singulis et toti populo efflagitatur (v. 4-6).

Ad. v. 1 vide 111,1; 118,1 beatus omnis qui colit Deum et mandata servat, animo et opere Deo servit. Felicitas eius vitae describitur v. 2 *quia*; ipse *labores manuum*, fructus operum, negotiorum in suam habebit utilitatem; quidquid operationibus suis acquiritur, non alieni rapient, ipse manducabit; cf. Is. 3,10; a pio aberit illa maledictio Lev. 26,16 et Deut. 28,30 plantes vineam et non vindemies eam; Deus

1. Ex Neh, 4,16 (al. 10) notionem iuvenum et pro LXX ἐκτετιναγμένων eruit (vulg media pars iuvenum); in Commentariolis autem scribit : excussos, expeditos et adcinctos ad proelium vocat, quo verbo et in Ezrae libro Septuaginta interpretes transtulerunt.

laboribus eius benedicet. Vita porro domestica erit felicissima v. 3 *uxor* fecunda et grata, sicut vitis fructificans, erit *in lateribus* in interioribus domus penetralibus, modeste sese continet in interiore domo; *filii tui* sicut propagines olearum, plantationes olearum, florentes, laeti, sicut germina olivarum (Hier) circa mensam tuam.

Descripta felicitas correspondet promissis veteris foederis; vide Lev. 26,9. Deut. 28,4 sqq. Quare psaltes ex ea pro omnibus proponit doctrinam et adhortationem v. 4, ut qui imagine felicitatis descriptae delectati sunt, aemulatione et studio pietatis similem sibi prosperitatem mereri nitantur. Hisce votis in v. 5 psaltes Dei benedictionem ex Sion adprecatur, cur ex Sion vide 9,12 Deus habitat in Sion; 13,7; 19,3; 52,7; 73,2; 77,68; 98,2. Felicitas dein privata augeatur gaudio et laetitia de bono statu Ierusalem; et ei accedat longa vita, ita ut oculis suis aspiciat filios filiorum suorum, numerosam turbam nepotum.

Additur hebr et LXX apprecatio liturgica : pax super Israel, εἰρήνη ἐπὶ τὸν Ἰσραήλ, quae singulis optantur, toti demum populo in pacis apprecatione quasi in cumulo obtingant.

Ps. 128.

Canticum graduum.

1. *Saepe expugnaverunt me a iuventute mea,* | *dicat nunc Israel;* | 2. *saepe expugnaverunt me a iuventute mea,* | *etenim non potuerunt mihi.* | 3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores;* | *prolongaverunt iniquitatem suam.* | 4. *Dominus iustus concidit* | *cervices peccatorum.*

5. *Confundantur et convertantur retrorsum* | *omnes qui oderunt Sion;* | 6. *fiant sicut foenum tectorum,* | *quod priusquam evellatur, exaruit,* | 7. *de quo non implevit manum suam qui metit,* | *et sinum suum qui manipulos colligit.* | 8. *et non dixerunt qui praeteribant:* | *benedictio Domini super vos.* | *Benedximus vobis in nomine Domini.*

Israel a primis temporibus saepe ab hostibus acriter impetitus et longa oppressione afflictus, tamen non est destructus Domino vincula dissolvente (v. 1-4). Impugnantibus Sion imprecatur vates opprobrium; fiant irrita eorum consilia (v. 5-8). Consolari videtur psaltes reduces de infestationibus quas experiuntur.

Populi iuventus est servitus in Aegypto et migratio per desertum, vide Ier. 2,2. Ez. 16,4; 23,3. Os. 2,15; repetitione indicatur longa periodus iudicum, regum, per quam Israel tot sustinuit impugnationes;

at populum delere aut penitus supprimere varii illi oppressores non valebant; quod significans alius interpres dixit ἀλλ᾽ οὐχ ὑπερίσχυσάν μοι (Chrys.), at non praevaluerunt mihi. Cum simul cum populo etiam terra affligeretur et populus et terra dicatur hereditas Domini, hic quasi nexus populum inter et terram exprimitur imagine v. 3 ex hebr: super dorsum meum araverunt aratores, longos fecerunt sulcos suos, vel, ut alii qeri explicant, latum fecerunt campum suum (arvum; cf. 1 Sam. 14,14), ut Aq habet ἐμήκυναν πλέθρον αὐτῶν; diu me subiugaverunt, me proscindentes et longe lateque me lacerantes. Verum *Dominus* v. 4 *iustus*, fideliter scil. qui suis promissis stat et ita se iustum ostendit, et populo et oppressoribus tribuens debita, funem impiorum concidit, i.e. finem imposuit arationi, eo ipso quod concidit funem quo bos arator iunctus est aratro. Deus semper oppressioni finem imponens populum in libertatem vindicavit. Id praeprimis valet de ultima oppressione exsilii.

Colligit vates ex tempore praeterito et Dei protectione doctrinam et solatium pro reducibus v. 5: reduces infestantur ab osoribus Sion, tales praeprimis nominari possunt, qui aedificationi urbis impedimenta struere tentarunt et omnes qui nascentem rempublicam sioniticam variis machinationibus impugnarunt. Quorum consilia ut plane irrita evadant et inania, v. 6 comparatione exprimitur; gramen scil. in tectis planis nascens et parumper crescens mox propter loci ariditatem et infirmitatem radicum solis ardore exuritur et languescit; ergo sicut gramen illud non pervenit ad maturitatem et ad utilitatem hominum, ita eorum molimina et machinationes statim in primis initiis deficiant et excidant. Textum hebr vertit Hier quod statim ut viruerit arescet, vulg, *priusquam evellatur*, explica: priusquam aptum sit ut colligatur, *exaruit*. Aq ἀρχῆθεν ἀνέθαλεν ἐξηράνθη, quae ex Sym servata sunt πρὸ τοῦ ἐκκαυλῆσαι, praebent sensum: antequam caulem faciat, arescit; ita explica hebr שלף extrahere (scil. caulem). Tale gramen celeriter perit; v. 7 *sinum suum*, vestem suam sinuosam, non implet; nulla esse potest eius graminis messis. Hac occasione psaltes iucunde aliqua describit quae in messe fieri solebant; v. 8 transeuntes metentibus bene precabantur: *benedictio Domini super vos*, et quod additur fortasse est responsio et resalutatio messorum: benedicimus vobis in nomine Domini; vide Ruth 2,4: dixit Booz messoribus: Dominus vobiscum; qui responderunt ei: benedicat tibi Dominus.

Ps. 129.

Canticum graduum.

1: *De profundis clamavi ad te, Domine,* | 2. *Domine exaudi vocem meam;* | *fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae.* | 3. *Si iniquitates observaveris, Domine,* | *Domine, quis sustinebit?* | 4. *Quia apud te propitiatio est* | *et propter legem tuam sustinui te, Domine.*

Sustinuit anima mea in verbo eius; | 5. *speravit anima mea in Domino.* | 6. *A custodia matutina usque ad noctem* | *speret Israel in Domino;* 7. *quia apud Dominum misericordia* | *et copiosa apud eum redemptio;* | 8. *et ipse redimet Israel* | *ex omnibus iniquitatibus eius.*

Populus valde afflictus petit, ut Deus memoria peccatorum relicta propitius sit populo propter legem speranti (v. 1-4). Haec spes amplius fovetur et certa fiducia enuntiatur et ex Dei miseratione confirmatur (v. 5-8). Voces audiri gementium exsulum et ad spem sese confortantium generatim assumitur; alii suspiria ex tempore Nehemiae audiri opinantur.

Fervens quidem oratio ascendit ex corde profundissimo et ex ipsis mentis penetralibus (*Chrys. Theod.*), at bene iam monet *Heracl.* hic ἐκ βαθέων, οἷον ὑδάτων περιχεχυμένων τῶν θλίψεων clamorem tolli, ex profunditatibus aquarum, i.e. ex summis tribulationibus clamo ad te; fluctus, profunda aquarum sunt angustiae et calamitates: vide 39,3; 68. 3.15; 123,4.5. Agnoscunt se immersos afflictionibus et id quidem ob sua peccata. Nam id indicatur in v. 3 si iniquitates conservas (hebr., si peccata custodis apud te, si memoriam peccatorum admissorum retines (*Ag.*), Domine, quis poterit consistere? Utique si Deus sola peccata respicit, tunc omnes debebimus perire. Id autem fieri nequit, ut populus Dei penitus abiiciatur et pereat (unde etiam Deus non perpetuo conservat apud se peccata); quare rite pergitur v. 4 *quia apud te est propitiatio*, venia, ratio et modus parcendi et ignoscendi; multus est enim ad ignoscendum (Is. 55,7. Dan. 9,9. Ioel 2,13) *et propter legem tuam* exspectavi te; spero in te (eo sensu in vulg adhibetur *sustinere*, vide 24,3.5.21; 26,14; 32,20; 36,9), lex Domini, revelatio a Deo data, hanc spem veniae me docet; hac lege Dei nixus spero veniam (cf. Ex. 20,6; 34,6.7. Deut. 5,10). LXX ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, sed affert Chrys.: ἄλλος· ἕνεκεν τοῦ νόμου σου, ἕτερος πάλιν: ἕνεκεν τοῦ γνωσθῆναι τὸν λόγον σου, ἕνεκεν νόμου ὑπέμεινα Κύριον; unde legem plures efferunt cum vulg. Alii φόβον timorem hoc loco habent; ita Aq

Theod, uti *Theod.* refert, et Hier vertit: tecum est propitiatio, cum terribilis sis. Textus mass. fert : ut timearis, quod *Gen.* explicat : ut homines te colant et venerentur. Varietas versionum ex consonantibus תורא facile intelligitur; Hier asserit legi tira, non tora (ep. ad Sun. et Fret.)

Haec spes et fiducia etiam magis asseritur et roboratur; et in hebr v. 5 sperat seu exspectat anima mea et in verbum tuum spero, promissionem tuam praestolor; in v. 6 vulg tota die speret Israel in Domino; hebr anima mea ad Dominum, magis quam custodes ad matutinum i.e. anima mea vehementius exspectat seu desiderat Dominum, quam custodes desiderant tempus matutinum, quo a custodia solvantur. Custodes in textu legerunt Aq, targum; custodiam seu vigilias legerunt LXX, Sym. syr, Hier (qui sequitur Sym : anima mea ad Dominum a vigilia matutina usque ad vigiliam matutinam, i.e. semper, continuo). Et bene effertur comparatio desiderii temporis matutini, temporis aurorae et lucis, symboli salutis post noctem tribulationis (cf. Is. 26,9; 60,2. Ps. 45,6; 58,17; 89,14). Et ratio huius spei redditur v. 7, Dominus dives est in miserationibus; apud eum est gratia, benevolentia et copiose cum eo redemptio (hebr), habet copiam, multos modos et subsidia, quibus efficere poterit redemptionem. Et haec redemptio etiam fore praedicitur v. 8 *et ipse redimet*, hac certa spe sese consolantur in exsilio; neque peccata poterunt ponere impedimenta ; nam redimet Israel ex omnibus peccatis suis; vide Ier. 3,22. Ez. 11,17-20 ; 16.63; 34,11 sqq. 37,12. Os. 2,17.

Ps. 130.

*Canticum graduum * David :*

1. *Domine, non est exaltatum cor meum, | neque elati sunt oculi mei; | neque ambulavi in magnis | neque in mirabilibus super me. | 2. Si non humiliter sentiebam, | sed exaltavi animam meam ; | sicut ablactatus est super matre sua, | ita retributio in anima mea. | 3. Speret Israel in Domino, | ex hoc nunc et usque in saeculum.*

Haec animi demissi ac tranquilli descriptio in textu hebr, vulg, syr inscribitur David, quare aliqui psalmum referunt ad 1 Reg. 17,28, alii ad 2 Reg. 6,20. Ceterum syr habet praeterea, psalmum dici de Iosue summo sacerdote. Alii, uti iam anonymus in catena, de piis exsulibus, vel de reducibus psalmum dici censent, ne liberati a malis ad pristinam revertantur insolentiam, ne a vinculo liberati resiliant et in aliam captivitatis necessitatem incidant (*Chrys.*). Certe docentur nobiles, ut abiectis superbis consiliis et desideriis

sublimibus studiisque ambitiosis se in animi demissione contineant. Utique laudandi sunt, quicumque talem animi pacem ac tranquillitatem ex cladibus et ruina regni decerpserint. Animum contrarium principum describit Ez. 19, 2-11 ; necessitatem humiliationis pluribus annuntiavit Is. 2, 11-17 et alias. Haec animi dispositio in psalmo depicta fuisset optima praeparatio ad Messiam suscipiendum ; verum mirum quantum alieni ab ea erant proceres et ipsa quoque plebs.

Cor meum, sensus intimus, animus meus non superbit ; *oculi elati* superbiam et insolentiam produnt ; vide 100,5. Is. 2,11 ; 3,16 ; oculi demissi modestiam significant. Interius et exterius profitetur animum ab elatione alienum. In ratione vitae, in consiliis capiendis, in actionibus proponendis *non ambulo in magnis*, non me effero ad alta et superba, multo minus ad sublimiora quam pro me, quae meas vires longe superant, quae ego nullatenus attingere possum ; observatur monitum Eccli. 3, 22 altiora te ne quaesieris et fortiora te ne scrutatus fueris. Sollemni modo, formula scil. iuramenti, affirmatur v. 2 eadem animi demissio ac quies ; in LXX et vulg asseritur sensus humilis, negatur animus superbia elatus ; in hebr bis affirmatur animum tranquillum esse redditum : complanavi et sedavi (silere feci) animam meam ; similiter Sym Hier targum ; syrus uno verbo : humiliavi animam meam.

Magna difficultas et varietas explanationum deprehenditur in membro adiecto, in comparatione cum ablactato. Dependet scil. multum a varia consideratione quaenam sit conditio ablactati ; alii infantem dolentem, moestum, plorantem, utpote consueto nutrimento privatum considerant (*Chrys. Bellarm. Calm.*), alii infantem tranquillum, iam non lac matris expetentem (*Duhm, Baethgen*), alii in sinu matris protectum, matri adhaerentem (*Ag. Gen.*). Inde varia enascitur applicatio. Ex versione Sym ablactatus concipitur tranquillus, contentus : εἰ μὴ ἐξίσωσα καὶ ὡμοίωσα τὴν ψυχήν μου ἀπογαλακτισθέντι si non aequalem feci et comparavi animam meam ablactato. Eodem modo syr : humiliavi animam meam, sicut ablactatus apud matrem suam, et sicut ablactatus (est) apud me anima mea. Quae explicatio etiam id boni habet, ut verbum כגמל utroque loco eodem modo retineatur ; hoc etiam bene secutus est Hier : sicut ablactatus ad matrem suam, ita ablactata ad me anima mea. Recentiores idem plerumque sequuntur : sicut ablactatus est in me anima mea, scil. tranquilla, non iam altiora se desiderans ; renuntiavit prioribus superbiae consiliis.

Alii, uti LXX, Sym (non tamen Aq), vulg introducunt retribuere, retributionem. Unde nova oritur obscuritas. Qui ablactatum a lacte pulsum, moerentem considerant, exponunt : si superbiam sectatus sum, carcam tuis beneficiis, sicut removetur puer a lacte pulsus

(*Calm.*); qui ablactatum apud matrem quiescentem videre malunt, explicant : uti ablactatus adhaeret matri, ita adhaereat mihi retributio (vel poena, vel pax, pro varietate acceptionis v. 2 *si non*, vel pro formula sese devovendi, vel pro firma assertione). — In utroque loco legit *retributio* et hunc sensum eruit *Wies.* instar retributionis quam quis in matrem suam confert, est retributio in me collata, i.e. si non humilio, sed exalto animam meam, honos matris est honos mihi collatus i.e. pro bono communi accipio honorem mihi collatum, quia iste est honor communitatis; vide Zeitschrift f. kath. Theologie 1896, 369 sq.

Ps. 131.

Canticum graduum.

1. *Memento Domine David* | *et omnis mansuetudinis eius,* | 2. *sicut iuravit Domino,* | *votum vovit Deo Iacob :* | 3. *Si introiero in tabernaculum domus meae;* | *si ascendero in lectum strati mei;* | 4. *si dedero somnum oculis meis,* | — *et : palpebris meis dormitationem,* | 5. — *et requiem temporibus meis :* | *donec inveniam locum Domino,* | *tabernaculum Deo Iacob.*

6. *Ecce, audivimus eam in Ephrata,* | *invenimus eam in campis silvae ;* | 7. *introibimus in tabernaculum eius,* | *adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.* | 8. *Surge Domine in requiem tuam,* | *tu et arca sanctificationis tuae.* | 9. *Sacerdotes tui induantur iustitiam* | *et sancti tui exsultent ;* | 10. *propter David servum tuum* | *non avertas faciem Christi tui.*

11. *Iuravit Dominus David veritatem* | , — *et : non frustrabitur eam :* | *de fructu ventris tui* | *ponam super sedem tuam;* | 12. *si custodierint filii tui testamentum meum,* | *et testimonia mea haec, quae docebo eos,* | *et filii eorum usque in saeculum* | *sedebunt super sedem tuam ;* | 13. *quoniam elegit Dominus Sion,* | *elegit eam in habitationem sibi;* | 14. *haec requies mea in saeculum — saeculi :* | *hic habitabo, quoniam elegi eam.*

15. *Viduam eius benedicens benedicam,* | *pauperes eius saturabo panibus ;* | 16. *sacerdotes eius induam salutari,* | *et sancti eius exsultatione exsultabunt.* | 17. *Illuc producam cornu David,* | *paravi lucernam christo meo ;* | 18. *inimicos eius induam confusione,* | *super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.*

Psalmus, uti traditus est, duabus constat partibus fere aequalibus, quibus explicantur duo iuramenta : iuravit David Domino et iuravit Dominus David. David iurat, Domino se praeparaturum sanctuarium stabile (v. 2-5), cui iuramento statim subditur adhortatio ad populum frequentandi sanctuarium et petitio ad Deum, ut acceptet illud et sacerdotibus et pio populo et regi theocratico benedicat (v. 6-9). Iurat Dominus Davidi, posteros eius, si mandata Dei custodierint, sessuros in saeculum in throno eius, nam elegit sibi Dominus Sion in

perpetuum (v. 11-14) ; inde benedictio Dei continget populo, sacerdotibus, et regi theocratico (v. 15-18). Ex qua analysi satis apparet psalmum non carere ordine debito.

Iam *Ag.* et explicatius *Bellarm.* psalmum hunc referunt ad orationem Salomonis in dedicatione templi, in qua oratione 2 Par. 6,41.42 aperte recitatur v. 8.9.10.1. Psalmum hunc per singulas partes illustrari et quasi explicari in oratione Salomonis, cum templ dedicatio celebraretur, ostendebat *J. K. Zenner* (Zeitschr. für kath. Theol. 1898, p. 583 sqq.) et insuper ex eadem oratione coniectabat, psalmum hunc alio ordine posse disponi. Nam in oratione is observatur ordo, ut consilio Davidis templi aedificandi mox subdatur promissio Dei de throno aeterno : ergo v. 2-5. 11.12, dein ea tangantur quae v. 6.7.13.14 continentur, etc. quare duce illa oratione psalmus hunc in modum disponitur a *Zenner* : I a 2-5 ; I b 11.12 ; II 6.7.13.14 ; III a 8-10.1 ; III b 15-18. Quomodo ab hoc psalmo *Zenner* theoriam psalmorum choricorum stabiliendam esse existimaverit, ipse explicat in suo opere : Die Chorgesänge im Buch der Psalmen (1896, p. 1-5).

Ad v. 1 vide 2 Par. 6,42 ; petitur ut Deus memor sit promissionum quas Davidi dedit et *mansuetudinis eius* ; legisse LXX aliis punctis עֲנוָתוֹ monet *Bellarm.*, unde potius declaratur humilitas, patientia ; hebr (uti nunc legitur) vertit Hier : memento omnis afflictionis eius, Aq κακουχίας, Sym κακώσεως. De consilio David aedificandi sanctuarium stabile narratur 2 Reg. 7,2. 3 Reg. 8,17 in oratione Salomonis ; 1 Par. 17,1 ; 22,7 : voluntatis meae fuit, ut aedificarem domum Domini. Quae voluntas hic in forma iuramenti exponitur : *si* particula iuramenti negativi : iuro me non intraturum... ; designatur ut votum factum Potenti Iacob ; ita Deus vocatur Gen. 49,24. Is. 1,24 ; 49,26 ; 60,16. In ipsis verbis summum exprimitur desiderium ; dici haec per hyperbolen et votum esse, se nunquam eius rei curam depositurum esse, observat *Ag.* ; ceterum in translatione arcae in civitatem David (2 Reg. 6,12-18) iam eius iuramenti impletio cerni potest. Sed hoc loco, uti ex oratione Salomonis quoque patet (3 Reg. 8,17), tamen in universum iis verbis designatur sollicitudo Davidis pro sanctuario ; templum autem aedificare prohibitus erat. Bene notat *Ag.* verba illa *et requiem temporibus meis* τοῖς κροτάφοις μου ex Theodotionis interpretatione esse et in editione LXX in octaplis esse obelo confossa.

Hoc votum David, quod tandem per Salomonem est impletum, laetitiam attulit universo regno Israel ; ad templi dedicationem aderat « multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Aegypti » (3 Reg. 8,65). Id psaltes v. 6-9 poetice exhibet tamquam complementum iuramenti David ; v. 6 *ecce, audivimus eam*, explica noto hebra-

ismo (26,4) audivimus id *in Ephrata*, in campo, regione fertili, et in *campis silvae*, in regione silvestri, montana, *invenimus id*; ubique nuntius ille auditus est, undequaque perlatus est et ubique reperitur; quare inter se exhortantur v. 7; formam exhortationis hebr bene servavit Hier : intremus in tabernacula eius, adoremus scabellum pedum eius; prosternamur et veneremur arcam (vide 98,5), LXX vulg *ubi steterunt pedes eius* i.e. in loco ubi habitat, ergo generatim in templo (cf. 3 Reg. 8,27). Uti inter se exhortantur, ita Dominum quoque invitant v. 8 *surge,* ingredere *in requiem tuam*, in locum sanctuarii stabilem, ubi manendum est et quiescendum, in oppositione ad migrationes varias arcae; cf. Num. 10,3; 2 Par. 6,41.42, tu et arca fortitudinis tuae (Hier). In hoc sanctuario nunc offerunt preces v. 9 primo pro ipsis ministris sanctuarii, ut *induti iustitia*, pie et sancte ex norma legis Dei, officio fungantur; dein pro aliis omnibus Dei cultoribus : *et sancti tui exsultent*, in pace ac prosperitate viventes Deo laudes persolvant; demum v. 10 pro rege supplicant, *ut propter David*, qui Deo placens et acceptus promissiones accepit de posteris, benigno vultu respiciat unctum regem suum, qui sedet super solium Domini (1 Par. 29,23).

Voluntati Davidis de templo aedificando respondit Deus promissione de posteris et de throno aeterno v. 11 *iuravit Dominus David veritatem* i.e. id quod vere futurum sit, non recedet ab ea (hebr); vide 2 Reg. 7,12-16 et refertur quoque in oratione Salomonis 3 Reg. 8, 19.25 et 2 Par. 6,16; vide ad Ps. 88,4.5.29-38. Clare et distincte nominatur et describitur, qua conditione regnum hoc temporale mansurum sit v. 12. Haec promissio de regno arcte connectitur cum Sion v. 13 *quoniam Dominus elegit Sion*, vide 2,6; 77,68 elegit montem Sion quem dilexit; 86,2; 109,2; *elegit in habitationem sibi*, vide ad 67,17. Ut iuramentum v. 11 correspondet v. 2, ita v. 14 responsio Dei est ad invitationem v. 8, et sicut v. 9.10 preces subiunctae sunt post mentionem sanctuarii, ita nunc Deus mentione facta sui sanctuarii pariter subiungit quales benedictiones ex hoc suo sanctuario paratus sit populo praestare v. 15-18; *viduam eius*, hebr pro צידה esse legendum ציון i.e. Sioni benedicam, quidam coniiciunt (*Nestle*, *Zenner* al.): Hier : venationem eius benedicam; recentiores : cibo eius benedicam. De lectione vulg audi Hier : « pro vidua, χήρᾳ et hebraea volumina et ipsi Septuaginta θήραν habent; sed propter novitatem verbi et unius litterae demutationem paulatim θήρᾳ obtinuit, ut legeretur χήρᾳ, maxime quia in sequenti versiculo pauperes sequebantur; Sym et Aq cibaria interpretati sunt » (cf. *Wies.* II, p. 57). Quam Deus promittit benedictionem, ea fere respondet precibus factis v. 9.10; Deus pro sua benignitate pauperibus prospicit; sacerdotes vestiet salute, quae salus

scil. oritur ex iustitia, quae v. 9 pro iis postulata est; piis concedet laetitiam, ergo pacem et prosperitatem; postulationem v. 10 pro rege factam etiam amplificat v. 17 faciam germinare *cornu* Davidi, potentiam; *lucernam*, pacem, felicitatem, favorem divinum (17,29. Iob 29,3); v. 18 super eum fulgebit diadema, vel corona eius (hebr); quae omnia demum in Messia, filio David, impleta sunt.

Ps. 132.

Canticum graduum * *David:*

1. *Ecce quam bonum et quam iucundum | habitare fratres in unum.* | 2. *Sicut unguentum in capite | quod descendit in barbam, barbam Aaron,* | *quod descendit in oram vestimenti eius;* | 3. *sicut ros Hermon qui descendit | in montem Sion;* | *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem | — et: vitam usque in saeculum.*

Duabus comparationibus describitur utilitas et iucunditas unionis et cohabitationis seu consessus familiaris fratrum.

Bonum refertur ad commoditatem et usum, iucundum ad oblectationem et pulchritudinem (*Ag.*). Proxime dicitur vi verborum: si fratres etiam una sedent; unde ob oculos habere videtur David scenam familiarem consessus et conversationis amicae. Ex qua autem per se infertur animorum unio ac concordia. Quae pariter maximam affert utilitatem ac iucunditatem, si obtinet inter varias partes ac tribus eiusdem populi. Talis unio in Ierusalem cernebatur in magnis festivitatibus, in quibus ex variis regionibus pii Israelitae convenerunt in urbem sanctam. Quare sententia in universum de unione et concordia familiarum, cognationum, tribuum valet. In conviviis festivis unctio symbolum erat amicitiae et laetitiae festivae (vide 44, 8), suavi odore domus implebatur (cf. Cant. 1, 3. Ioan. 12, 3); hic praeterea unctio describitur abundantissima, ita ut unguentum supra caput effusum non solum defluat in barbam, verum secundum communem veterum acceptionem (LXX Aq Sym Theod Hier syr targ) etiam in os seu capitium seu oram vestium. Et cum nominetur Aaron, comparatio videtur institui non cum unguento communi, sed cum pretioso illo ac sacrosancto unguento, quo unctus est Aaron sacerdos (Ex. 30, 23-33), quare talis unio ut res sacra et Domino valde accepta proponitur.

In hebr post barbam Aaron ponitur relativum ש, unde prope adiacet sententiam referri ad barbam, quae descendit ad oram vestimenti, atque ita aliqui rem concipiunt. Imo non defuit qui novam induceret comparationem: sicut barba Aaron quae descendit in partem vesti-

menti superiorem (*Graetz*) ; num exsistebat certa traditio de pulcherrima barba Aaron quam omnes norant? alias comparatio non potuit intelligi nisi ab iis qui viderant Aaron. — Difficilis est altera comparatio ; obvia quidem est utilitas et pulchritudo roris; sed quomodo ros Hermon descendit super montes Sion, super montana Sion (Hier)? aliqui rabbini supplent : sicut ros Hermon, sicut ros qui descendit super montes Sion (cf. *Muis*, *Calm.*). Alii contenti sunt dicere : ros Hermon est locutio proverbialis pro rore abundantissimo; esse rorem abundantem ea in regione *Theod.* testatur : « tantus autem hic est, ut tegulae stillas emittant » ; sed de locutione ea proverbiali nihil innotescit. Sanat *Duhm* textum omissione : sicut ros Hermon. Nam illic (scil. ubicunque fratres amice inter se versantur) Deus mandavit sive tribuit benedictionem. Ultima huius psalmi sententia *quoniam illic mandavit benedictionem, vitam in aeternum*, certe referatur oportet ad Sion; nam talia bona non aliunde peti et exspectari solent. Aliqua in textu esse omissa *Graetz* censet : sicut ros Hermon, qui descendit in montes... ; benedicat te Dominus ex Sion, quoniam... — Non iuvat plures aliorum coniecturas referre.

Ps. 133.

Canticum graduum.

1. *Ecce — nunc : benedicite Dominum | omnes servi Domini ; | qui statis in domo Domini, | — in atriis domus Dei nostri : | 2. In noctibus extollite manus vestras in sancta, | et benedicite Dominum. | 3. Benedicat te Dominus ex Sion. | qui fecit coelum et terram.*

Excubantes in templo admonentur ad Deum in nocte quoque laudandum (v. 1-2). Respondent invitantibus apprecatione benedictionis Dei potentis creatoris (v. 3).

Custodiam ad templi portas agebant Levitae (cf. 1 Par. 26), tribus in locis etiam sacerdotes eo munere fungentes nominantur (4 Reg. 12,9; 22,4; 25,18). Psalmus hic fortasse canebatur, cum alii in stationem aliorum succederent. Apud Iosephum (cont. Ap. 1,22,199) legitur scribere Hecataeum: διατρίβουσι δ'ἐν αὐτῷ (in templo) καὶ τὰς νύκτας καὶ τὰς ἡμέρας ἱερεῖς, ἁγνείας τινὰς ἀγνεύοντες, quibus itaque etiam hic psalmus inservire potuit. Ceterum variae occasiones a variis propositae sunt; esse carmen quod populus canere solitus sit ultimo festivitatum die quasi valedicens sacerdotibus ac levitis; vel levitis excubias agentibus identidem a praefecto seu praeposito esse acclama-

tum : ecce nunc..; et levitas bene precandi formula respondisse. Uti *Graetz* refert, narratur in Tosephta psalmum cantatum fuisse tempore festi tabernaculorum cum levitae post caerimoniam aquam hauriendi discederent.

Cum dicatur *qui statis* etc. intelliguntur *servi Domini* sacerdotes, levitae, vide Deut. 10,8. Iud. 20,28. In textu hebr solum habetur : stantes in domo Iahve in noctibus. Manus vestras levate ad sanctum (Hier); gestus est orationis levare manus (Ex. 17,11) seu expandere manus (3 Reg. 8,22.54); hic manus protenduntur versus sanctum sanctorum, quo Deus peculiari ratione se habitare promisit (Ex. 25,22). Cum dicatur v. 3 *ex Sion* videtur precandi formula potius dirigi ad populum abeuntem ex templo vel ex Ierusalem: non adeo commode intelligitur in ipso templo vel prope templum usurpari et peti benedictionem ex Sion, nisi assumpseris hanc bene precandi formulam iam abiisse in consuetudinem, id quod utique facile assumi potest: vide ad 127,5.

Ps. 134.

Alleluia.

1. *Laudate nomen Domini,* | *laudate servi Dominum;* | 2. *qui statis in domo Domini,* | *in atriis domus Dei nostri.* | 3. *Laudate Dominum, quia bonus Dominus;* | *psallite nomini eius,* | *quoniam suave;* | 4. *quoniam Iacob elegit sibi Dominus,* | *Israel in possessionem sibi.* | 5. *Quia ego cognovi quod magnus — est : Dominus,* | *et Deus noster prae omnibus diis.*

6. *Omnia quaecumque voluit, Dominus fecit in coelo,* | *in terra, in mari, et in omnibus abyssis;* | 7. *educens nubes ab extremo terrae,* | *fulgura in pluviam fecit;* | *qui producit ventos de thesauris suis.* | 8. *Qui percussit primogenita Aegypti* | *ab homine usque ad pecus,* | 9. *— et : misit signa et prodigia* | *in medio tui Aegypte,* | *in Pharaonem et in omnes servos eius;* | 10. *qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes;* | 11. *Sehon regem Amorrhaeorum* | *et Og regem Basan* | *et omnia regna Chanaan;* | 12. *et dedit terram eorum hereditatem,* | *hereditatem Israel populo suo.* | 13. *Domine, nomen tuum in aeternum,* | *Domine, memoriale tuum in generationem et generationem;* | 14. *quia iudicabit Dominus populum suum,* | *et in servis suis deprecabitur.*

15. *Simulacra gentium argentum et aurum,* | *opera manuum hominum.* | 16. *Os habent et non loquentur;* | *oculos habent et non videbunt:* | 17. *aures habent et non audient:* | *neque enim est spiritus in ore ipsorum.* | 18. *Similes illis fiant qui faciunt ea,* | *—et : omnes qui confidunt in eis.* | 19. *Domus Israel, benedicite Domino;* | *domus Aaron benedicite Domino;* | 20. *domus Levi benedicite Domino;* | *qui timetis Dominum benedicite Domino.* | 21. *Benedictus Dominus ex Sion,* | *qui habitat in Ierusalem.*

Admonitione praemissa, ut Deum foederis, magnum prae diis laudent (v. 1-5), describit psaltes operationem Dei in rebus naturalibus, in eductione populi de Aegypto et in occupatione terrae promissae (v. 6-14). Hisce Dei operibus opponitur impotentia idolorum ; et adhortatione ad Deum celebrandum concluditur carmen (v. 15-21). Duo illa, quae v. 1-5 indicantur : Deus foederis, magnus prae diis, bene hoc psalmo illustrantur.

Ad v. 1 vide 112,1 et 134,1 ; cum hic etiam in hebr habeatur *in atriis*, simul cum sacerdotibus et levitis invitantur laici ad laudandum Deum ; *psallite* cantionibus et instrumentis musicis celebrate nomen Domini ; *suave*, LXX καλόν, Aq εὐπρεπές, Theod ἡδύ, suave potest referri ad nomen, vide ad 51,11 et 53,8 ; alii referunt ad totum complexum et ad utilitatem psallentium (*Chrys. Theod. Calm.*) ; sed ex parallelismo ad *quia bonus* prior acceptio potius suadetur. Ad v. 4 vide Ex. 19,5 ; Deut. 7,6 ; 26,18, *in possessionem*, in peculium, in populum peculiarem, uti l. c. dicitur. Et populus cognoscit suum Deum foederis tamquam *magnum*, *prae diis*, cf. Ex. 15,11 ; 18,11 nunc cognovi quia magnus Dominus super omnes deos ; Ps. 96,9.

Et Dei eminentia exhibetur v. 6 descripta eius potentia universali in coelo et in abyssis, terra marique ; 113 b,3 ; hebr 115,3. Cuius aliqua exempla afferuntur v. 7, cf. Ier. 10,13, qui levat nubes ab extremo terrae 51,16, a mari (*Theod.* ; fines enim terrae sunt sinus maris, *Heracl.*) ; cf. Am. 5,8 qui vocat aquas maris et effundit eas super faciem terrae ; *fulgura in pluviam facit* ; explica : fulgura simul cum pluvia, seu inter pluviam facit ; id quandoque veteribus mirum videbatur ; nam *Theod.* : ostendit θαῦμα πάντων παραδοξότατον : in aquis enim fulguris ignis discurrens neque illas calefacit neque ipse extinguitur » ; *ventos de thesauris suis*, vide 32,7. Deut. 28,12. Iob 38,22. Uti in rebus naturalibus, ita in hominum quoque sortibus et eventibus suam ostendit potentiam v. 8, vide 77,51 ; Ex. 12,29 ; v. 9 *signa et prodigia*, in plagis, quibus Pharao et aulici quoque affligebantur ; Ex. 8,3. 24 ; 9,15 ; 10,16 ; v. 10 *gentes multas*, 77,55 ; *occidit reges fortes*, Ios. 12, 1-24 ; *Sehon* Num. 21,21 sq. Deut. 2,26 ; *Og* Num. 21,33. Deut. 3,3 ; *hereditatem populo suo*, Ios. 13,1 etc. Commemoratis operibus ac beneficiis Dei subditur laus Domini v. 13 *nomen tuum* manet praedicatum et laudatum *in aeternum* ; implebitur quod Deus dixit Ex. 3,15 ; et ad v. 14 vide Deut 32,36 ; *iudicabit*, tribuet populo quod vi promissionis ei debetur, causam populi aget et tuebitur ; *et in servis suis deprecabitur*, 89,13 legimus textum fere eundem : et deprecabilis esto super servos tuos ; Hier : in servos suos erit placabilis, hebr servorum suorum miserebitur.

Illustratur quod v. 5 dictum est : Deus noster prae omnibus diis. Impotentia describitur et inanitas deorum, scil. qui non sunt nisi simulacra, non habent aliud esse, nisi esse et naturam statuarum ; cf. Is. 44,19 ; v. 15-18 vide ad 113 b, 4-8. Israel autem et sacerdotes et levitae et *timentes Dominum*, proselyti v. 19.20 invitantur ad Deum celebrandum ; ita redit psalmus ad initium ; v. 21 Dominus sit laudatus et laus eius ex Sion audiatur et propagetur ; 49,2.

Ps. 135.

Alleluia.

1. *Confitemini Domino quoniam bonus,* | *quoniam in aeternum misericordia eius:* | 2. *Confitemini Deo deorum,* | *quoniam in aeternum misericordia eius.* | 3. *Confitemini domino dominorum,* | *quoniam in aeternum misericordia eius.* | 4. *Qui facit mirabilia magna solus,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 5. *qui fecit coelos in intellectu,* | *quoniam in aeternum misericordia eius,* | 6. *qui firmavit terram super aquas ;* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 7. *qui fecit luminaria magna,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 8. *solem in potestatem diei,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 9. *lunam et stellas in potestatem noctis,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* |

10. *Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 11. *qui eduxit Israel de medio eorum,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 12. *in manu potenti et brachio excelso,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 13. *qui divisit mare rubrum in divisiones,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 14. *et eduxit Israel per medium eius,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 15. *et excussit Pharaonem et virtutem eius in mari rubro,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 16. *qui traduxit populum suum per desertum,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 17. *qui percussit reges magnos,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 18. *et occidit reges fortes,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 19. *Sehon regem Amorrhaeorum,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 20. *et Og regem Basan,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 21. *et dedit terram eorum hereditatem,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 22. *hereditatem Israel servo suo,* | *quoniam in aeternum misericordia eius.*

23. *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 24. *et redemit nos ab inimicis nostris,* | *quoniam in aeternum misericordia eius ;* | 25. *qui dat escam omni carni,* | *quoniam in aeternum misericordia eius.* | 26. *Confitemini Deo coeli,* | *quoniam in aeternum misericordia eius.* | — *Confitemini Domino dominorum,* | *quoniam in aeternum misericordia eius :*

Laude et gratiarum actione in universum praemissa celebratur Deus creator (v. 1-9), Deus in rebus pro Israel populo gestis (v. 10-22), Deus continuo curam gerens suorum (v. 23-26). Praecedenti psalmo hic

similis est argumento et verbis (v. 17-22 et 134, 10-12); forma differt, quia singulis versuum stichis adiungitur responsorium : quoniam in aeternum misericordia eius חסד gratia, benignitas ; prior psalmus fert הַלְלוּ, laudate; hic הודו confitemini, laudate, gratias agite. Praecentori post singulos stichos respondebatur a choro vel a populo : *quoniam* etc.; vide 2 Par. 7,3.6 et Ps. 117,1-4; refertur choris mulierum praececinisse Mariam : cantemus Domino etc. Ex. 15,21 et comparari potest responsorium Amen quod populus singulis maledictionibus adiungebat Deut. 28,15-26.

Deus deorum v. 2 posset per se intelligi Deus summus, cf. canticum canticorum, sanctum sanctorum, servus servorum (Gen. 9,25) ; sed cum Deus v. g. dicat : in cunctis diis Aegypti faciam iudicia (Ex. 12,12) et prophetae similiter loquantur : ibit Chamos in transmigrationem (Ier. 48,7), potius intelligendus est Deus qui dominatur diis ; sicut dominus Deus qui imperium exercet in dominatores, ipse utique supremus dominator; cf. Deut. 10,17 ; v. 4 vide 71,18 ; 85,10 ; v. 5 *in intellectu*, intelligenter, sapienter (*Gen.*), magno artificio et eximia sapientia (*Ag.*) ; cf. Prov. 3,19. Ier. 10,12 ; 51,15 ; v. 6 *terram super aquas*, vide ad 23,2 ; hebr qui extendit terram super aquas ; v. 7-9 vide Gen. 1, 14-16 ; *in potestatem diei*, ut dominetur in die ; ad dominium in die, et v. 9 LXX et Hier pariter eodem modo *in potestatem noctis*, ad dominium in nocte, hebr ad dominia, pluralis propter *stellas*, quam vocem critici ob metrum delent(?) ; v. 10-22 fere recolitur 134, 8-12 ; v. 12 *in manu potenti* Ex. 13,3 ; Deut. 4,34 ; 5,15 ; 6,21 ; 7,8 etc. ; v. 15 *et excussit*, Hier : et convolvit Pharao et exercitum eius ; idem verbum hebr redditur Ex. 14,27 et involvit eos Dominus in mediis fluctibus.

In v. 23 sqq. gratiae aguntur pro beneficiis populo iam in terra promissa habitanti divinitus collatis. Deus populum suum ab hostibus liberavit per iudices. Et in v. 25 a speciali in populum Dei cura ad generalem in omnes res providentiam transit psaltes et ita revertitur, uti in ps. 134, ad initium psalmi ad Deum creatorem et ad laudes eius repetendas.

Ps. 136.

— Psalmus David, Ieremiae :

1. *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus,* | *cum recordaremur Sion.* 2. *In salicibus in medio eius,* | *suspendimus organa nostra.* | 3. *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos* | *verba cantionum : et qui abduxerunt*

nos : | hymnum cantate nobis de canticis Sion! | 4. Quomodo cantabimus canticum Domini | in terra aliena?

5. Si oblitus fuero tui, Ierusalem, | oblivioni detur dextera mea. | 6. Adhaereat lingua mea faucibus meis, | si non meminero tui; | si non proposuero Ierusalem | in principio laetitiae meae. | 7. Memor esto, Domine, filiorum Edom | in die Ierusalem; | qui dicunt : exinanite, exinanite | usque ad fundamentum in ea. | 8. Filia Babylonis misera, | beatus qui retribuet tibi retributionem tuam | quam retribuisti nobis; | 9. beatus qui tenebit et allidet | parvulos tuos ad petram.

In hebraeo non legitur titulus.

Exsules lugentes invitantur a Babyloniis, ut canant cantica Sion ; id utpote iniuriam in Dominum recusant (v. 1-4). Inde maximum excitatur in iis desiderium urbis sanctae, et odium et exsecratio in Edom et Babel, auctores ruinae (v. 5-9).

Magna in psalmo depingitur tristitia exsulum, ardens amor urbis sacrae Ierusalem cum desiderio, ut Deus hostes et vastatores illius ulciscendo humiliet. Vehementia affectus ipsis exsulibus potius quam reducibus convenire videtur. Neque obstat, quod *Baethgen* opinatur, legi in v. 1-3 perfecta ; nam in ipso exsilio profecto narrari potest, quod in exsilio aliquando evenit. In narratione soluta oratione diceretur : cum quondam sederemus tristes, accesserunt ad nos postulantes carmina.

In regione babylonica praeter flumina magni erant canales, fluminibus haud ita inaequales. Ibi morantur tristes et flentes ; Is. 3,26 et desolata in terra sedebit. Impletum est illud Os.3,4 dies multos sedebunt filii Israel sine rege, sine sacrificio, sine altari, sine ephod ; v. 2 *in salicibus in medio eius* regionis, in medio Babel, *suspendimus* citharas nostras (hebr, Hier, Aq, λύρας ἡμῶν Sym), quievit sonitus laetantium, conticuit dulcedo citharae (Is. 24,8) ; impletum est : cessare faciam omne gaudium (Os. 2,11) ; et auferam a vobis vocem iucunditatis et vocem gaudii (Bar. 2,23). Cur suspenderint, ratio continetur in sequentibus, praesertim in v. 4 ; postularunt a nobis verba cantici, verba carminis (Hier) ; *qui abduxerunt*, vertit Hier : qui affligebant nos, Sym οἱ καταλαζονευόμενοι ἡμῶν qui arroganter agebant contra nos ; hebr תוֹלְלֵינוּ ? emendant alii שׁוֹלְלֵינוּ (Ez. 39,10) qui exspoliarunt nos ; alii aliter ; hebr postularunt laetitiam, cantate nobis ; id quod Hier vertit : laeti canite nobis de canticis Sion. Quaerunt quoque quo animo postulaverint. Ipsam postulationem fuisse irrisionem crudelem et ut talem ab exsulibus intellectam, aliqui putant. Sed ex responsione v. 4 id certe non colligitur ; cur non potius Babylonii ex curiositate quaesierint? Responsione non proditur animus offensus seu acerbus. Bene notat *Ag.* : in hebraeis litteris est aliquid quod in nostris non apparet : quomodo

cantabimus canticum Domini in terra alieni, alieni scil. dei? considerant id tamquam profanationem; neque idololatris volunt prodere carmina sacra. Ipsi exsules habitantes in terra aliena exhibentur quasi subiecti diis alienis, hac ipsa sua commoratione; vide quae notavi ad Ier. 16,13; unde minime decet ad ditionem alienam transferre carmina Sion.

Hac ipsa postulatione dolor et desiderium patriae Domino sacrae vehementer renovatur. Quam alte sit in animis repositus amor ille, eximie explicatur v. 5 *si oblitus fuero*, arescat dextera mea; hebr pro תשכח esse legendum תכחש (cf. 109,24 hebr) iam bene sensit *Ag.* et statuunt recentiores; textus traditus esset explicandus : dextera mea oblivioni det, scil. suppleto obiecto : munus suum, operationem suam; ita *Chrys.* concipit textum graecum : « quid est ἐπιλησθείη ἡ δεξιά μου; ἡ ἰσχύς μου, φησὶν, ἡ δύναμίς μου ἐπιλάθοιτό μου. vires meae obliviscantur mei ». Praeter aridam dexteram aliud malum sibi imprecatur : *adhaereat lingua*, γενοίμην ἄφωνος (*Chrys.*), elinguis, mutus fiam, si mihi summum laetitiae fastigium non sit Ierusalem; si Ierusalem non sit culmen laetitiae quae mihi contingere possit.

De iniuriis Edomitarum contra populum Israel et urbem vide Ez. 35,5.10-15 ; unde rogatur Deus v. 7 ne filiis Edom diem Ierusalem impunitum omittat, sed ut memor illius diei vicem reddat Edomitis, qui tum hostibus vastatoribus acclamabant exhortantes : *exinanite*, evacuate (Hier), ut plane everterent urbem et ipsa quoque fundamenta destruerent, ut nullae relinquerentur reliquiae (*Ag.*); verte hebr memento, Iahve, filiis Edom diem Ierusalem, uti fere habent LXX μνήσθητι τῶν υἱῶν Ἐδὼμ τὴν ἡμέραν. Legem talionis invocant et exoptant contra Babel, filiam Babel, Babyloniorum populum et urbem et rempublicam; *misera*, hebr Aq Hier vastata, quae vox vastationem fieri debere indicat; aliud enim indicari nequit; cui notioni optime congruit Theod ἡ διαρπασθησομένη, vertit Sym ἡ λῃστρίς, praedicatur *beatus* qui reddet tibi retributionem pro malefactis, quae tu intulisti nobis.

Praedixerat Isaias de interitu Babel : sagittis parvulos interficient (Medi) et super filios non parcet oculus eorum (13,18); idem imprecantur v. 9 *beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram* ; eius modi atrocitates etiam commemorantur Os. 10,14 et 14,1 parvuli eorum elidantur; Nah. 3,10; 4 Reg. 8,12 ; « familiaris erat tunc haec erga pueros in bellis saevities, neque ullum iniustitiae genus in eo esse putabatur » (*Calm.*). Notat *Chrys.* haec esse verba perturbationis animi captivorum, qui magnam poenam et horrendum supplicium postulent : « prophetae autem multa saepe loquuntur, non tamquam suos affectus narrantes, sed aliorum, et in medium afferentes ». Ceterum

recole quae supra ad Ps. 108 adnotata sunt de eiusmodi imprecationibus (p. 388 sq.).

Ps. 137.

Ipsi David.

*1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo; | quoniam audisti verba oris mei; | in conspectu angelorum psallam tibi; | 2. adorabo ad templum sanctum tuum, | et confitebor nomini tuo | super misericordia tua et veritate tua, | quoniam magnificasti super *omne: nomen sanctum tuum. | 3. In — quacumque: die invocavero — te: exaudi me; | multiplicabis in anima mea virtutem.*

4. Confiteantur tibi Domine omnes reges terrae, | quia audierunt—omnia: verba oris tui; | 5. et cantent in viis Domini, | quoniam magna — est: gloria Domini; | 6. quoniam excelsus Dominus et humilia respicit, | et alta a longe cognoscit. | 7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, — et: super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, | et salvum me fecit dextera tua. | 8. Dominus retribuet pro me, | Domine, misericordia tua in saeculum; | opera manuum tuarum ne despicias.

Psalmista Deo publice gratias persolvit, qui pro sua gratia et fidelitate precibus annuens ultra spem salutem maximam praestitit (v. 1-3). Haec Dei pro Israel beneficia etiam regibus erunt occasio agnoscendi vias et gloriam Domini. Populo autem sunt stimulus maioris fiduciae et securitatis (v. 4-8).

Davidem nomine totius populi loqui imprimis significatur eo quod dicitur: in conspectu deorum v. 1 et quod v. 4.5 ex eventibus rebusque gestis Deum agnoscunt. Sat multi interpretes referunt psalmum ad Davidem post vaticinium 2 Reg. 7, 8-16 Deo gratias agentem et maxima cum fiducia supplicantem, ut promissa exsecutioni mandentur 2 Reg. 7, 18 sqq.; sane quod dicitur hebr. v. 2, bene congruit cum sensu David 2 Reg. 7, 19-21 expresso. Censet *R. Cornely* (Psalmorum Synopses, Paris 1899, p. 89) Davidem hunc psalmum composuisse eo forsitan tempore, quo hostibus vicinis devictis et aeterni throni promissione accepta divinam liberalitatem clarissime cognoverat.

Pars illa in v. 1 *quoniam audisti verba oris mei* non habetur hebr, syr, targum; legitur in LXX (codice alex.; sed in codice sin. a primo correctore et in psalterio turicensi legitur post stichum: in conspectu). In hebr coram Elohim psallam tibi, Hier in conspectu deorum psallam tibi: si psalmus canitur cladibus in gentes illatis, nemo mirabitur, si laudes Domini coram diis celebrantur. Nam uti ex opinione populari clades populi etiam clades dei censebatur, ita in victoria Israel Iahve

triumphum agit de diis (cf. Is. 41,29 ; 44,25 ; 46,1.2). Aliis visum est Elohim explicare de regibus (uti syr) v. 4 ; sed hi ex v. 4 non supponuntur adstare. Dei gratia eiusque fidelitas v. 2 effertur et quidem hebr : quia magnificasti super omne nomen tuum, eloquium tuum, i. e. ut *Ag.* rite concipit : super omnem famam tuam quae de te celebratur, extulisti promissionem tuam ; cf. 3 Reg. 10,7 ; promissionem tuam maxima cum gloria implevisti, ad quem sensum accedit quoque LXX vulg *magnificasti super omne* (valde, eminenter) *nomen sanctum tuum*. Extollunt v. 3 Dei promptitudinem ad preces exaudiendas ; nam hebr edicit (quod unice ad contextum convenit) : quando invocavi te,exaudisti me, uti bene vertit Sym ἐπήκουσάς μου, dilatasti in anima mea virtutem (Aq Hier legerunt רהב, text mass רהב hiph, me superbum fecisti in anima mea robore ?).

Haec Dei magnalia agnoscentes reges quoque terrae celebrabunt Dominum v. 4 *audierunt verba oris tui*, audierunt promissa populo data quae nunc vident impleta ; unde v. 5 *cantent* de *viis* seu dispositionibus et actionibus Domini ; rationes quibus Deus utitur in rerum administratione mirabuntur ; et hae rationes explicantur v. 6 *excelsus Dominus et humilem respicit*, populum suum tantopere afflictum *et alta a longe cognoscit*, Sym τοὺς ὑψηλούς principes seu potentes oppressores populi sui ; hi a familiari Dei cura exclusi sunt ; minus dicitur, sed plus intelligitur ; non prope, non familiariter ; removet a suo favore, non prope ad eos accedit, ut excipiat et occurrat (*Gen.* ; targum : superbum de coelis longinquis deprimit ; cf. 112,5.6. — Hac manifestatione divinae potentiae ipse populus concipit summam fiduciam pro futuro v. 7, uti legitur *vivificabis me*, ita etiam legi oportet ex hebr, Hier, Sym *extendes manum tuam, salvum me faciet dextera tua* et v. 8 Dominus operabitur pro me (Hier), perficiet pro me (hebr), quae promisit ad plenum exitum perducet : ne dimittas opera manuum tuarum (Hier).

Ps. 138.

1. *In finem, Psalmus David.*

Domine probasti me et cognovisti — me : | 2. *tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam ;* | 3. *intellexisti cogitationes meas de longe,* | *semitam meam et funiculum meum investigasti ;* | 4. *et omnes vias meas praevidisti,* | *quia non est sermo in lingua mea,* | 5. *ecce Domine — tu : cognovisti omnia, novissima et antiqua,* | *—tu : formasti me et posuisti super me manum tuam.* | 6. *Mirabilis — facta est : scientia — tua : ex me ;* | *confortata est — et : non potero ad eam.*

7. *Quo ibo a spiritu tuo,* | *et quo a facie tua fugiam?* | 8. *Si ascendero in coelum, tu illic — es :* | *si descendero in infernum, ades;* | 9. *si sumpsero pennas — meas : diluculo,* | *— et : habitavero in extremis maris;* | 10. *etenim illuc manus tua deducet me* | *et tenebit me dextera tua.* | 11. *Et dixi : forsitan tenebrae conculcabunt me,* | *et nox illuminatio mea in deliciis meis.* | 12. *Quia tenebrae non obscurabuntur a te,* | *et nox sicut dies illuminabitur;* | *sicut tenebrae eius, ita et lumen eius.*

13. *Quia tu possedisti renes meos,* | *suscepisti me de utero matris meae.* | 14. *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es,* | *mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.* | 15. *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto,* | *et substantia mea in inferioribus terrae.* | 16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui* | *et in libro tuo omnes scribentur;* | *dies formabuntur et nemo in eis.* | 17 *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus;* | *nimis confortatus est principatus eorum.* | 18. *Dinumerabo eos et super arenam multiplicabuntur,* | *exsurrexi et adhuc sum tecum.*

19. *Si occideris Deus peccatores,* | *viri sanguinum declinate a me;* | 20. *quia dicitis in cogitatione :* | *accipient in vanitate civitates tuas.* | 21. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam,* | *et super inimicos tuos tabescebam ?* | 22. *Perfecto odio oderam illos,* | *et inimici facti sunt mihi.* | 23. *Proba me Deus et scito cor meum;* | *interroga me et cognosce semitas meas;* | 24. *et vide, si via iniquitatis in me est* | *et deduc me in via aeterna.*

Pia meditatione considerat David omniscientiam Dei (v. 1-6), eius in omni loco praesentiam, ita ut eius conspectui omnia, etiam tenebrae pateant (v. 7-12), miram hominis Deo dirigente formationem et dierum eius praedefinitionem, et consiliorum Dei interminatam multitudinem (v. 13-18). Coram tali Deo profitetur a se odio haberi peccatores confidens Deum esse testem integritatis suae (v. 19-24). — Versio LXX, vulg praesertim 2.17.18.20 deficit.

De omniscientia ita docet psaltes, ut eam statim in seipso illustret : tu exploras me et pervestigas et me, intima mea, rimaris (cf. *Ag.*); v. 2 omnem meum habitum et operationem tu noscis, ad verbum : sedere meum et meum surgere, et in v. 3 additur : ambulare et cubare meum eventilas (Hier), accurate scrutaris, discernis ; unde quattuor istis tota vita et operatio humana externa designatur. Accedit notio mentis, animi : intelligis cogitationem meam *de longe*, longo ante tempore, antequam oriatur (*Chrys.*), ab aeterno (*Ag.*); *semitam meam et funiculum meum* LXX τὴν σχοῖνόν μου investigas, σχοῖνος significat iuncum, et dicitur etiam de iis quae ex iuncis conficiuntur ; unde σχοῖνος potest esse storea ; ergo LXX sensu non recedunt ab hebr : viam meam (ambulare) et stoream meam (cubare) tu accurate noscis ;v. 4 *et omnes vias meas* rationes agendi modosque operandi *praevides*, perspicis. In sequenti sententia iunge ex hebr : nam non est sermo in lingua mea, ecce Iahve, tu nosti eum totum ; antequam ego sermonem proloquar, Deus iam integrum eum notum habet. Eodem modo explica LXX

et vulg ; hebr retro et ante (undique, ex omni parte) me conclusisti *et posuisti super me manum tuam*, totus homo est quam maxime in Dei potestate; nihil a Deo potest occultari. Hanc Dei omniscientiam stupens admiratur vates v. 6 *ex me* i. e. prae me; mirabilius est quam ut ego intelligam ; sublime (excelsum) est, non possum attingere.

Exponitur v. 7-14 Dei omnipraesentia, quam homo effugere nequit ; v. 7 ipsa quaestione iam explicatur non esse eiusmodi regionem, ubi latere possimus et effugere Dei spiritum, eius potentiam, et faciem, eius praesentiam. Ubique adest Deus, in summo coelo, in profundo; in oriente et in occidente; hebr v. 8 si fecero lectum meum orcum, ecce tu (ades), Hier si iacuero in inferno, ades. In v. 9 alia duo extrema tanguntur : si sumpsero pennas aurorae (radii aurorae celerrime amplissimum coeli spatium occupant) et habitavero in extrema regione maris i. e. si celerrimo volatu ab oriente in extremam partem occidentis contenderem, ibique in extrema et ultima regione latere vellem, v. 10 *etiam illuc manus tua deducet me*, *tenebit me dextera tua*; dein aliud proponit psaltes quod quis fingere apud se possit : tantum tenebrae operient me, nox quoque lux erit circa me (Hier) ; non alia lux nisi nox sit circa me, ergo caligo densissima me involvet, Aq καὶ νὺξ φῶς περὶ ἐμέ, Sym ἀλλὰ καὶ νὺξ φωτεινὴ περὶ ἐμέ, hebr בעדני circa me, *Bellarm.* monet LXX cogitasse de Eden עדן *in deliciis meis* vulg. At frustra : v. 12 etiam tenebrae non sunt obscurae prae te, ita ut tu eas non possis penetrare; tibi seu coram te ipsae tenebrae non faciunt tenebras, לא יחשיך, et nox sicut dies lucet ; et additur breviter ac nervose : ut tenebrae, ita lumen, i. e. apud Deum tenebrae et lux similes sunt (Hier), vel potius aequales ; eius scientia nec tenebris impeditur, nec luce augetur ; aequaliter videt in tenebris et in luce.

Cur autem Deus ita clarissime hominem totum perspiciat et cognoscat, ratio affertur, quia Deus hominem formavit ; artifex noscit opus suum ; v. 13 *quia tu* formasti *renes meos*, membra interna ; fortasse prae aliis et pro aliis renes nominantur, quia sedes censebantur affectuum et desideriorum ; cf. Sap. 7,1 ; *suscepisti me*, hebr vertunt recentiores : texuisti me in utero matris meae ; Hier orsusque es me in utero matris meae. Et hanc hominis originem admiratus psaltes exclamat v. 14 *confitebor*, laudo te, quia *terribiliter* (mirifice) *magnificatus es*, scil. ad magnam reverentiam incutiendam exhibuisti miram tuam potentiam : pro prima persona hebr נפליתי LXX, Hier, syr exhibent secundam, idque recte, et haec mira Dei opera bene agnoscit psaltes; cf. Iob 10,8-11. Quod homo non potest indagare, scil. quomodo in utero matris corpus humanum oriatur, hoc apertum est Deo v. 15 tibi non est occultatum os meum, τὸ ὀστοῦν μου, Hier ossa mea, ex quibus factus sum in abscondito, *et substantia mea*, origo ac formatio naturae meae non est occul-

tata a te quae fit *in inferioribus terrae*, scil. in regione quae hominibus occulta est, sicut interiora terrae, i. e. in utero matris : « in visceribus materni uteri, tamquam antro abdito terrae » (*Gen.*). Pro *substantia* LXX ὑπόστασις legitur hebr verbum רקמתי (pual) contextus sum, Aq Sym praebent ἐποικίλθην, variegatus sum; Hier imaginatus sum, in qua versione sequi videtur graecum illum interpretem qui teste *Chrys.* ἐξεικονίσθην vertit. Et variis interpretationibus graecis recitatis ait *Chrys.* omnes fere eadem dicere; dum fingerer, me perfecte nosti per partes, et quodvis membrum eiusque incrementum scivisti.

In v. 16 iam *Chrys. Theod.* relicta interpretatione LXX, utpote nimis obscura, explicarunt versionem Sym : informem me oculi tui praeviderunt (προεῖδον) cum omnibus qui in libro tuo scripti sunt, qui per dies formantur nullo die deficiente. Notionem : informem me, foetum meum pro hebr גלם etiam aliqui recentiorum retinent ; alii sermonis progressum potius attendentes monent sermonem fieri de diebus in libro Dei iam scriptis cum nullus ex eis sit; unde גלם (cf. 2 Reg. 2, 8 hebr) explicant : convolutum, glomum (scil. dierum meorum) meum, sortes meas, quae mihi per singulos dies evenient et quae nunc quasi convolutae iacent coram oculis Domini, *viderunt oculi tui, in libro tuo*, in scientia Dei, omnes dies scripti sunt et formati, et nullus ex eis erat; i. e. cum nullus ex eis esset, vel antequam unus ex eis esset *mihi* ; apposito scil. לי ex versu sequenti. Declaratur praescientia et praedefinitio Dei; et ita absolvitur doctrina de scientia Dei. De libro Dei vide 55,9 et 68,29; Ex. 32,32; Apoc. 3,5; 13,8.

Haec omnia considerans cum admiratione exclamat v. 17 (et mihi) quam sublimes cogitationes tuae, Deus ; quam ingentes sunt summae eorum; v. 18 si vellem numerare eas, super arenam multiplicabuntur ; expergefactus sum et adhuc tecum sum. Ita hebr concipiendum erit. Graeci et Latini multo aliter verterunt; nam ריעך interpretati sunt *amici tui*, « ubi nos sensum et contextum inspicientes (cum variis) vertimus *cogitationes tuae*, quam significationem vox רע versu 2 huius psalmi obtinet » (*Muis*) et *Ag.* dicit : « haec qui vult amplectatur ». Apud recentiores de hac acceptione constat. Cogitationes Dei homo nequit assequi ; quo magis cogitat, eo magis profundas et inscrutabiles eas deprehendet ; toto die occupor illis ; si mane evigilo, iterum mens mea tecum versatur. Haec ad contextum apta sunt. Difficile singula bene explicantur in versione veterum : *mihi nimis honorificati sunt amici tui* ; supposita hac lectione (LXX vulg) contextus vv. 17.18 videtur hic esse : talem ac tantum Deum unice ac super omnia debeo colere et amare, honorare ac magni facere eos, qui ei fideliter serviunt, odisse eos, qui eum oderunt.

Quomodo fieri potest, ut contra Deum adeo excelsum exsurgant homines scelesti? Indignatione plenus optat psaltes: utinam occideres impium, Deus! psaltes nihil cum talibus commune habere vult : *viri sanguinum*, viri oppressores (vide ad 5,7 ; 25,9) *declinate a me*; quod sequitur in v. 20 LXX vulg, nequit intelligi. Sensus haud ineptus elicitur, si cum Aq Sym Hier non legimus *civitates*, sed vocem עי cum eis ex aramaismo (uti saepius in hoc psalmo fieri debet) explicamus. Ita Hier : qui contradicunt tibi scelerate; elati sunt frustra adversarii tui ; et similiter Aq Sym. Continetur itaque in v. 20 descriptio quaedam virorum sanguinum. Psaltes quos scit a Deo odio haberi, eosdem ipse quoque aversatur, et inimici Dei ipsi sunt fastidio, horrori (hebr., *tabescebam* ; hos v. 22 etiam tamquam suos reputat inimicos. Demum Deum invocat testem v. 23 integritatis ac sinceritatis suae ; cf. v. 1 ; et fidenter eam asserit, invitans Deum ad accuratam inspectionem v. 24, sitne in se via doloris (hebr), scil. quidquam in ratione vitae, quo necessario perveniendum sit ad dolorem, poenam ; dein petit humiliter : *deduc me in via aeterna*, in ea vitae ratione quae consistat ac permaneat semper coram te, in via quae non peribit (vide ad 1,6).

Ps. 139.

1. *In finem, Psalmus David.*

2. *Eripe me Domine ab homine malo,* | *a viro iniquo eripe me ;* | 3. *qui cogitaverunt iniquitates in corde ;* | *tota die constituebant proelia.* | 4. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis,* | *venenum aspidum sub labiis eorum.* | 5. *Custodi me Domine de manu peccatoris ;* | *et ab hominibus iniquis eripe me ;* | *qui cogitaverunt supplantare gressus meos ;* | 6. *absconderunt superbi laqueum mihi, et funes extenderunt in laqueum ;* | *iuxta iter scandalum posuerunt mihi.*

7. *Dixi Domino : Deus meus es tu ;* | — *ex : audi Domine vocem deprecationis meae.* | 8. *Domine, Domine, virtus salutis meae.* | *obumbrasti super caput meum in die belli.* | 9. *Ne tradas me Domine a desiderio — meo : peccatori ;* | *cogitaverunt contra me, ne derelinquas me,* | *ne forte exaltentur.* | 10. *Caput circuitus eorum ;* | *labor labiorum ipsorum operiet eos.* | 11. *Cadent super eos carbones,* | *in ignem deiicies eos ;* | *in miseriis non subsistent.* | 12. *Vir linguosus non dirigetur in terra ;* | *virum iniustum mala capient in interitu.* | 13. *Cognovi, quia faciet Dominus iudicium inopis* | *et vindictam pauperum ;* | 14. *verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo,* | — *et : habitabunt recti cum vultu tuo.*

In priore parte David bis Deum implorat, ut eripiatur ab iniquis, quorum insidias etiam bis accuratius exponit (v. 2-4 ; 5-6). In altera parte suam affirmat in Deo fiduciam ; iniquis debitas imprecatur

poenas ex norma divina, qua Deus contra impios causam innocentium tuetur benigne eos suscipiens (v. 7-14).

Pii Dei cultores affliguntur ; quare contra persecutores opem Dei efflagitant. Statim in v. 3 patet nomina *homo, vir violentiarum* (hebr) esse collectiva ; *tota die*, quotidie suscitant bella, infestationes ; exsequuntur malitias quas excogitarant ; vertit Hier : versati sunt in proeliis, clare exprimit hebr יגורו ; lites et iurgia concitant. Ad quae accedunt calumniae et opprobia v. 4, mendacia et fraudes ; odium inficit ad instar veneni omnes eorum sermones et colloquia ; vide 9^b, 7 ; 51, 4 ; 57,5. Repetitur petitio v. 5 ; *de manu*, de potestate, de oppressione ac violentia. Me prosternere volunt ; occultas moliuntur insidias ; v. 6 laqueum abscondunt ; Hier : et funibus extenderunt rete ; iuxta semitam offendiculum posuerunt mihi ; vide easdem imagines 9,16 ; 30,5 ; 34,7. 8 ; 56,7 ; 63,6. Prov. 29,5. Lam. 1,13 etc.

Magno affectu, qui repetitionibus designatur. Dei opem sibi expetit cum certa fiducia ; v. 8 Dominum appellat : fortitudo salutis meae (Hier) i. e. tu es salus mea potens, vel auxilium meum forte ; tu protegis caput meum in die belli. In v. 9 textus hebr est valde clarus : ne des (ne concedas) desideria impii ; item Sym Hier ; LXX vulg *ne tradas me a desiderio meo* ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας μου procul a desiderio meo *peccatori*, ne me desiderii mei eventu frustratum irridendum tradas peccatori (cf. *Ag.*) ; explicat *Chrys.* : ne concedas ei desiderium suum contra me ; quae contra me desiderat, ex iis ne tantillum quidem ei concesseris. In hebr consilium eius ne perficias, (ne) eleventur (Hier) ; LXX, Sym, vulg *ne (forte) exaltentur* . In v. 10 sensus in universum est : sua ipsorum iniquitate puniantur ; *Chrys.* censet circuitum esse conventum, consessum, improbam officinam , caput et summa improbitatis eos obruerit ac perdiderit ; *labor labiorum*, improbitas quam sermonibus committunt, *operiet eos* ; Sym ὁ πικρασμὸς τῶν κυκλούντων με, exacerbatio circumdantium me ; improbitas et furor inimicorum qui me obsident. Ad textum hebr emendandum varia tentata sunt : si elevent (ne elevent) caput circum me, iniquitas labiorum suorum operiet eos ; cf. 7,15-17.

Quorum poena ulterius describitur v. 11 *cadent super eos carbones*, vide ad 10,7 ; hebr erit emendandum : pluat super eos carbones, in ignem deiiciat eos, in foveas, ne surgant ; nam v. 12 *vir linguosus*, vir linguax, mendax, maledicus, impostor, calumniator, qui abutitur lingua (*Gen.*), *non dirigetur*, non firmabitur, non consistet *in terra*, in hereditate Domini ; non particeps erit bonorum foederis ; *mala capient eum* percussionibus (ictibus repetitis ? hebr). At Deus

causam tuetur afflictorum; vide 9,5 et ius tribuet pauperibus v. 13. De qua agendi ratione certo, profecto (אך) iusti celebrabunt nomen Domini, et habitabunt iusti coram vultu tuo, secure et tuto, tuo fruentes favore, vide 15, 11 ; 60,8.

Ps. 140.

1. *Psalmus David.*

Domine, clamavi ad te, exaudi me ; | *intende voci meae, cum clamavero ad te.* | 2.*Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo ;* | *elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* | 3.*Pone Domine custodiam ori meo,* | *— et : ostium circumstantiae labiis meis ;* | 4. *non declines cor meum in verba malitiae,* | *ad excusandas excusationes in peccatis,* | *cum hominibus operantibus iniquitatem,* | *et non communicabo cum electis eorum.*

5.*Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me ;* | *oleum — autem : peccatoris non impinguet caput meum.* | *Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum.* | 6.*Absorpti sunt iuncti petrae iudices eorum.* | *Audient verba mea quoniam potuerunt.* | 7. *Sicut crassitudo terrae erupta est super terram ;* | *dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* | 8.*Quia ad te, Domine, Domine, oculi mei ; in te speravi ;* | *ne auferas animam meam.* | 9.*Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi,* | *et a scandalis operantium iniquitatem.* | 10.*Cadent in retiaculo eius peccatores ;* | *singulariter sum ego donec transeam.*

Postulat David a Deo, ne ob infestationes ad murmurationem et ad peccata perveniat (v. 1-4). Iustam castigationem non renuit ; at suis adversariis denuntiat interitum, confisus Deo, qui se ab eorum insidiis servaturus sit incolumem (v. 5-10).

Celerem implorat opem : clamo ad te, festina mihi (hebr, Hier), ad me adiuvandum festina ; et exoptat ut oratio Deo grata sit et accepta, sicut sacrificia a Deo praescripta ; v. 2 sistatur oratio mea, incensum (suffimentum) coram te ; in altari thymiamatis in sancto incensum, suave fragrans, adolebatur a sacerdote (cf. Ex. 30,7. Luc. 1,9) et *elevatio manuum mearum*, oratio expansis manibus seu ad coelum vel versus sanctuarium protensis facta, fertum vespertinum ; holocausto matutino ac vespertino fertum addi oportebat (Ex. 29, 38-42. Num. 28, 3-8), decimam partem ephi similae oleo conspersae cum libatione. Ne in querelas immodicas prorumpat, petit : *pone custodiam*, serva portam labiorum meorum (ita textus mass. concipi solet) ; LXX θύραν περιοχῆς περὶ τὰ χείλη μου, cf. 30, 22 ἐν πόλει περιοχῆς 2 Reg. 5, 7 καὶ κατελάβετο Δαυὶδ τὴν περιοχὴν Σιών arcem Sion, unde

LXX voci notionem munitionis attribuerunt, vulg *ostium circumstantiae*, ostium circumdans, occludens ? θύραν ἀσφαλῆ ὥστε περιέχειν τὸ πᾶν καὶ ἀσφαλίζεσθαι (*Chrys.*) ; sibi postulat, ne lingua et sermonibus delinquat ; fere recitatur hic versus Eccli. 22, 33 (27).

Cum orasset ut linguam claustris coerceret, nunc ad caput ipsum et fontem et verborum et operum recurrit oratque ne cor et animum perverti sinat (*Ag.*) v. 4 *non declines cor meum*. ne permittas cor meum inclinare ad rem malam, *ad excusandas* LXX τοῦ προφασίζεσθαι προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις ut praetexam praetextus, ad peccandum, vel ad defendenda, excusanda peccata ; id male fecisse ait *Chrys.* protoparentes, cum Adam culpam conferret in Evam, et haec in diabolum ; Sym ἐννοεῖν ἐννοίας παρανόμους ad cogitandas cogitationes sceleratas ; vertit Hier volvere cogitationes impias, sed hebr potius : ad perpetranda opera in impietate *cum hominibus operantibus iniquitatem* ; cum hisce enim et cum eorum vitae ratione nihil habere vult commune : *et non communicabo cum electis eorum*, cum iis quae ipsi habent et putant electa et deliciosa, hebr et non vescar deliciis eorum. Petit itaque ut perversio cordis avertatur, quae perversio in eo esset, si quaereret praetextus, excusationes ad peccandum, vel (ex hebr) si cum viris impiis in scelere et voluptate sese iungeret.

Dei iusti castigationem non renuit v. 5 corripiat me iustus in misericordia et arguat me, ut bene vertit Hier ; talis correptio est quoque misericordia, benevolentia ; *oleum peccatorum*, eorum delicias vero et blandimenta et lenocinia aspernatur ; cf. Prov. 27,6 ; et quantopere eorum delicias aversetur, declarat : *quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum* ἐν ταῖς εὐδοκίαις αὐτῶν id quod *Chrys.* explicat : εὔχομαι κατὰ τῶν ἐπιθυμιῶν αὐτῶν, precor contra cupiditates eorum ; in, seu contra beneplacita eorum (*Gen.* qui monet de acceptione רצ uti 138,17) ; hebr quia adhuc et oratio mea in malis eorum, Aq ἐν κακίαις αὐτῶν, Sym. ἐντὸς τῶν κακιῶν αὐτῶν, alius : ἐτ ταῖς πονηρίαις αὐτῶν (*Chrys.*) ; sensus erit : illis mala perpetrantibus ego oro ; vel oro contra malitias eorum ; *Theod.* pie explicat : precor, ut mali mutationem accipiant ; Hier oratio mea pro malitiis eorum. Ceterum aliud discrimen in hebr v. 5 adhuc notandum est : iustus arguat me, unguentum capitis, vel unguentum pretiosum ne renuat caput meum — ubi sensus est : increpatio iusti unguentum est pretiosum, quod libenter admitto.

Quae v. 6. 7 sequuntur, non tempore praeterito enuntia, sed futuro ; sunt quippe comminationes contra adversarios ; v. 6 praecipitabuntur ad rupem (in manus saxi) iudices eorum, fortasse simile supplicium de quo indicatur 136,9 ; vel deiicientur de rupe (*Calm.*), simile supplicium narratur 2 Par. 25,12. Si tali supplicio in eos advertitur, tunc *audient*

verba mea quoniam potuerunt, lege : audient, experientur, quod verba mea efficacia erant, scil. apud Deum, quod preces meae vim magnam habuerunt et valuerunt apud Deum (*Gen.*) ; eo sensu accipe hebr : quia grata erant, i. e. preces meae Deo acceptae erant et placuerunt. In v. 7 lege *ossa eorum*, ita syr, *Theod.* et ita in codicibus B, ℵ, et correctum est altera manu αὐτῶν, ita legitur in psalterio veronensi et turicensi (*Swete*) ; eius lectionis meminit Hier (ep. ad Sun. et Fr.) : in graeco legisse vos dicitis : ossa eorum. Intelliguntur ossa eorum, de quibus praecipitium v. 6 enuntiatur ; v. 7 *sicut crassitudo terrae erupta est super terram*, sicut crassa moles terrae, discissa aratro, rumpitur in glebas, sic dissipabuntur, dispergentur ossa eorum ad os orci, *secus infernum* ; praeda sunt orci. Hebr : sicut sulcos faciens et scindens in terra ; Hier : sicut agricola, cum scindit terram, sic dissipata sunt ossa. Comparatione hac parumper obscura et mira exprimi videtur : uti glebae in agro, ita ossa eorum dissipantur prope fauces orci.

Hanc adversariorum ruinam sperat v. 8 *quia ad te oculi mei* directi sunt, apud te quaero refugium, ne effundas (auferas) animam meam ; Hier ne evacues. Dein rogat, ut ab eorum insidiis custodiatur v. 9, *a scandalis*, ab offendiculis quae mihi struunt viri iniqui. Legem talionis contra tales invocat v. 10 cadent isti in sua ipsorum retia simul, Sym εἰς τὰ ὄικτυα ἑαυτῶν — intellige *eius* distributive, in suo quisque retiaculo capiantur peccatores — dum ego incolumis transeam. LXX κατὰ μόνας explicat *Chrys.* : liberatus a malis, purus ab illorum congressione et quasi solus habitans.

Ps. 141.

1. *Intellectus David, Cum esset in spelunca, oratio.*

2. *Voce mea ad Dominum clamavi,* | *voce mea ad Dominum deprecatus sum.* | 3.*Effundo in conspecto eius orationem meam,* | *et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* | 4.*In deficiendo ex me spiritum meum* | *et tu cognovisti semitas meas.* | *In via hac qua ambulabam,* | *absconderunt laqueum mihi.* | 5.*Considerabam ad dexteram et videbam,* | *et non erat qui cognosceret me ;* | *periit fuga a me,* | *et non est qui requirat animam meam.*

6. *Clamavi ad te Domine,* | *dixi : tu es spes mea,* | *portio mea in terra viventium ;* | 7.*intende ad deprecationem meam,* | *quia humiliatus sum nimis ;* | *libera me a persequentibus me,* | *quia confortati sunt super me.* | 8.*Educ de custodia animam meam* | *ad confitendum nomini tuo ; me exspectant iusti,* | *donec retribuas mihi.*

David effundit coram Deo, quantopere sit tribulatus, omni ope, effugio, consolatione destitutus (v. 2-5). Auxilium Dei implorat, ut liberatus laudem Dei possit annuntiare (v. 6-8).

Ex inscriptione veteres psalmum referunt vel ad 1 Reg. 22,1 abiit David inde (ab Achis) in speluncam Odollam, vel ad 1 Reg. 24,4 David et viri eius in interiore parte speluncae latebant (in Engaddi).

Desiderium exauditionis ipso clamore designatur ; unde bis *voce mea*, cf. 3,5 ; ceterum explica clamo, deprecor ; v. 3 effundo coram eo querelam meam, ex intimo corde diu traho suspiria et gemitus ; et angustias meas ante Deum expono ; in qua mentis dispositione autem haec coram Deo effundat, describitur in parte illa v. 4 *in deficiendo*, dum spiritus, animus in me prae moerore fere deliquium patitur, Hier cum anxiatus in me fuerit spiritus meus ; vide ad vocem hebr 102,1 (hebr), Ion. 2,8 cum angustiaretur in me anima mea, Lam. 2,12 cum deficerent in plateis ; Ps. 107,5 anima eorum in ipsis defecit ; unde voci התעטף notio languescere, tabescere recte adscribitur. Et hanc suam conditionem Deo notam esse ait : tu novisti semitam meam ; tu scis in qua conditione sim, quam miser sit status meus. Nam *in via hac* qua ambulo, in vita mea quotidiana, in negotio meo gerendo, in communi vitae ratione, *absconderunt laqueum mihi*, mihi struuntur insidiae. Neque habet adiutorem seu consolatorem ; v. 5 aspicio ad dexteram et video — non est qui agnoscat me ; non habeo qui curam mei agat, qui mihi prospiciat ; *periit fuga a me*, omnis modus evadendi mihi ereptus est ; nemo me quaerit, neminem habeo, cui curae sit me quaerere, qui mihi faveat. Ab omnibus se derelictum esse et neglectum conqueritur.

Ab hominibus derelictus eo maiore studio adhaeret Deo v. 6 clamo ad te, tibi dico : Tu es refugium meum, spes mea, pars mea in terra viventium i. e. dum vivo ; *portio mea*, vide ad 15,5 ; 72,26 ; 118,57 ; v. 7 *intende ad deprecationem meam*, ad clamorem meum, *quia humiliatus sum nimis*, ita scil. auxilio humano destitutus, omni subsidio evadendi sublato, et persecutoribus meis plane traditus, qui fortiores sunt quam ego ferre possim. Bene vertit Hier v. 8 educ de carcere animam meam, me ; *ad confitendum*, ut possim laudes Dei celebrare, nomen, manifestationem, potentiam, gloriam Domini annuntiare. Et quis erit eius liberationis et laudis fructus et effectus ? verte hebr : me circundabunt iusti, cum mihi benefeceris. Eo modo explica LXX vulg *me exspectant iusti*, cultores Dei praestolantur, donec mihi tribueris quod promisisti ; salute mihi concessa laetabuntur iusti.

Ps. 142.

1. *Psalmus David. — Quando persequebatur eum Absalom filius eius :*

Domine exaudi orationem meam, | auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, | exaudi me in tua iustitia ; | 2. et non intres in iudicium cum servo tuo, | quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. | 3. Quia persecutus est inimicus animam meam, | humiliavit in terra vitam meam ; | collocavit me in obscuris, | sicut mortuos saeculi. | 4. Et anxiatus est super me spiritus meus ; | in me turbatum est cor meum. | 5. Memor fui dierum antiquorum, | meditatus sum in omnibus operibus tuis, | in factis manuum tuarum meditabar ; | 6. expandi manus meas ad te ; | anima mea sicut terra sine aqua tibi.

7. Velociter exaudi me, Domine ; | defecit spiritus meus. | Non avertas faciem tuam a me ; | et similis ero descendentibus in lacum ; | 8. auditam fac mihi mane misericordiam tuam, | quia in te speravi ; | notam fac mihi viam, in qua ambulem, | quia ad te levavi animam meam. | 9. Eripe me de inimicis meis, | Domine, ad te confugi ; | 10. doce me facere voluntatem tuam, | quia Deus meus—es : tu ; | spiritus tuus bonus deducet me | in terram rectam. | 11. Propter nomen tuum, Domine vivificabis me | in aequitate tua ; | educes de tribulatione animam meam ; | 12. et in misericordia tua disperdes inimicos meos, | et perdes omnes qui tribulant animam meam, | quoniam ego servus tuus sum.

Deum, non ut severum iudicem, sed ut fidelem et largientem iustitiam invocans exponit David periculum suum et angorem animi et memor pristinorum beneficiorum Dei ad eum preces fundit (v. 1-6). Instanter implorat Dei misericordiam, ut liberetur, et ut viam rectam et Deo placitam doceatur obsecrans propter Dei nominis gloriam (v. 7-12). In magna tribulatione constitutus ad impetrandam exauditionem v. 1 psaltes provocat ad *veritatem* seu fidelitatem Dei et eius iustitiam, quatenus praestans quod promisit, iustum se exhibet, quare ipsum, quod promissum datur, etiam vocatur iustitia ; Sym ἐν τῇ πίστει σου, in fide tua, Aq ἐν τῇ βεβαιότητί σου. Deus enim firmus est et constans in promissionibus suis. Psaltes rogat v. 2 *non intres*, ne contendas, neve disceptes mecum, noli mecum expostulare ; cur nolit vocari in ius, explicat : *quia* nemo coram Deo est iustus, purus, sine peccato, « nedum ego qui multis nominibus reus sum » (*Ag. Gen. Cord.*) ; cf. Iob 4, 17 ; 9, 32 ; 14, 3 ; 15, 14. Talem autem petitionem Deo proponit, quia in afflictione et angustia animi versatur v. 3 inimicus me persequitur ; me infestat, opprimit ; confregit in terram vitam meam ; vitam psaltae igitur quasi pedibus conculcavit hostis ; *collocavit me* in tenebris ; conditio psalmistae per se talis videri poterat, ex qua nulla nova vita enasci posset, nisi Deus singulari

providentia interveniret. Ad mala externa accedit perturbatio et angustia animi v. 4; de verbo hebr vide 141,4 et 76,4.

In tristi statu recogitat pristina beneficia et magnalia illa, quae Deus olim sibi toties tam liberaliter patravit v. 5 *memor sum dierum antiquorum*, meditor, explica ita tempore praesenti; et huius recordationis fructus est : oratio et ardens desiderium Dei et bonorum Dei v. 6 *expando* ad te manus meas, gestus est instanter orantis ; et sicut arida terra ardenter sitit aquam, ita anima est coram te, *tibi*, te ardenti cupiditate sitiens, beneficia et salutem summis votis expetens ; cf. 76, 6. 12.13 ; 41, 2.3; 62, 2.3. Valde urgetur petitio : periculum est in mora ; unde v. 7 *velociter exaudi me*, nam *deficit*, languescit spiritus meus. Ideo petit : *non avertas*, ne abscondas *faciem tuam a me* (hebr, Hier), ne favorem tuum mihi subtrahas; nam eo subtracto sequeretur: *similis ero* mortuis; si absconderes faciem tuam, perirem; cf. 27,1 ; 26,9. Quare post noctem miseriae auroram diei felicitatis mihi ostende v. 8 fac me audire mane misericordiam, gratiam tuam ; *mane* vide ad 45, 6 et 89, 14.

Et quia psaltes fortasse non sine aliqua sua culpa in miseriam ncidit, nunc aptissime pergit orare : *notam fac mihi viam*, cf. doce me iustificationes tuas, legem tuam; nam ad te levo animam meam oratione et desiderio. Sed ut libere possit legem Dei observare, ambulare in via Domini, impedimentum ex oppressione ac dominatione inimicorum removeatur oportet; quare v. 9 *eripe me de inimicis*, ad te confugio; Hier a te protectus sum (כסיתי pual? alii emendant hebr נסתי confugi, הכיתי exspecto). Pro felici vita conditio necessaria est fidele obsequium Deo exhibitum: v. 10 *doce me facere voluntatem tuam* ; nam tu es Deus meus, dominus meus cuius voluntatem et scire et facere me oportet ; tu es largitor auxilii, quo possim facere. Ad hoc imploratur Deus, ut mittat spiritum suum bonum : *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, LXX ἐν γῇ εὐθείᾳ in recta via, et ita emenda quoque hebr ; psalterium rom. et moz. deducet me in viam rectam, quae lectio congruit ad v. 8 notam fac mihi viam, et syr quoque habet : spiritus tuus suavis ducat me in via tua vitae ; cf. 50,13 spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Uti Deus dicit : propter me, propter me faciam (Is. 48, 11), ita psalmista hic Deum precatur v. 11 *propter nomen tuum*, propter te et gloriosam tuam manifestationem, *vivificabis me*, vide 137, 7, ex miseria et quasi morte (cf. Ez. 37) mihi novam vitam in tua hereditate concedes; in *aequitate tua*, hebr in iustitia tua, secundum promissa quae Deus iustus implebit, vide ad v. 1, *educes de tribulatione animam meam* vide ad v. 3. 4; v. 12 *et in misericordia tua*, in gratia tua et benevolentia quam habes in me, *disperdes inimicos*

meos, dissipabis (Hier) et perdes oppressores animae meae, *quoniam ego servus tuus sum*. Hic est titulus, cur psaltes opem Dei, liberationem et triumphum de inimicis certo exspectare potest. Hoc nomine ac titulo Deus etiam totum populum electum alloquitur et salutem et gloriam ei spondet; vide Is. 43, 1.10; 44, 1.2. 21; 45,4 propter servum meum Iacob; 48,20 redemit Dominus servum suum Iacob.

Ps. 143.

1. — *Psalmus : David. — Adversus Goliath :*

Benedictus Dominus Deus meus, | qui docet manus meas ad proelium, | —et: digitos meos ad bellum; | 2. misericordia mea et refugium meum, | susceptor meus et liberator meus, | protector meus, et in ipso speravi, | qui subdit populum meum sub me. | 3. Domine quid est homo, quia innotuisti ei? | —aut : filius hominis, quia reputas eum? | 4. Homo vanitati similis factus est; | dies eius sicut umbra praetereunt. | 5. Domine, inclina coelos tuos et descende; | tange montes et fumigabunt; | 6. fulgura coruscationem et dissipabis eos; | emitte sagittas tuas et conturbabis eos. | 7. Emitte manum tuam de alto, | eripe me et libera me de aquis multis, | de manu filiorum alienorum; | 8. quorum os locutum est vanitatem, | et dextera eorum dextera iniquitatis.

9. Deus canticum novum cantabo tibi; | in psalterio decachordo psallam tibi; | 10. qui das salutem regibus, | qui redemisti David servum tuum de gladio maligno. | 11. Eripe me et erue me de manu filiorum alienorum, | quorum os locutum est vanitatem, | et dextera eorum dextera iniquitatis; | 12. quorum filii sicut novellae plantationes | in iuventute sua; | filiae eorum compositae, | circumornatae ut similitudo templi; | 13. promptuaria eorum plena, | eructantia ex hoc in illud, | oves eorum foetosae, | abundantes in gressibus suis; | 14. boves eorum crassae; | non est ruina maceriae, neque transitus; | neque clamor in plateis eorum.

15. Beatum—dixerunt : populum, cui haec sunt; | beatus populus, cuius Dominus Deus eius.

In hebraco titulus legitur una voce לדוד.

Gratiarum actione humiliter persoluta pro aliqua victoria concessa petit David ut Deus pro sua maiestate hostes insolentes dissipans salutem largiatur (v. 1-8). Pro qua promittitur canticum sollemne; repetita petitio liberationis fulcitur descripta inimicorum impietate et eorum prosperitate qua gaudent in familia, in pecuaria, in praedio (v. 9-14); at vera populi felicitas in solo Deo suo quaerenda est (v. 15). Ita quidem secundum LXX vulg syr. At secundum hebr Aq Sym quintam Hier targum a v. 12 et deinceps habetur : filii nostri, filiae nostrae, etc., unde petitioni liberationis subiungitur felix eiusdem liberationis

effectus : ut sint filii nostri sicut novellae plantationes etc., et describitur prosperitas quam David pro populo efflagitat et sperat liberatione concessa.

Psalmus hic usque ad v. 12 fere ex variis particulis aliorum psalmorum 17.8.32.103 contextus est. Notat *Theod.* in nonnullis exemplaribus addi inscriptioni contra Goliath; neque tamen id haberi in hebr, neque apud alios interpretes neque apud LXX in hexaplis.

Agi de aliqua victoria reportata statim primis verbis ex ps. 17, 47. 35 assumptis indicatur v. 1 *benedictus*, laudatus, celebratus sit; idque explicatur titulis v. 2, ex 17,3, *misericordia mea*, munitio mea, arx mea, liberans me mihi (2 Sam. 22,2 hebr), scutum meum (hebr. Hier. *in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me*, sed legendum erit cum Hier syr targum : populos, uti habetur 17,48; refertur ad gentes infestas. Magna cum admiratione effert curam ac providentiam Dei de homine infirmo et intimo sensu humilitatis auget et quasi ornat actionem gratiarum de beneficiis acceptis, v. 2 *quid est homo*, ut eum cognoscas, eum respicias, eius habeas rationem et curam? v. 4 *homo* halitui similis est, dies eius sicut umbra transiens, vide 8,5 et 38, 6.7. Hac humili agnitione infirmitatis et impotentiae simul apte introducitur ulterior petitio, ut Deus impetus hostiles coerceat et repetito opem praestet. Quare quod olim in cantico Deus benigne fecisse laudatur 17, 10, id iam denuo concedat v. 5 *inclina coelos, descende*; in auxilium nostrum festina; ostende tuam terribilem potentiam; *tange montes*, vide 103, 32; v. 6 ut olim, 17, 15, *fulgura*; hostes in fugam converte, et terrore conturba eos; v. 7 *emitte manum tuam*, 17, 17; eripe me ex miseriis multis, e potestate et impetu *alienorum*; v. 8 *quorum os* loquitur vanum, inane, fraudulentiam, *et dextera eorum, dextera* mendacii (hebr, Hier), falso et mendaciter iurant. Pro exauditione spondet v. 9 canticum novum, in psalterio decem chordarum, vide 32, 2.3; et prisca commemorantur beneficia v. 10, *redemisti David*, vide 17,51; *de gladio maligno*, de pernicie mala quae ei in persecutione Saul, et in bellis cum Philisthiim etc. imminebat. Commode iunges : de maligno gladio *eripe me et erue me de manu filiorum alienorum*, repetitur petitio v. 7.8.

In sequentibus secundum LXX vulg syr describitur prosperitas hostium; secundum hebr aliosque adiungitur effectus qui ex petita liberatione speratur : ut sint filii nostri quasi plantatio crescens etc.: אשר in notione *ut* cf. Deut. 4,40; 6,3. Gen. 11,7. Ruth 3,1. Prima felicitas ponitur in filiis v. 12 sicut plantationes bene crescentes: *filiae*

compositae, ornatae; hebr sicut columnae angulares exsculptae uti in palatio; ergo veluti Caryatides? de benedictione in filiis vide 126, 3-5; 127,3. Altera felicitas collocatur in cellis penuariis et in pecuaria; v. 13 *promptuaria*, granaria, seu cellae penuariae plenae, largientes ex specie in speciem i.e. largientes commeatum varii generis; *eructantia*, scil. ex quibus varia suppeditantur; *oves foetosae*, fecundae, multiparae (*Gen.*), τὰ πρόβατα πολύτοκα, πληθύνοντα, hebr oves mille parientes, in myriades auctae in campis nostris; insuper v. 14 *boves crassae*, tauri nostri pingues (Hier); idem videntur Aq Sym expressisse; textus mass : armenta nostra onusta i. e. gravidata. Demum felicitas ponitur in securitate et pace; *non est ruina maceriae*, non est interruptio (hebr, Hier); aedificia, muri, sepes firmiter constant *neque transitus*, egressus (Hier); nemo abducitur in captivitatem? alii generatim explicant : neque damnum; *neque clamor in plateis*; itaque pax, concordia.

Uti legitur LXX et vulg. v. 15 *beatum dixerunt populum cui haec sunt*, videtur quaedam efferri oppositio ad sententiam sequentem : homines quidem tales beatos dicunt; at beatus solum est populus cuius Deus est Iahve; quae oppositio ad textum LXX, vulg congruit, quia felicitas inimicorum describitur. At in hebr Aq Sym syr Hier eius oppositionis non est vestigium, sed affirmatur simpliciter : beatus populus cuius talia sunt, *beatus populus, cuius Dominus Deus eius*; quam sententiam ex hebr intellige ita, ut *Dominus* (i.e. Iahve) subiecti, *Deus* praedicati vices gerat, *eius* sit pleonastica repetitio pronominis relativi, ergo : beatus populus, cuius Deus est Iahve, seu qui Iahven, unum verum Deum, colit. Ac revera benedictio in filiis, divitiae, prosperitas, pax generatim in sacris litteris ut dona exhibentur quae Deus piis cultoribus mercedem et praemium pietatis legisque observationis largitur.

Ps. 144.

1. *Laudatio ipsi David.*

א *Exaltabo te Deus meus, rex* | *et benedicam nomini tuo in saeculum et in saeculum — saeculi :* | 2. ב *Per singulos dies benedicam tibi,* | *et laudabo nomen tuum in saeculum et in saeculum — saeculi :* 3. ג *Magnus Dominus et laudabilis nimis,* | *et magnitudinis eius non est finis.* | 4. ד *Generatio et generatio laudabit opera tua,* | *et potentiam tuam pronuntiabunt.* | 5. ה *Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur,* | *et mirabilia tua narrabunt.* | 6. ו *Et virtutem terribilium tuorum dicent,* | *et magnitudinem tuam narrabunt.* | 7. ז *Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt,* | *et iustitia tua exsultabunt.* | 8. ח *Miserator et misericors*

[illegible] patiens et multum misericors. | 9. ב *Suavis Dominus universis,* | *et miserationes eius super omnia opera eius.* | 10. ג *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua,* | *et sancti tui benedicant tibi.* | 11. ד *Gloriam regni tui dicent* | *et potentiam tuam loquentur :* 12. ה *ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam,* | *et gloriam magnificentiae regni tui.*

13. ו *Regnum tuum regnum omnium saeculorum,* | *et dominatio tua in omni generatione et generationem.* — ז *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis,* | *et sanctus in omnibus operibus suis :* 14. ח *Allevat Dominus omnes qui corruunt,* | *et erigit omnes elisos.* 15. ט *Oculi omnium in te sperant Domine,* | *et tu das escam illorum in tempore opportuno.* | 16. י *Aperis — tu : manum tuam,* | *et imples omne animal benedictione.* 17. כ *Iustus Dominus in omnibus viis suis,* | *et sanctus in omnibus operibus suis.* 18. ל *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum,* | *omnibus invocantibus eum : in veritate.* | 19. מ *Voluntatem timentium se faciet,* | *et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.* | 20. נ *Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.* | 21. ס *Laudationem Domini loquetur os meum,* | *et benedicat omnis caro nomini sancto eius* | *in saeculum et in saeculum — saeculi :*

Psalmo hoc alphabetico (*nun* quod in hebr excidit suppletur ex LXX et syr laudatur Deus magnus et potens in operibus, bonus, iustus, misericors, et effertur gloria regni eius (v. 1-12). Hoc regnum Deus gerit in suos fidelitate et liberalitate providens omnibus, eorum preces exaudiens eosque custodiens, peccatores autem disperdens ; quare omnes eum celebrent (v. 13-21). — Varia ex aliis psalmis recoluntur.

Inscriptio *laudatio* bene declarat psalmi argumentum. Incipit v. 1, uti 29,2 ; hic vocatur Deus *rex*, alias rex meus 5,2 ; 43,5 ; 46,7 ; 67, 25 ; nam in hoc psalmo describitur unicus rex cuius regnum universale, aeternum, rex omnis terrae 46,3. 8 ; 94,3. Coetus populi Dei non moritur ; unde *in saeculum* laudes Dei persolvuntur ; vide 83,5. Ad v. 3 vide 47,2 ; *et magnitudinis eius* non est investigatio, vel, ut Hier vertit, magnificentiae eius non est inventio ; Deus est inexploratus et inexplorabilis. In v. 4 hebr generatio generationi (ad generationem, Hier laudat opera tua, sicut 18,3 ; et fortia opera tua annuntiant ; v. 5 *magnificentiam gloriae* sublimitatis tuae loquuntur, et mirabilia tua cantabo, meditabor (hebr). Pariter v. 6 loquuntur de virtute, potentia *terribilium* operum tuorum, et magnitudines tuas narrabo (hebr, Hier , magna opera tua celebrabo ; distinguit *Theod.* mirabilia, miracula in quorundam beneficium edita, et *virtutem terribilium*, magna opera ad alios puniendos peracta.

Dei maiestate et magnitudine celebrata psaltes iam v. 7-9 bonitatem eius et misericordiam laudibus extollit ; v. 7 *memoriam abundantiae suavitatis tuae*, multae bonitatis tuae (hebr, Hier) effundunt i. e. copiose de ea loquuntur ; cf. 30,20 ; 18,3 et de *iustitia tua* iubilant, quia Deus pro sua iustitia praestat quod promisit ; ad v. 8 vide

Ex. 34,6 et Ps. 85,15 et 102,8 et Num. 14,18 ; *patiens*, indulgens, longanimis et magnus gratia, benevolentia ; v. 9 *suavis Dominus universis* bonus in omnes, *et miserationes eius* super omnes creaturas eius effunduntur (*Ag.*) ; ita LXX ἐπὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ, « in omnes homines benignitatem profudit ; non solum autem homines sed etiam animalia ratione carentia curat et omnibus τὰ πρόσφορα utilia, congrua suppeditat » (*Theod.*). Quare, cum omnium curam gerat tanta benignitate, v. 10 *confiteantur tibi omnia opera tua*, omnes creaturae tuae te laudare debent ; haec tua beneficia agnoscant et celebrent omnes creaturae ; sunt enim ipsa quoque irrationabilia veluti silens ac tacita confessio gloriae Dei (*Ag.*) ; praeprimis autem laudent Deum *sancti*, fideles, qui prae aliis benignitate Dei donantur (חסד, חסיד). Hisce incumbit v. 11 *gloriam regni* et *potentiam* Dei praedicare, ut eorum laude et agnitione reliqui quoque v. 12 inducantur ad celebrandam potentiam et gloriam regni Dei ; recurrit quod v. 4-6 commendatum est. Pii Dei cultores admonentur v. 12 non sufficere, si solum ipsi pro se pii sunt ; studium et fervorem exhibeant, quo aliis quoque regnum Dei innotescat. In v. 12 textus mass. corrigatur oportet secundum LXX potentiam *tuam*, regni *tui* ; nam in antecedentibus et subsequentibus fit allocutio ad Deum ; uti LXX, ita syr, Hier, targum quoque vertunt.

Et v. 13 regnum Dei et dominatio eius commendatur a diuturnitate, non habet finem ; consistet in aeternum ; legitur v. 13 etiam Dan. 3,100 et 4,31. In sequentibus explicatur qualis sit haec dominatio : *fidelis Dominus*, versus hic deest in hebr, sed ob ordinem alphabeti certe debet adesse ; alioquin pro littera *nun* omitteretur versus, sed exhibetur LXX πιστὸς, et similiter syr, Hier, i. e. נאמן ; dominatio Dei regitur fidelitate in implendis promissis et sanctitate in cunctis quae ordinantur ; regitur v. 14 clementia et praestatione auxilii : sustentat omnes corruentes et erigit omnes iacentes (Hier). Dominus rex et dominator curam benignam omnibus exhibet ; v. 15 *oculi omnium*, vide 103, 27. 28 ; v. 16 aperiens manum tuam satias omne vivens beneplacito, re ex qua hauriunt beneplacitum, delectationem ; Hier imples omne animal refectione. In eius dominatione porro Dominus v. 17 *est iustus in omnibus viis eius*, vias hic dicit τὰς οἰκονομίας, administrationes, providentiam, curam, secundum quam omnia ordinat (*Chrys.*) ; et *sanctus* חסיד benignus, pius, clemens *in omnibus operibus suis* ; porro v. 18 *invocantibus prope est* praestans opem, vide 33,19 ; *invocantibus in veritate* ; in quibus cor cum lingua consentit, qui non solum labiis, sed corde sincero eum invocant (*Ag.*). Facile quoque v. 19 annuit desiderio piorum cultorum, *voluntatem timentium se faciet*, quod illi optant et desiderant, Deus benigne concedit ; insuper v. 20

custodit omnes diligentes se, eos protegit ; dominatio eius beans est iustos, complens bonis diligentes, sed perdens peccatores. Quare merito v. 21 tali Dominatori et regi universum genus humanum, *omnis caro*, laudes et praeconia persolvere debet in perpetuum ; redit psalmus ad suum initium.

Ps. 145.

1. *Alleluia. — Aggaei et Zachariae :*

2. *Lauda anima mea Dominum,* | *laudabo Dominum in vita mea ;* | *psallam Deo meo quamdiu fuero.* | *Nolite confidere in principibus ;* | 3. *in filiis hominum, in quibus non est salus ;* | 4. *exibit spiritus eius et revertetur in terram suam ;* | *in illa die peribunt — omnes : cogitationes eorum.* | 5. *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius ;* | *spes eius in Domino Deo ipsius ;* | 6.*qui fecit coelum et terram,* | *mare et omnia quae in eis sunt.*

7.*Qui custodit veritatem in saeculum,* | *facit iudicium iniuriam patientibus,* | *dat escam esurientibus.* | *Dominus solvit compeditos ;* | 8. *Dominus illuminat caecos ;* | *Dominus erigit elisos ;* | *Dominus diligit iustos ;* | 9.*Dominus custodit advenas ;* | *pupillum et viduam suscipiet ;* | *et vias peccatorum disperdet.* | 10. *Regnabit Dominus in saecula,* | *Deus tuus Sion in generationem et generationem.*

Beatus populus, si non in hominibus infirmis, sed in Deo potenti spem ponit (v. 2-6). Deus autem, rex in saecula, cunctis necessitatibus populi sui benigne prospicit (v. 7-10).

Notat *Theod.* « in nonnullis exemplaribus additum est *Aggaei et Zachariae* ; hoc autem nec apud Hebraeum nec apud alios interpretes, nec apud Septuaginta in hexaplis inveni ». Censet anonymus psalmum dirigi contra eos qui in Babylonia remanere volebant divitias Babyloniorum et felicitatem eorum admirantes. Instaurationem civitatis Ierusalem et relaxationem captivorum in psalmo supponi *Ag.* monet.

Psaltes se ipsum excitat ad Deum laudandum, simili modo, ut 102,1 et 103,1 ; et quidem, ut tales laudes per totam vitam persolvat, sicut 103,33. Dein idem monet, quod priores prophetae ante exsilium saepe monuerant (Is. 20,6 ; 30,1 ; 31,1 ; Ier 2,18), v. 2 *nolite confidere*, vide 117, 8. 9 et afferuntur rationes : ipsi salvare non possunt, et v. 4 spiritus eius, halitus deficit, vide 103,29 ; *revertetur in terram suam*, corpus mortale, terrenum, redibit ad suam originem (Gen. 3,19) ; « inspice igitur naturam et ne confidas potentiae » (*Heracl.*) ; dein cum morte simul pereunt omnia eorum consilia et

molimina. At firmum fulcrum et fundamentum inconcussum habet Israel in Deo Iacob, ipse se praebuit opitulatorem potentissimum patriarchae Iacob; cf. Gen. 28,15 ; 31,3. 16; 32,28 ; 46,4 ; 48,16 ; talem Deum habent adiutorem, unde *beatus* est ille cuius adiutor est Deus Iacob (*eius* in versione vulg abundat), vide 32,12 et 143,15 ; ad firmandam spem additur v. 6 *qui fecit coelum* etc. : « cernis igitur quantum differunt caduci principes a rerum omnium opifice » (*Theod.*) ; vide 113 b, 15 ; 120,2 ; 123,8 ; 133,3.

Et qualis sit potens hic adiutor, sequentibus declaratur ; primus enim rerum omnium conditor etiam curam gerit eorum quae fecit (*Theod.*) ; primo laudatur eius fidelitas, *custodit veritatem*, verax est qui promissis stat; causam agit et tuetur oppressorum, ius reddit iis qui iniuriam patiuntur ; vide 71,4 ; 102,6 ; *escam dat*, 144,16 ; cf. 32,19 ; 36,19 ; 103,27 ; 106,9 ; 135,25. Cum emphasi ponitur quinquies *Dominus*, Iahve solvens compeditos, illuminans caecos, vide Is. 42,7. 19.22 ; compedes, vincula quandoque miserias et calamitates denotant, vide 67,7; 106,10. 14 ; eadem significatione dicuntur tenebrae ; unde caecos illuminare, idem est ac miseros liberare (Deut. 28,29. Is. 59,10) et eos quoque e tenebris ignorantiae et peccatorum educere, LXX Κύριος σοφοῖ τυφλούς, vide 18,8. 9. Is. 29,18 ; 35,5 etc ; Iahve erigens incurvatos, allisos (Hier), consolans scil. animos depressos ; vel liberans eos qui afflictionibus opprimuntur ; vide 144,14.

Peculiari cura prosequitur Deus iustos, *diligit iustos* ; iam quanta bona et quae providentiae subsidia hac una voce dilectionis exprimuntur ? custodit eos quasi pupillam oculi (Deut. 32,10. Ps. 16,8. Zach. 2,8) et dilectio potissimum consistit in communicatione bonorum diligentis cum dilecto. Uti iam ex lege patet, Deo cordi semper fuit providere advenis, pupillis ac viduis eosque lege tueri ; cf. Ex. 22, 21-24. Lev. 19,33. Deut. 10,18 ; 14,29 ; 16,11. 14 ; 24,17 etc. ; v. 9 *custodit advenas, suscipiet*, eriget *pupillum et viduam* ; at viam peccatorum deflectit, aberrare facit, *disperdet*, consilia impiorum evertit, facit irrita ; eorum machinationes non optatum attingent successum ; vide 1,6 iter impiorum peribit. Homines moriuntur v. 4, at Iahve rex est v. 10 *in saecula*, Ex. 15,18 ; *Deus tuus, Sion, in generationem et generationem*, sed Deum esse alicuius dicit esse ei largitorem bonorum et adiutorem ; populus itaque Sion, populus Domini habet perpetuo Deum suum ut fontem inexhaustum bonorum et auxiliorum.

Ps. 146.

1. *Alleluia.*

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus; | Deo nostro sit iucunda decoraque : laudatio. | 2. *Aedificans Ierusalem Dominus; | dispersiones Israelis congregabit;* | 3. *qui sanat contritos corde, | et alligat contritiones eorum;* | 4. *qui numerat multitudinem stellarum,* | *—et : omnibus eis nomina vocat.* | 5. *Magnus Dominus noster et magna virtus eius,* | *et sapientiae eius non est numerus;* | 6. *suscipiens mansuetos Dominus,* | *humilians — autem : peccatores usque ad terram.*

7. *Praecinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara;* | 8. *qui operit coelum nubibus,* | *et parat terrae pluviam;* | *qui producit in montibus foenum,* | *— et herbam servituti hominum :* | 8. *qui dat iumentis escam ipsorum,* | *— et : pullis corvorum invocantibus eum.* | 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit,* | *nec in tibiis viri beneplacitum erit ei;* | 11. *beneplacitum est Domino super timentes eum,* | *— et : in eis qui sperant super misericordia eius.*

Ps. 147.

Alleluia.

12. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion;* | 13. *quoniam confortavit seras portarum tuarum,* | *benedixit filiis tuis in te;* 14. *qui posuit fines tuos pacem, — et : adipe frumenti satiat te.*

15. *Qui emittit eloquium suum terrae;* | *velociter currit sermo eius;* | 16. *qui dat nivem sicut lanam,* | *nebulam sicut cinerem spargit;* | 17. *mittit crystallum suam sicut buccellas;* | *ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* | 18. *Emittet verbum suum et liquefaciet ea; flabit spiritus eius et fluent aquae.*

19. *Qui annuntiat verbum suum Iacob,* | *iustitias et iudicia sua Israel.* | 20. *Non fecit taliter omni nationi,* | *et iudicia sua non manifestavit eis. Alleluia.*

Apud Hebraeos unus est psalmus, qui apud LXX. vulg in 146 et 147 divisus est; sed, ut iam *Bellarm.* ait, 147 non est novus psalmus, sed continuatio psalmi superioris. Argumentum utriusque est idem et in vulg ipsis numeris in 147 innuitur continuatio antecedentis; unde placuit utrumque simul exhibere. Describitur providentia Dei in gubernatione et instauratione populi, et in administratione rerum mundanarum. Illud cernitur v. 1-6. 12-14; hoc v. 7-11. 15-18; singulari populi prae aliis excellentia concluditur psalmus.

Exhortatio ponitur canendi laudes Domini, quoniam bonum est psallere Deo nostro, quoniam iucundum; decet laudatio; ita hebr, prout iacet. Alii emendant ex analogia aliorum locorum (134,3; 135,1): laudate Iahve, quia bonus est: psallite Deo nostro, quia suavis est:

decora est seu decet laudatio ; cf. 92,5. Iam enumerantur beneficia v. 2 aedificat Dominus Ierusalem et dispersos Israel congregat ; instauratio feliciter succedit ; assignatur tempus quo iam inimicis repulsis pace ac tranquillitate frui licet ; vide v. 13.14 ; et vide Deut. 30,4 ; Ps. 105,47 ; 106,2. Si qua adhuc restant vulnera seu cicatrices temporis anteacti eiusque miseriarum, v. 3 Deus est *qui sanat contritos corde* et alligat plagas eorum (Hier), vide 102,3 ; 33,19 ; 50,19. Is.30,26 ; 61,1. Et hoc eum praestare posse, ostenditur eius potentia v. 4 *qui numerat*, omnes stellas novit ; hebr alii vertunt : statuens numerum stellis, *omnibus eis nomina vocat*, in hoc immenso agmine et exercitu singulas accuratissime cognoscit ; sicut herus famulum suum vocat, ita Dominus unamquamque ex illa infinita multitudine ; vide Is. 40,26 ; quanta ergo facilitate poterit Iudaeos inter gentes dispersos ad unum omnes congregare ? Unde ex consideratione coeli stelliferi merito infertur v. 5 *magnus* dominator noster ; *sapientiae eius non est numerus*, est infinita, nullo numero conclusa, omnem numerum excedens ; cf. Is. 40, 28 ; Ps. 138,18 ; 144,3. Et iste Deus pro sua potentia et sapientia v.6 suscipit, sustinet *mansuetos*, afflictos, miseros ; *humiliat* impios *usque ad terram* ; vide 145,9 ; pios Israelitas et afflictos elevat ; oppressores humiliavit.

Repetitur adhortatio v. 7, quia ad aliud genus providentiae nunc transit psaltes : respondete Domino, seu canite (עֲנוּ, Ex. 15,21 ; 32, 18. Is. 27,2) Domino in laude, in gratiarum actione, qui pluviam mittit v. 8, vide 103, 13.14 ; iumentis dat escam, filiis corvi, qui clamant (hebr) ; cf. Iob 38, 40. Exemplo animalium et pullorum quibus Deus escam providet, ostenditur Deum in gubernatione sua succurrere indigentibus ; eum autem minime gratos habere eos qui suis subsidiis et viribus confidant, declaratur v. 10, atque ita nexum bene adstruunt *Bellarm. Ag.* ; nam non sibi complacet in fortitudine equi, neque in cruribus viri sibi placet, in tibiis viri (Hier) ; in celeritate qua quis in proelio hostes aggredi et persequi potest ; vide 17,34 perfecit pedes meos tanquam cervorum ; ceterum vide 32, 16-18, verum Dominus beneplacitum suum habet v. 11 in iis, qui eum timent, colunt et gratiam eius ac misericordiam praestolantur.

Urbe denuo firmiter aedificata et pace concessa ad Deo laudes concinendas admonentur v. 12 ; gratias agant de civitate secure firmata v. 13, non solum aedificata est v. 2, sed velut arx constituta, *seras portarum*, vectes (Hier), repagula, *confortavit* ; incolis, *filiis tuis*, iterum benevolentiam suam ac benedictionem, prosperitatem, securitatem, reddidit ; in circuitu urbis et in tota regione pacem concessit v. 14, cf. Is. 60, 17 ; fines tui, terminus tuus, regio tua in pace consti-

*

tuuntur; et cum securitate et pace terrae coniungitur fertilitas et ubertas; *adipe* i. e. optimo tritico te satiat; vide 80,17. Continuo enim Dei providentia rebus praeest; quae providentia seu voluntas Dei describitur v. 15 *qui emittit eloquium suum*, mandatum suum, veluti nuntium, qui celeriter domini praeceptum exsequitur; cf. Is. 9,8; 55,11. Ps. 106, 20. Cuius rei exemplum ponitur v. 16-18, in quo Dei potentia sensibus exhibetur (*Bellarm.*); *dat nivem sicut lanam*, « non potuit certe poeta noster candorem nivis melius conferre quam cum candida lana, qua nihil in terris candidius » (*Muis*); *nebulam*, pruinam *sicut cinerem spargit*; de paronomasia in hebr *Ag.* monet כפור כאפר; prima minutatim quasi innumeris globulis terram et tecta operit ac si essent cinere conspersa; v. 17 *mittit crystallum*, proiicit glaciem *suam sicut buccellas*; aliqui malunt intelligere grandinem, quae sicut buccellae, parvi globuli cadit. Alii retinent glaciem; et cum statim frigoris mentio fiat, grando autem aestate potissimum evenire soleat, potius de glacie expositio est approbanda; ad glaciem, non ad grandinem, bene seu unice congruit quod sequitur v. 18 *liquefaciet*, *fluent aquae*. Sed *sicut buccellas*? noli mirari, vel agnosce potentiam Dei, coram quo glaciei illae omnes partes, quibus lacus, flumina, rivi congelantur, parva sunt frusta, quae nobis magna videntur.

Uti 18, 7 dicitur de sole: nec est qui se abscondat a calore eius, ita hoc loco asseritur de frigore, *quis sustinebit*? in oriente frigus multo magis sentitur neque frigoris molestiis homines in regione calida assueti sunt; ceterum *Baethgen* censet ea quaestione rhetorica potius cogitari de fluminibus magnis quae frigore quasi freno iniecto coerceantur neque Domino obsistere valeant. Veteres omnes praebent eundem textum: יזל (LXX Aq Sym Hier syr targum); aliqui loco כי יעבד emendant ביום יעבדו aquae stant, frigore aquae congelantur; cf. Iob 37, 10; verum postquam ostendimus in v. 17 glaciem intelligi, et non grandinem, tali coniecturae (contra omnes testes propositae) iam non locus esse potest. Statim ac voluerit, solvit ea quae gelu constricta sunt v. 18 *emittet*, vide v. 15; *flabit*, facit flare spiritum suum, ventum scil. tepidum, et fluunt aquae.

Et Deus qui verbo suo, voluntate sua creatrice et ordinatrice, eventus naturales et mundi dispositionem provide instituit et regit, singulari ratione regimini populi sui prospexit v. 19 *verbum*, voluntatem suam, legem annuntiat Iacob; statuta sua et iura nota fecit Israel, quibus et cultus divinus et res civiles ordinantur. Hîsce iterum patet eminentia atque excellentia electi populi; v. 20 *non fecit taliter*, vide Deut. 4, 7.8. 32-37.

Ps. 148.

1. *Alleluia.*

Laudate Dominum de coelis, | laudate eum in excelsis. | 2. Laudate eum omnes angeli eius, | laudate eum omnes virtutes eius. | 3. Laudate eum sol et luna ; | laudate eum omnes stellae — et : lumen. | 4. Laudate eum coeli coelorum ; | et aquae omnes quae super coelos sunt, | 5. laudent nomen Domini, | quia — ipse dixit et facta sunt: | ipse mandavit et creata sunt ; | 6. statuit ea in aeternum et in saeculum — saeculi : | praeceptum posuit et non praeteribit.

7. Laudate Dominum de terra, | dracones et omnes abyssi ; | 8. ignis, grando, nix, glacies, | spiritus procellarum quae faciunt verbum eius ; | 9. montes et omnes colles ; | ligna fructifera et omnes cedri ; | 10. bestiae et universa pecora, | serpentes et volucres pennatae ; | reges terrae et omnes populi, | principes et omnes iudices terrae ; | iuvenes et virgines, | senes cum iunioribus | laudent nomen Domini, | 13. quia exaltatum est nomen eius soliús. | 14. Confessio eius super coelum et terram, | et exaltavit cornu populi sui ; | hymnus omnibus sanctis eius ; | filiis Israel, populo appropinquanti sibi. Alleluia.

Quae in coelis sunt et quae in terris laudent Deum creatorem qui populum suum exaltavit. Series coelestium incipit a nobilioribus ; series terrestrium ascendit a vilioribus ad nobiliores creaturas, in quibus omnibus reluceat oportet sublimitas Dei. Omnem creaturam, et quae solo intellectu concipitur et quae sub sensum cadit, rationis compotem et rationis expertem, animatam et inanimatam ad unum quasi concentum laudis psaltes invitat, ita ut eos qui ratione pollent, reliqua intueri et sapientiam ac potentiam Dei in istis relucentem agnoscentes Deum celebrare iubeat (cf. *Theod.*). Qui valde laudare desiderant, accersunt multos laudationis socios, quos hortantur, ut hoc pulchrum munus secum obeant (*Chrys.*). Tota carminis series demonstrat psalmum esse actionis gratiarum.

Unde laus Dei proficisci ac propagari debeat, v. 1 et 7 indicatur. Debet primo cantari et annuntiari *de coelis*, ex coelesti regione ; et qui *in excelsis* illis spatiis Dei praeconia celebrare iubentur, v. 2 sq. nominantur: nobilissimi : *omnes angeli*, *virtutes* i. e. exercitus eius (Hier), Aq Sym πᾶσαι αἱ στρατιαὶ αὐτοῦ, omnes exercitus, chori spirituum coelestium ; dein v. 3 quae nobis secundum apparentiam et mole maiora videntur, et diei noctique dominantur (135, 7-9) *sol et luna* ; dein ex ordine qui Gen. 1,16 servatur *laudate eum omnes stellae* luminis (hebr, Hier), Sym ἀστέρες φωτός, stellae lucidae ; ita quoque targum ; LXX et syr, vulg *stellae et lumen*, quidquid luminis praeter astra ? *coeli coelorum*, summum coelum ; nam coelum dicitur quoque regio aeris, uti si volucres coeli, nubes coeli dicuntur, et *aquae omnes*, vide

103, 3 ; Gen. 1, 7. Optime potentia Dei paucis describitur v. 5 *dixit et facta sunt*, vide 32,9 ; hebr solum habetur stichus unus : quia ipse mandavit et creata sunt (Hier, targum) ; duos stichos praebent LXX, syr, vulg ; prior ille stichus videtur assumptus ex 32,9. Uti Deus ea creavit, ita quoque ea conservat stabili lege, quae non deficiet. Legit Euthymius : non praeteribunt ; legem illam nunquam violabunt ; corpora coelestia ordinem, motum constanter servant (*Calm.* cf. Ier. 6, 22 ; Iob 14, 5).

Altera regio ex qua et in qua laudes Dei audiri debent est terra ; v. 7 *de terra*, *dracones*, monstra, cete ; *abyssi*, fluctus, profundum mare ; incipitur ab infimis ; v. 8 *ignis*, videntur intelligi fulgura, quia sequitur *grando*, *nix*, *glacies*, ita syr quoque, LXX κρύσταλλος, hebr קיטור, Gen. 19,28 significat sine dubio fumum ; num hic quoque ? certe ad nivem magis apta est *glacies*, uti LXX, syr, Hier habent (quam vocem Sym 118,83 de vehementi frigore accepit ex syr hexapl.) ; optime in hunc locum quadrat *pluvia*, quae est significatio vocis קטר in lingua arab., quae pluvia ut fulmen, grando, nix ex nubibus delabitur ; *spiritus procellarum*, venti et tempestates, *faciunt verbum eius*, mittuntur a Deo et peragunt ad quod mittuntur, ita Ex. 10,19 ; Num. 11,31. Ps. 134,7 ; Ier. 10,13. Uti *anonymus* notat, in v. 8 nominantur quae in aere fiunt ; glacies frigore aeris ; nunc v. 9 quae exsistunt in terra firma (in oppositione ad fluctus, aerem, glaciem seu aquam congelatam) *montes*, *colles*, et arbores fructiferae et ligna pretiosa ; v. 10 varia animalium genera ; cf. Gen. 1,24 ; ita iam ascenditur a plantis ad ea quae vivunt et sentiunt, et v. 11 ascenditur ad creaturas rationales ; nominantur v. 11 reges, nobiles, magistratus ; v. 12 variae aetates ; ita universi invitantur, ut Deum laudent ; cuius laudis prima et altissima ratio est v. 13 quia solus Deus est excelsus et magnificus, *et confessio eius*, seu maiestas eius (hebr), gloria eius (Hier) sese extendit super coelum et terram, omnia implentur gloria eius. Et secunda ratio laudis est v. 14 populo suo *exaltavit cornu*, populum a servitute liberatum et a dominatu gentium erutum in dignitatis ac gloriae culmen evexit (*Ag.*)

Ps. 149.

1. *Alleluia.*

Cantate Domino canticum novum, | laus eius in ecclesia sanctorum. | 2. Laetetur Israel in eo qui fecit eum, | —et : filii Sion exsultent in rege suo. | 3. Laudent nomen eius in choro ; | in tympano et psalterio psallant ei ; | 4. quia beneplacitum est Domino in populo suo ; | —et : exaltabit mansuetos in salutem.

5. *Exsultabunt sancti in gloria ;* | *laetabuntur in cubilibus suis ;* | 6. *exaltationes Dei in gutture eorum,* | *et gladii ancipites in manibus eorum ;* | 7. *ad faciendam vindictam in nationibus,* | *increpationes in populis ;* | 8. *ad alligandos reges eorum in compedibus,* | *et nobiles eorum in manicis ferreis ;* | 9. *ut faciant in eis iudicium conscriptum ;* | *gloria haec est omnibus sanctis eius. Alleluia.*

Israel Deum creatorem suum et regem canticis ac choris celebrat, quippe qui populum suum diligens exaltat (v. 1-4). Populus autem paratus est in rebelles nationes et reges exercere vindictam (v. 5-9). Ut ex vaticiniis Veteris Testamenti constat, per Messiam regem olim futurum erat, ut omnes gentes orbis uni vero Deo Israël servirent et cum Israelitis unum populum seu regnum Dei constituerent. Haec gentium subiectio sub imperium Dei et Christi eius nonnunquam proponitur sub imagine belli quo devicti populi subiiciendi sint, Ps. 2 ; 109. Et ita quaevis Israëlitarum cum aliis nationibus felix pugna ac victoria exsistebat velut typus seu quoddam faustum initium subiectionis omnium gentium sub imperium Dei, atque ut tale celebrari poterat. Haud incongrue hic Ps. 149 hoc sensu accipi posse videtur. Est enim canticum gratiarum actionis pro reportata victoria, quo victores sibi gratulantur quod iam populos regesque devictos habeant et triumphum de iis agere possint. Plerique interpretes psalmum ad tempus Esdrae Nehemiaeque referunt, quamquam ex ipsis verbis psalmi nihil certi de tempore erui possit.

Bene advertit *Chrys.* : « si spectatur historia, novum est canticum quod pro victoriis, pro rebus recte gestis, pro successu prospero, pro tropaeis ac triumphis clarum et insigne erant decantaturi » ; vide 32,2 ; 97,1 ; 143,9 ; *in ecclesia sanctorum* בקהל חסידים, totus populus sacer est coetus sanctorum, i. e. coetus cultorum Dei, congregatio piorum, uti קהל saepissime de populo Israel dicitur, neque minus חסידים notione generali de piis, vel etiam de Israel simpliciter (Ps. 50,5 hebr) usurpatur. Ante singularia beneficia ponit generale (*Chrys.*) v. 2 *laetetur* in factore suo, verum hoc quoque singulari modo dicitur de Israel ; cf. Is. 43,21 ; 44,2 ; 51, 1.2 (*Ag.*) ; Dominus est rex, uti olim professus est Gedeon : non dominabor vestri, sed dominabitur vobis Dominus Iud. 8,23 et cf. 1 Reg. 8,7 ; Ps. 5,3 ; 23,7 ; 28,10 ; 43,5 ; 46,3 ; 73,12 etc. Praeconia edantur modo maxime festivo v. 3 *in choro*, laudent et psallant ducentes choros, sacram saltationem peragentes, *in tympano* et cithara, sicut olim post transitum maris Ex. 15,20. Eius autem maioris sollemnitatis causa est, quia complacet sibi Dominus in populo suo (hebr, Hier), ornat (glorificat) afflictos salute (victoria) ; e miseria eos ad conditionem felicem adduxit.

Unde aequum est, ut v. 5 *exsultent sancti in gloria*, gloriantes, cum gloriatione et praedicatione ; *in cubilibus suis*, multa quiete perfruentes (*Theod.*) ; v. 6 in ore eorum sunt *exaltationes Dei, gladii anci-*

pites in manibus eorum; sub imagine victoriae et triumphi, qualis antiquo illo tempore agi solebat, describitur beata sors eorum qui olim populos Christo subiecturi erant; *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes* seu castigationes *in populis*; in imaginibus et inscriptionibus assyriacis et aegyptiacis spectantur captivi principes victi vinculis constricti; ita hic victores se parant *ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis*, et ad hoc *ut faciant in eis iudicium conscriptum* seu a Deo praescriptum. In interpretandis his versibus iuvabit ob oculos habere prospectum ad tempus messianum, de quo vide Is. 45,14; 49, 23; 60,14; 63,6; quo tempore magnum quoque *iudicium conscriptum*, lege Dei et libris prophetarum scriptum ac designatum, exercebitur; vide Deut. 32,41; Is. 2,12; 13,9; 24,1; 65,6 ecce scriptum est coram me: reddam et retribuam in sinum eorum (*Ag.*); 66,15; Ez. 38,39. Et tale iudicium divinum v. 9 *gloria* est, decor (hebr, Hier) *omnibus sanctis eius*; nam iudicio in Dei hostes facto regnum et potestas et magnitudo regni detur populo sanctorum Altissimi (Dan. 7,27).

Ps. 150.

1. *Alleluia.*

Laudate Dominum in sanctis eius; | *laudate eum in firmamento virtutis eius.* | 2. *Laudate eum in virtutibus eius:* | *laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.* | 3. *Laudate eum in sono tubae;* | *laudate eum in psalterio et cithara.* | 4. *Laudate eum in tympano et choro;* | *laudate eum in chordis et organo.* | 5. *Laudate eum in cymbalis — bene: sonantibus;* | *laudate eum in cymbalis iubilationis.* 6. *Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.*

Uti priores quattuor partes libri psalmorum doxologiis finiuntur, ita haec quinta pars simulque liber totus absolvitur doxologia multo sollemniore, qua et omnia coelestia et terrestria ad Dei laudes invitantur et hae laudes ipsae omnium instrumentorum musicorum concentu decantantur.

Uti 148,1.7 regio assignatur, unde et in qua Dominum oporteat laudare, ita similiter hic v. 1 *laudate* in sanctuario eius, Sym ἐν τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ, in sancto eius (Hier); intelligi sanctuarium terrestre, consequitur ex altero membro, in quo de coelesti arce mentio fit, *in firmamento virtutis eius*, Sym ἐν στερεώματι τῷ ἀκαθαιρέτῳ αὐτοῦ, « uti dicit, laudate eum omnes angeli eius, ita etiam hic dicit: laudate eum in firmamento

eius, i.e. qui estis in firmamento eius ; non cessat enim assidue supernas quoque potestates assumere socias laudationis » (*Chrys.*). Ita homines et angeli in utroque sanctuario, terrestri ac coelesti, ad laudes Dei provocantur ; vide alias quoque commemorari utrumque sanctuarium 10,5 : Dominus in templo sancto suo, in coelo sedes eius et 3 Reg. 8,29. 39. 43-45. Et cur Deus est laudandus ? v. 2 *in virtutibus eius*, in magnis facinoribus eius, propter res potenter gestas (*Ag.*), propter miracula (*Chrys.*) ; quae laudatio ne fiat oscitanter, leviter, sed enixe, omni contentione omnique studio, *secundum multitudinem magnitudinis eius*, prout immensam eius magnitudinem ac celsitudinis sublimitatem decet.

Ad quam laudationem omnium auribus vehementius annuntiandam « movet omnia instrumenta et iubet per omnia offerri Deo modulationem, eorum animos accendens et excitans » (*Chrys.*) v. 3 *laudate eum* in clangore tubae, seu bucinae (Hier) ; in nablio seu *psalterio et cithara*, *in tympano* et *choro*, comitante scil. chorea seu saltatione ; tubis canebant sacerdotes (Num. 10,8 ; 1 Par. 15,24 ; 16,6 ; 2 Par. 5, 12 ; 7,6 ; 13,12), psalteriis et citharis concrepabant levitae (1 Par. 16, 5 ; 25,1. 6 ; 2 Par. 5,12 ; 29,25. Neh. 12,27), uti pariter in cymbalis, sicut in locis modo citatis apparet ; tympanum pulsabant mulieres (Ex. 15,20 ; Iud. 11,34 ; 1 Reg. 18,6 ; Ps. 67, 26) ; *laudate eum in chordis et organo*, canentes fidibus et fistula, עוגב Gen. 4,21. Iob 21, 12 et 30,31 ; fistula non recensetur inter instrumenta sacra ; quare indicatur etiam cantionibus popularibus et instrumentis profanis posse et debere laudes Dei celebrari. Sonitu vehementi et clangore praeconia Dei canenda esse declaratur v. 5 laudate eum in cymbalis sonantibus, in cymbalis tinnientibus (Hier), LXX ἐν κυμβάλοις ἀλαλαγμοῦ, Sym ἐν κυμβάλοις σημασίας, hebr תרועה magnum strepitum denotat. Demum comprehensione amplissima absolvitur adhortatio v. 6 *omnis spiritus*, quidquid spirat, omnia et singula, in quibus est halitus, vel spiraculum vitae, *laudet Dominum. Alleluia.* « Ceterum admiratione dignus est finis hic totius psalmorum operis et prophetiae proposito respondens. Etenim prophetia gentibus praedicat salutem, et prophetiae finis eos qui hanc consecuti sunt, beneficii auctorem laudibus efferre iubet » (*Theod.*).

CORRIGENDA ET ADDENDA

Pag. 5 lin. 7 infra adde : *N. Schlögl*, Die echte biblisch-hebraeische Metrik, 1912 [Bibl. Studien herausgegeben von *O. Bardenhewer* XVII, 1].

Pag. 14 lin. 9 infra adde : Novam totius psalterii editionem criticam et versionem germanicam nuperrime edidit *Schlögl* (Die Psalmen, hebräisch und deutsch, mit einem kurzen wissenschaftlichen Kommentar. Graz und Wien 1911), qui quidem, ubi psalmis suum cuique auctorem assignat, prudentem ac moderatum aestimatorem, et, ubi ipsum textum nobis antiquitus traditum vertit atque adnotationibus illustrat, bonum interpretem se praestat, at in mutandis, eliminandis, adiiciendis secundum exigentias sui systematis metrici vocabulis est certe aequo audacior. Etenim persuasit sibi iamdudum, poëtis Hebraeorum versus non fuisse nisi aut tetrametros (quibus adnumerat trimetros) et pentametros et in singulis psalmis omnes ac singulos versus necessario fuisse eiusdem metri : qua opinione cogitur, ut omnes alicuius psalmi, quem pro tetrametro ex. gr. habet, versus non tetrametros aut mutet aut tanquam spurios reprobet, ita ut in Ps. 1 (praeter alia) duo vocabula et tres integros stichos tanquam non genuinos eiiciat, in Ps. 119 ex 176 versibus 72 pro corruptis habeat. Locos messianicos audet eliminare (Ps. 110, 1 « domino meo » enim pro glossa habet) aut facere (Ps. 16,2 « dixisti mihi : Filius meus es tu »). Haec esse « Resultate gediegener Forschung und gesunder Kritik (p. XXVII), fortasse non multi existimabunt.

Pag. 27 lin. 19 infra lege : Psalmum.
Pag. 32 lin. 7 lege : ubi.
Pag. 33 lin. 18 infra lege : circumdabis eum.
Pag. 40 lin. 9 lege : *et ultorem*.
Pag. 45 lin. 8 infra lege : Haec.
Pag. 46 lin. 18 lege : הֵמָּה.
Pag. 47 lin. 12 infra lege : Hier :
Pag. 66 lin. 2 lege : seu.
Pag. 72 lin. 16 infra lege : *ipsa me docebit*.
Pag. 75 lin. 3 lege : scribitur enim ויז א.
Pag. 76 lin. 16 infra lege : eorum.
Pag. 77 lin. 18 lege : tutum.
Pag. 81 lin. 13 infra lege : efferunt.
Pag. 84 lin. 18 infra lege : socius fuit.
Pag. 86 lin. 16 lege : *devorabit eos*.
Pag. 87 lin. 5 lege : regimen.
Pag. 97 lin. 14 lege : de veste.
lin. 8 infra lege : Vigilius.
Pag. 100 lin. 16 lege : non שַׁבְתִּי, sed שִׁבְתִּי habitare meum.
Pag. 103 lin. 3 infra lege : *Ad te, Domine*.

Pag. 111 lin. 5 lege : *Domine*.
Pag. 112 lin. 15 infra lege : εἰμι.
lin. 13 infra lege : *Domino*.
Pag. 132 lin. 10 infra dele : *iudicium*.
Pag. 135 lin. 9 infra lege : *multam*.
Pag. 138 lin. 8 lege : declaratur.
Pag. 140 lin. 14 lege : *dixerunt*.
lin. 11 infra lege : apprehende.
Pag. 141 lin. 1 lege : סגר.
lin. 18 infra lege : חפר.
Pag. 146 lin. 12 lege : abiicit.
Pag. 147 lin. 18 lege : obyenturum sit.
lin. 4 infra lege : *confringatur*.
Pag. 157 lin. 21-20 infra lege : מטוב עד־רע.
Pag. 177 lin. 8 lege : — *Deus* :
Pag. 182 lin. 5 infra lege : tribulationibus.
Pag. 212 lin. 4 infra lege : enim.
Pag. 213 lin. 10 lege : iniuriam.
Pag. 214 lin. 15 infra lege : *faciat*.
Pag. 219 lin. 13 infra lege : celebrabo.
Pag. 222 lin. 2 lege : censet.
Pag. 223 lin. 9-13 : cf. quae ad Ps. 81 notantur p. 308 lin. 3-6.
Pag. 224 lin. 13 infra lege : *ad visitandas*.
Pag. 226 lin. 4 lege : adsit.
Pag. 227 lin. 8 lege : accepta.
Pag. 230 lin. 20 infra lege : *tuarum*.
Pag. 237 lin. 1 infra lege : *spes*.
Pag. 240 lin. 18 infra lege : terrae.
lin. 4 infra lege *Houbigant*.
Pag. 257 lin. 7 infra dele : et.
Pag. 263 lin. 2 lege : *mihi*.
Pag. 272 lin. 2 lege : depingit.
Pag. 273 lin. 12 infra lege : *et tua est nox*.
lin. 11 infra lege : *et ver*.
Pag. 276 lin. 1 lege : terram.
Pag. 280 lin. 13 infra lege : *et quis*.
Pag. 281 lin. 14 lege : *confregit*.
lin. 21 et 20 infra lege : εἶ.
Pag. 284 lin. 10 lege : occurrit.
lin. 2 infra lege : Apollin.
Pag. 297 lin. 19lege : Ceterum vide quae de Ps. 82 dicta sunt.
Pag. 394 lin. 16 lege : a diebus aeternitatis (Mich. 5, 2 et cf. commentarium ad Mich. 5, 2 et etiam ad Is. 9,6).
Pag. 401 lin. 10 infra lege : *et in terra*.
Pag. 430 lin. 16 lege : *persequentes*.
Pag. 432 lin. 8 lege : persequantur.

MACON, PROTAT FRÈRES, IMPRIMEURS.

3 0311 00015 7870